Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
A
469
NAPOLI

Digitized by Google

Google

EPHEMERIDES MARIANÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

Biblioteca Nazionale V. E. III
NAPOLI

Digitized by Google

CAROLUS MAIELLUS

Arch. Emissenus et Bibli. Vaticanae Praefectus

Te pastorum pietas decorat, te primus meruit
Doctus nec in tenebris scriptor, sed publice edit

Digitized by Google

533254 Racc. VII. A. 469

EPHEMERIDES MARIANÆ

SEU CARMINA

GRÆCA LATINA ETRUSCA

PER

CAROLUM MAJELLUM

ARCHIEPISCOPUM EMISSENUM ET BIBLIOTHECÆ
VATICANÆ PRÆFECTUM

IN DEIPARAM QUOTIDIE EX VOTO LUCUBRATA

NUNC PRIMUM EX AUTOGRAPHO IN LUCEM

EDITA

NEAPOLI CIↃIↃCCCXLVII

EX TYPOGRAPHIA JANUARII AGRELLII

Superiorum permissu.

Digitized by Google

Qui elucidant me , vitam aeternam habebunt.

Ecclesiasticus Cap. XXIV. ver. XXXI.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

J. DE ROSA METROP. ECCL. NEAP. CAN. DIAC. CARD.

Habes iam Typis vulgatas has Ephemerides Marianas, seu Carmina Graeca, Latina, Hetrusca a Viro Cl. Carolo Maiello in Deiparae laudem quotidie elucubrata, quae ex Ms. Exemplari, quod in mea Bibliotheca asservatur, nunc tandem, profecto serius quam par erat, in lucem prodire videntur. De quo sane Opere immortalitate dignissimo haec Vincentius Calà Surrentinorum Antistes in Epistola ad dulcissimum patrem meum Carolum Antonium de Rosa Villaerosae Marchionem IV. Kal. Oct. CIƆIƆCCCXIV. scripta reliquit. Autographo τοῦ μακαρίτου Caroli Maielli Epigrammatum in beatissimam Virginem, de quo scribis, illud ipsum praeter propter evenisse dicendum est, quod Virgilii Aeneidos poëmati accidisset, nisi Tuccae, et Varii pietas illud ex Vulcani faucibus vindicasset. Cum enim ego puerulus in Neapolitano Seminario doctrina et pietate instituendus degerem, illud a maioribus natu narrari audiebam, Maiellum, cum fato proximus moribundus iaceret, palimpsestum illum, in quem quae quotidie ex voto aut proposito in Virginem effundebat carmina, referre solebat, Seminarii pistori furni flammis abolendum tradi iussisse. Quod iussum ingeniosam pietatem Ianuarii fratris, aut alicuius ex Seminarii magistris, qui morienti sanctissimo seni adstabant, parvi duxisse credendum est, cum tandem post

tot annos ex tenebris in lucem emersisse scribas (*a*). *Ut vero hoc Autographum* (*b*) *in eiusdem mei patris manus pervenit, ipse rem, quae magno usui, magnaeque utilitati foret, se facturum existimavit, si ad illud edendum omnem industriam, omnemque curam collocaret. Cuius sane consilium cum Viri docti, quibus ille, dum viveret, familiariter utebatur, magnopere probassent, summisque laudibus extulissent, ipsum insuper ad hanc spartam adornandam monitis atque exhortationibus impellere non destiterunt. Ut caeteros taceam, satis mihi videtur de viro erudito Michaële Angelo Lupoli Salernitanae Ecclesiae Pastore vigilantissimo tantum verba facere, qui eidem meo patri sic scribebat.* Profecto si inter profanas et sacras literas et tempus et studium curasque tuas tam belle dividis, cur non et Maiellianos lepores in Magnae Matris Dei laudem mihi gustandos pari praebeas liberalitate? Deus tibi semper optata omnia offerat, si me amplius isto augeas optato. (*c*) *Sed ipse quamvis non semel statuisset, ac non parum etiam laborasset, ut Neapolitanum nomen hac Epigrammatum Viri praestantissimi editione augeret, multis tamen seriisque negotiis praepeditus, ac semper in conscribendis variis Operibus, quae Litterariam historiam illustrarent, intentus ac occupatus, nunquam, quod in votis Ei erat, explere potuit. At*

(a) Haec Vincentii Calà Epistola autographa penes me extat.

(b) De eodem Autographo mentionem facit Iohannes Lama in Opere: *Memorabilia Italorum eruditione praestantium*, Florentiae CIƆIƆCCXLVII. Tom. II. P. I. pag. 99. qui Dominicum Maiellum Caroli fratris filium Sacerdotem et doctrina et probis moribus praestantem illud religiose servasse refert.

(c) Vide — Lettere inedite indiritte al Marchese di Villarosa da diversi uomini illustri raccolte, e pubblicate da Michele Tarsia = Napoli Presso Porcelli 1844. pag. 235.

ipso vita functo non sine ingenti animi mei moerore, nihil antiquius habui, quam ut et eiusdem Patris mei voluntati obsequens, et amicorum consilia persequens, hoc Maiellanum opus publici iuris facerem. Quae vero causae me moverint, quamobrem hanc perdifficilem provinciam susceperim, paucis habeto. Primum enim Rei litterariae incremento aliquo modo me consulturum, Musisque et Latinis, et Graecis, quae hoc tempore summa bonarum artium calamitate perpaucos cultores habent, gratissimum facturum duxi, si hanc Carminum συλλογὴν *in vulgus emitterem, cuius Auctor quam eleganter, ac perpolite in utroque idiomate scripserit, nemo unus ignorat. Deinde nihil ad pietatem erga Virginem, in iuvenum praesertim animis, qui politioribus literis addiscendis incumbunt, excitandam, atque inflammandam mihi aptius, consultiusque videbatur, quam ut eorum oculis haec venustissima Epigrammata edita subiicerentur, quibus sanctissima Dei Virgo summis eximiisque praeconiis extollitur, quae, ut ait Augustinus, omni laude maior censenda est. Plurimum etiam me movit Cleri Neapolitani gloria decusque, quae hoc opus edendo magis magisque clarescere judicavi. Neminem enim latet Maiellum de nostra Ecclesiastica Militia, deque Neapolitano Capitulo doctrina, sanctitate, prudentia, muneribusque praeclare gestis optime meritum fuisse, ac primum e nobis extitisse, qui doctarum linguarum elegantiam, concinnitatem, copiam sectatus est, atque bonas disciplinas non barbara ac rudi methodo, ut olim in more positum erat, sed omni maiore elegantia cultuque aliis tradidit. Denique in tanta temporum acerbitate, in quibus opuscula vana, illusoria, nullius momenti, alienam famam carpentia non sine gravi discrimine vulgata videmus, hoc sane opus, quod Auctoris celebritate, argumenti dignitate, ac sermonis ornatu*

Digitized by Google

literaria luce dignissimum existimandum est, in tenebris iacere certe piaculum videbatur.

Huic Operi Commentarium de rebus gestis ab Auctore praemittendum putavi, in quo si non eleganter, et ornate, saltem accurate, ac distincte ipsius educationem, studia, scripta, officia, virtutes expositas atque adumbratas invenies. Quo vero tanti Viri fama atque celebritas magis innotesceret, praeclara illustrium Scriptorum de Maiello testimonia posteritati mandata, nihil parcens labori ac diligentiae collecta in antecessum ponenda curavi. Denique admonitum Te volo me in corrigendis Typographicis mendis eorum opera usum fuisse, qui in hac Civitate omni laude humanas litteras profitentur, proindeque fateri cogor, si quid in hac editione commendatione dignum reperies, eorum eruditioni ac sagacitati referendum esse, si quid vero censura meritum, mei ingenii imbecillitati esse tribuendum. Vale.

Dabam ex meis Aedibus pridie Idib. Januarii CIↃIↃCCCXLIX.

Digitized by Google

DE VITA

CAROLI MAIELLI

COMMENTARIUS.

Carolus Iosephus Maiellus, de cuius rebus gestis scribere aggredior, ut viri subacti ingenii, spectataeque sanctitatis absolutissimum exemplum aliis ad imitandum proponam, Neapoli ex parentibus Dominico et Teresia Brando non quidem generis nobilitate, vel opulentiae splendore, sed virtutum omnium ornamento praestantissimis XV. Kal. Aprilis An. CIƆIƆCCXIX natus est; eius vero maiores ex Civitate Aversana originem duxerunt. Eodem die, in Metropolitana Ecclesia, in cuius Paroecia tota Maiellorum familia semper incoluit, Baptismo lustratus fuit. Versatile et acutum ingenium, et animum ad pietatem efformatum sortitus, a tenera adhuc aetate quanto in posterum futurus esset bono publico, patriae decori, Literariae Reipublicae utilitati, non obscura praesetulit indicia. Exactis Grammaticae et Eloquentiae studiis in scholis Societatis Jesu (*a*), decimoquarto anno natus Ecclesiasticae militiae adscribi voluit, ac postea sub Antonio Cardinali Pignatellio Neapolitanae Ecclesiae Pastore vigilantissimo die Virgini Montis Carmeli sacro (*b*) inter Archiepiscopalis Urbani Ephebei alumnos connumeratus est, curante praesertim eius matre foemina pientissima. Quae profecto viro

---

(a) *Eph. Marianae* 31 *Julii* 1715.
(b) *Eph. Marianae* 16 *Julii* 1720.

Digitized by Google

eius vita functo XII. Kal. Julii CIↃIↃCLXXXVII. nihil antiquius habuit, quam ut filius eius Carolus et Religionis amore, et bonarum artium disciplinis summopere floreret. In hoc Ephebeo iuvènis exceptus tanta animi contentione tantoque ardore tum ad politiores litteras melius addiscendas, tum ad severiores scientias assequendas animum convertit, ut non modo caeteris discipulis facile praestiterit, sed etiam ab eo sibi ipsi bene recteque discendi normam arripuerint. Quo vero Hellenicae gentis mores, facta, vices, leges, et literas penitus introspiceret, Gregorium Messere, qui tunc temporis in publico Athenaeo Graecam linguam profitebatur, adire solitus fuit. Haebraici sermonis rudimenta a Viro Cl. P. Parthenio Giannattasio Societatis Jesu didicit. Sed postea proprio marte ita perfectam huius idiomatis notitiam adquirere placuit, ut brevi tum sacrarum Litterarum arcana facillime intelligere, aliisque perspicue explanare (*a*), tum nonnulla satis eleganter haebraice scribere valuerit, ex quibus tantum superest pulcherrimum carmen, quod pro Philippi V. Hispaniarum Regis recuperata valetudine composuit (*b*). Penitiora autem philosophiae adyta magno labore penetravit, facem ei praeferente Luca Antonio Portio in Medica arte peritissimo. Tum non adhuc expletis suae vitae annis XVI. Gymnasium Patrum Jesuitarum frequentare solemne habuit, ut Scientiam divinitatis, qua late patet, assequeretur (*e*), quod

---

(a) *Vide Opus Francisci Antonii Soriae cui titulus.* Memorie Istoriche-Critiche degli Storici Napolitani *Tom. II. pag.* 337. *Napoli* 1782.

(b) *Vide librum Neapoli Typis editum apud Nicolaum Bolifani* 1705, *qui hunc Titulum praesefert*: Componimenti in lode del giorno natalizio di Filippo V tenuta dall' Eccellentissimo Duca d' Ascolona Vicerè di Napoli pag. 115.

(c) *Patet ex Actis pro sacris Ordinibus suscipiendis, quae in Tabulario Neapolitanae Curiae extant.*

Digitized by Google

ea aetate Archiepiscopalis Seminarii alumnis in more positum erat. In quo sane Theologico curriculo per quatuor et amplius annos summa cum laude emenso ita Carolus profecit, ut non raro sapientissimus Cardinalis Archiepiscopus Antonius Pignatellius in frequentissimo Cleri conventu, quum de quaestionibus ad Ethicen Christianam spectantibus disceptaretur, eius doctrinae periculum facere voluerit, mentisque vim acrem ac perspicacem in difficillimis quibusque explicandis maximopere sit admiratus.

Sed artium pulcherrimarum studiis adeo non fucatae pietatis, et verae Religionis amorem coniunxit, ut nesciam, utrum in eo adhuc florente aetate, morum sanctimonia, an ingenii copia magis excelluerit. Hinc factum est, ut non solum eo praesente nullus aut loqui, aut agere inverecundum auderet, sed etiam quamplurimi extiterint, qui eius vestigia summa animi contentione sectantes, modestiam, probitatem, rerum caducarum contemptum imitarentur. Ipse vero ut severiorem vitam traduceret, inclytae Societati Jesu, quorum sacros conventus ad pietatem vel fovendam, vel excitandam institutos ipse puer frequentare solebat, nomen dare exoptabat; a quo sapienti consilio vir probatissimus Bartholomeus Lucatellius tum Metropolitanae Ecclesiae Vicarius Curatus, postea Maior Poenitentiarius removit, ea dumtaxat fretus ratione, quod ad alia divinitus destinatum coniiceret. Per id temporis etiam cum viro sanctissimis moribus ornato Antonio Torres e Presbiteris, quos pios Operarios vocant, amicitiam iniit, cuius assiduis monitis, ac spectatissimis virtutum exemplis incredibile dictu est, quantum ad Dei amorem, ac Deiparae cultum Carolus exarserit. Qui sane animi fervor magis in eo eluxit, quum XV. Kal. Januarii An. CIƆIƆCLXXXVIII. clericali tonsura initiatus, Dominum uti meliorem, locupletioremque haereditatem sibi elegit, atque ad minores Ordines VI. Kal. Aprilis insequentis anni pro-

motus totum se ad divina ministeria mancipavit. Haec profecto in causa fuerunt, quamobrem idem vigilantissimus Archiepiscopus Pignatellius eum et praeceteris diligeret, et maximis praemiis afficeret, et tanti eius sapientiam cum morum innocentia coniunctam faceret, quantum postea non dubio testimonio declaravit. Nam ipse Summus Catholicae Ecclesiae Pontifex sub nomine Innocentii XII. renunciatus, bonis omnibus plaudentibus, quibus consilii gravitate, rerum agendarum prudentia, morum abstinentia, ac studio Religionis propagandae acceptissimus erat, statim e Romanae Cathedrae fastigio oculos ad Carolum nondum sacro Ordine insignitum convertens, eum Romam acciri iussit. Quo ubi advenit, honorifice prius a Pontificis familiaribus exceptus, postea in Aulam adductus, vix dici potest quot quantaque signa dilectionis Supremus Pastor ei exhibuerit. Nam non solum eum ad suos sanctissimos pedes provolutum benigne amplecti, sed etiam summis laudibus prosequi coram permultis proceribus, imprimisque Carolo Augustino Febronio S. R. E. Cardinali amplissimo dignatus est. Tum Ei placuit, ut Maiellus, quantum ingenio valeret, quantaque variarum disciplinarum cognitione polleret, coram se in literarum certamine, de difficillimis quaestionibus ad Deum O. M. eiusque Ecclesiam spectantibus in doctissimorum hominum congressu summa perspicuitate ac elegantia disputans, apertissime ostenderet. At quoniam ad congrediendum valde instructus paratusque descendit, huius pugnae palmam arripuisse, proindeque eius famam per Urbem longe, lateque percrebuisse satis constat. At quamvis in certam spem venisset magnos honores ex Pontificis liberalitate in Urbe Principe consequuturum, nominis tamen celebritatem declinans, diutius in ea immorari noluit, et potius Cardinalis Cantelmi iussis morem gerere (qui post Pignatellium nostrae Ecclesiae Antistes electus Maiellum Neapolim secum du-

cere voluit) quam propriae utilitati consulere optime duxit. Quae Caroli ab Urbe discessio ut omnibus ordinibus magnum desiderium reliquit, ita novo Archiepiscopo summo gaudio fuit, ut qui ad sui Cleri gloriam, ac splendorem augendum, hunc viri de literis, ac scientiis optime meriti in patriam reditum valde profuturum existimabat. Delatis ei ergo nonnullis Sacerdotiis, quibus honeste in Ecclesiastica militia vitam ageret, eum XI. Kal. Aprilis anno CIƆIƆCXCII. Subdiaconum elegit, deinde coarctato temporis spatio ab Ecclesia praescripto, Mense Septembris eiusdem anni inter Diaconos cooptavit. Tandem XII. Kal. Aprilis anni subsequentis Presbiterum initiavit (*a*).

Ex eo tempore tantum abfuit, ut animum a sapientiae studio aliquando remitteret, ut etiam ad eam adipiscendam acrius intenderit, libros nocturna, diurnaque manu versare non desistens. Neque vero tantum Logicam, Metaphisicam, Ethicam sectari, sed et penitiora Methamatices, Phisices, ac Naturalis historiae sacraria alacri conatu penetrare adlaboravit. Veterum quoque, novorumque Philosophorum, quorum opera assidue pervolutabat, singulari amore captus est, ac praesertim Carthesii opiniones, quae sibimet verisimiliores videbantur, sequi voluit. Quo factum est, ut Carolus tanto animi ardore huius celebratissimi Philosophi sententias propugnare studuerit, ut non paucos oppugnatores nactus sit, qui ipsum quasi non bene de fidei veritatibus sentientem traducerent (*b*). A quorum calumniis Auctor duabus Diatribis a se conscriptis optime se purgavit. In altera ut adversariis aliquo modo faceret satis, scholasticae methodi defensionem suscepit; in altera ut eosdem oppugnaret, de iusta libertate philosophandi satis erudite disseruit.

(a) *Vide Acta pro sacris Ordinibus suscipiendis, quae in Tabulario Archiepiscopalis Curiae asservantur.*

(b) *Vide Franciscum Antonium Soria in laudato opere.*

Digitized by Google

Hinc vir doctissimus Nicolaus Capassius quasi per iocum Maiellum Philosopiae Carthesianae si non Martyrem, saltem confessorem appellare solebat. Per id temporis amicitiam iniit cum viris, qui in Neapolitana Civitate doctrinae laude florebant, quos inter praecipue adnumerandi sunt Janus Vincentius Gravina, qui semper Caroli ingenium et virtutem plurimi fecit, (*a*) Joseph Valletta Ictus Neapolitanus, cuius privatae Bibliothecae se totum abdidit, ut doctissimorum virorum sapientiam penitus introspiceret, et idem Nicolaus Capassius Regii Gymnasii Antecessor, quicum in repostis ab urbe locis secedebat, ea invicem conferendo, quae in studioso pluteo domi meditati erant (*b*).

Interea laudatus Archiepiscopus Cantelmus, quum Seminarii studia perpolire exoptaret, hoc ab Eloquentiae schola, sine qua nihil in caeteris facultatibus tum sacris tum prophanis solidum, nihil expolitum, nihilque ornatum esse potest, optimo consilio aggressus est. Ut vero eam vir doceret, qui et scribendi elegantia, et sententiarum gravitate aliis antecelleret, ad id, multorum periculum anno R. S. CIƆIƆCXCIII. uti coniicere par est, faciendum existimavit. At vero Maiellus in hanc arenam descendens, tanta sui ingenii, suaeque doctrinae specimina praebuit, ut publico experimento probatus cunctis peritioribus, imprimisque Hyacintho Gargea Calabro Auctore Grammaticae cui titulus, *ingeniosa Apis*, fuit antelatus. Quod quidem maximo bono eiusdem Seminarii evenisse satis compertum est. Etenim ut primum Maiellum adolescentes ad bonas artes ibidem instituere coepit, statim hoc Ephebeum veterem squalorem exuens, ac

---

(a) *Consule vitam eiusdem Gravinae a Joanne Andrea Serao conscriptam. Romae* CIƆIƆCCLVII. *Ex Typog. de Rubeis apud Pantheon pag.* 9.

(b) *Quae hic narramus testatum reliquit Johannes Lama in Vita eiusdem Caroli Maielli.*

Digitized by Google

vetustam barbariem deponens, novam formam eamque elegantiorem cultioremque inducere visum est. In eo enim tum pura ac nitida Latialis lingua, tum vera ac solida eloquentia propriam veluti sedem constituit; proindeque ab eo veluti ab equo Troiano praestantissimi viri, qui maximam Neapolitano Regno celebritatem conciliarunt, omni aetate prodierunt. Neque vero adolescentes tantum praeceptis, sed etiam optimis suae mentis foetibus ad aureae aetatis Auctorum imitationem illos quasi manuducere adnixus est. Hinc nonnullas orationes, quibus praestantissimorum Oratorum facundiam, dicendique copiam aemulatus est, concinnavit, quarum quasdam iam Typis vulgatas habemus, alias maxima Rei Literariae iactura penitus desideramus. Quae habemus sunt 1. *Oratio iussu Cardinalis Cantelmi pro recuperata valetudine Caroli II. Hispaniarum Regis biduo concepta, et habita pridie Non. Novembris anno* CIↃIↃCLXXXXVI. *in Aedibus Seminarii*; 2. *Oratio habita in Provinciali Synodo sub Cardinali Cantelmo ad Innocentium XII. P. M.* in qua huius supremi Pastoris res gestas, quo maiori fieri potuit ornatu, dissertissime exposuit; 3. *Etiam habita in Aedibus Seminarii Neapolitani in adventu Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. R. E. Cardinalis Francisci Pignatelli Archiepiscopi Neapolitani anno* CIↃIↃCCVII. Inter eas, quas desideramus, ea adnumeranda est, de qua haec habet in Epistola ad Vincentium Gravinam: *Latinam Orationem in adventu P. Generalis Cappucinorum ex tempore pene descriptam, atque in hoc Seminario habitam, illi dedicavimus* (a).

Sed dum Latinas literas Seminarii adolescentes omni studio ac sollicitudine ipse edocebat, Graecas

(a) *Epistolae Vin. Gravina ad Carolum Maiellum extant Typis aeditae post vitam eiusdem Maielli conscriptam a Januario Radente, Neap.* CIↃIↃCCLXXX.

quoque Hebraicasque ipsis tradere operae pretium duxit. Et quod ad Graecanicum sermonem spectat, ipse Principem Poëtarum Homerum quotidie pervolutabat, ut huius idiomatis venustates optime cognosceret, suisque discipulis exponeret. Hinc ita ad eundem Gravinam scribebat: *Illum* (Homerum) *quanti faciam, ex eo intelligas, quod ab eius lectione aegre divellor, eiusque Opera magnam partem memoriae mandavi, et meos auditores, ut in eandem rem sedulo incumbant, etiam atque etiam hortor.* Ut vero eundem Poetam laudibus ipse prosequeretur, centonem, in quo illius merita mirifice extollit, ex ipsius Homeri versiculis consutum efformasse testatum reliquit in alia Epistola ad eundem Gravinam (*a*). Graecis Hebraicas litteras coniungens, sedulam operam navavit, ut adolescentes in spem Domini succrescentes haec idiomata ad sacra eloquia intelligenda pernecessaria optime callerent.

At postea ad severiores scientias gradum faciens primum Logicam, et Metaphisicam faciliori, ac elegantiori methodo, reiectis salebrosis, atque inutilibus Peripateticorum quaestionibus explicavit, deinde Matheseos rudimenta omni claritate ac elegantia tradidit. Tum quo Archiepiscopi Cantelmi voluntati pareret, Sacros Canones in eodem Seminario est interpretatus; quamobrem ab ipso Gravina expostulabat, ut quam viam in tam difficili cursu ipse sectaretur, monitis et consiliis Ei aperiret. Tum anno CIƆIƆCCII quum Carolus tradendae Rethoricae curriculum exegisset, quod

---

(*a*) *Quod Majellus multa Graecis versibus conscripserit, luculentissime apparet cum ex hisce Ephemeridis Marianis, quae nunc in lucem prodeunt, tum ex variis Opusculis, quibus Graeca Epigrammata ab ipso composita leguntur. Sic in Opusculis Nicolai Capassii extat Epigramma Graecum a Carolo nostro ad Biscardum scriptum, quod idem Capassius in Latinum vertit.*

Digitized by Google

eius frater Januarius est ingressus, Dogmaticae, ac Moralis Theologiae ad D. Thomae normam explanandae provinciam suscepit, Canonicarum tamen Institutionum, et Hebraicarum litterarum onere non abiecto.

Sed ut suorum auditorum utilitati melius consuleret, Carolus improbo labore de omni re, quam ipse edocebat, tractatus elegantissimos efformavit, ut abrogata veteri disciplina, quae barbariem sentiebat, ac scientiis omnibus veteribus sordibus expolitis, cultiora pascua optimae spei iuventuti ipse praeberet. Hoc quidem sapientissimo consilio *Institutiones Rhetoricae*, *et Poëticae* concinnavit, quae postea a Salvatore Aula Seminarii Neapolitani Eloquentiae Professore auctae, ac in lucem editae fuerunt. Eadem ratione composuit *Tractatus de probabilismo*, *seu de conscientia*, *de Christo*, *de Trinitate*, *de actibus humanis*, *de Angelis*, *Institutiones Canonicas*, *duos tantum priores libros Institutionum Civilium*, *de praestantia et usu numismatum*, *diatribas in Scholasticam*, *et Positivam Theologiam*, *Lectiones Ignatianas*, *Tractatum de Jure Gentium*, *Censuram Operum Poirot*. Et quamvis quamplures Viri docti, praesertim Socii Academiae a Prorege Duca Medinaceli, cui Carolus cooptatus fuerat, summopere optarent, ut haec egregia eruditionis monumenta in vulgus proderentur, tamen raro modestiae exemplo ea omnia ab Auctore flammis donata fuerunt. Sed quis scit an aliqua exemplaria alumnorum industria ab incendio servata in quibusdam doctorum virorum forulis delitescant?

Sed post tot tantosque labores in erudiendis adolescentibus exantlatos, tandem eiusdem Seminarii Moderatoris munus, quod antea summa animi constantia detrectaverat, ex imperio Archiepiscopi Pignatelli anno CIIIOCCIII suscipere coactus fuit, bonis omnibus plaudentibus, qui ad praeficiendum iuvenibus in sortem

Domini vocatis virum numeris omnibus absolutum vocari gratulabantur. Qua de re ita scribit ad eundem Vincentium Gravinam: *nec enim facere potui, quin Tibi nuntiarem, me tandem invitum ac trepidantem huic Seminario praefectum esse. Quod mihi onus una patrocinii tui spes relevat. Eam si pro tua singulari humanitate mihi ratam feceris, haud vereor, ut ad Dei gloriam, et huius Ecclesiae fructum aliquem id munus sit processurum.* In hac autem novi muneris accessione vix dici potest, quanta sollicitudine, et vigilantia adolescentium progressui et ad summam pietatem, et ad omne doctrinarum genus Vir clarissimus adlaboraverit. Ipse autem omnibus vigilantissimi Moderatoris muneribus perfungens, cunctis praesto esse, progressiones explorare, diligentiam acuere, verbis ac praemiis industriam accendere nunquam destitit. Deinde quum timorem Domini initium esse sapientiae probe nosset, in eo omne studium, omnemque posuit curam, ut iuventus suae fidei concredita, dum litteris operam navaret, pietatis interim officia minime negligeret, sed duas has res, rectae puerorum institutioni apprime necessarias feliciter temperaret, atque inter se consociaret. Quod ipsum profecto non modo saluberrimis institutis, ac praeceptis, verum vitae quoque integerrimae exemplis adeo ex sententia est consecutus, ut quisquis in eius alumnos oculos coniiceret, non alios plane, nisi Clericos a Tridentinis Patribus designatos, sibi intueri videretur. Atque ut optima morum disciplina, quam sanctissimis legibus sanxerat, sarta tecta in Seminario servaretur, adolescentes vetuit domus suas ventitare, per Urbis vias vagari, quin et cum aliis praeter propinquos colloqui. Nec porro illud heic praetereundum videtur, Maiellum praecipue curasse, ut elegantiori, quam antea cultu et cibo convictores uterentur; tum Seminarii aedes, quo pluribus recipiendis alumnis aptae evaderent, laxatas, novisque aedi-

ficiis auctas amplificasse. Quare, ut omnia uno verbo complectar, tot tantaque ea fuerunt, quibus Seminarii commodis ille consultum ivit, ut novam prorsus faciem induisse is locus visus sit, eiusdem fama non solum in omnes Regni provincias, sed in exteras quoque regiones fuerit pervagata.

Iure igitur meritoque optimo idem Archiepiscopus Franciscus Pignatellius, ne tanti Viri promerita erga concreditam sibi Ecclesiam debito honore ac praemio frustrarentur, inter Metropolitanae Ecclesiae Canonicos XI. Kal. Aprilis Anno CIƆIƆCCVII. cooptavit, ac Cleri Examinatoris munus Ei detulit. Postea vero Sacerdotes pro excolenda vinea Domini sacras, ut inquiunt, *Missiones* peragentes, a Propaganda fide nuncupati, in numerum eorum Sodalium Maiellum VIII. Idus Iunii eiusdem anni adscisci voluerunt, ac adeo ipsius sanctitatem cum singulari doctrina coniunctam admirati sunt, ut ipso vita functo eius effigiem tabula depictam cum praestantioribus viris, qui optime de ipsorum Sodalitio meriti sunt, apponi in propria Aede iusserint. Tum ad Sinuessanam Ecclesiam regendam destinatus, nulla ratione adduci potuit, ut ad hanc amplissimam dignitatem, perdifficile Pastoris munus perfungens adscenderet.

Per idem tempus occasio ei oblata fuit, quo sui nominis celebritas tum apud nostros, tum apud exteros homines magis magisque elucesceret. Tum enim duo Viri doctrina praestantes late argumentum Latino idiomate prosequuti sunt, quod exponebat coniurationem initam, et extinctam Neapoli Anno CIƆIƆCCI. pro Caesaris armis contra Hispanos, qui Neapolitano Regno pacifice potiebantur; quae quidem coniuratio a Principe Macchianorum, qui si non primus ex perduellium numero extitit, eos saltem consilio, opera, favore, pecunia animosiores reddidit, nomen sortita est. Sed horum literatorum historicae narrationes de ista seditione minime ab omnibus probatae fue-

runt, ut quae et Regiam Maiestatem, et quamplurium Procerum famam, qui ad coniuratorum partes transierant, vehementer laedere videbantur. Hinc Dux Populensis Cantelmus, et Princeps Cellamaris Caracciolus Maiello provinciam dederunt, ut quod in tanta publicarum rerum perturbatione acciderat, sine ullo et veritatis, et prudentiae discrimine literis commendaret. Eorum votis optime Carolus respondit, libellum edendo, cui titulus: *Coniuratio inita, et extincta Neapoli An.* CIƆIƆCCI. *Autuerpiae. Typis Iohannis Frik.*, CIƆIƆCCIV sine Auctoris nomine. Quae sane Historia tanta dignitate, ac Latini sermonis elegantia conscripta fuit, ut totus Literarius Orbis eam summopere probaverit, summisque laudibus extulerit, ideoque ex eo tempore Philippus V. Hispaniae Rex, et Ludovicus XIV. Gallorum Rex Maiellum, ut futuros Hispaniae Infantes ad omne doctrinae genus edoceret, destinarunt. Ea primum in Italicum sermonem, postea in Gallicum traslata fuit hoc titulo: *Histoire de la derniere coniuration de Naples* 12 *Lutetiae Parisiorum* CIƆIƆCCVI., cuius versionis Gallicae auctorem extitisse Johannem Claudium Riany ex Ordine Melitensi in Theologica facultate Parisiensi doctorem satis constat.

Interea acerrima concertatio ea aetate fervebat inter Romanam Curiam, et eos, qui Neapolitani Regis iuribus favebant de beneficiorum collatione, ac multi pro utraque parte omni vi, ac contentione qua voce, qua doctis elaboratisque operibus decertabant. Regias partes praecipue defendebat Alexander Riccardus Ictus Neapolitanus, ac postea Collateralis Consilii Regens, qui sub anagrammatico nomine: *Rinaldo Terra d'Isca* hoc opusculum edidit: *Ragioni del Regno di Napoli per la causa de' suoi beneficî Ecclesiastici*, in qua de Apostolica Sede minime ea reverentia, qua par erat, loquebatur. Quod sane in causa fuit, quamobrem noster Maiellus tan-

tam adversarii audaciam atque effrenatam disputandi libidinem minime aequo animo ferens, Romanaeque Ecclesiae iura, quod Catholicum virum summopere decet, acriter propugnans, librum evulgavit sub hoc titulo: *Regni Neapolitani erga Petri Cathedram Religio adversus calumnias Anonymi vindicata*: Anno CIƆIƆCCVIII. Quod opus totius Neapolitanae Ecclesiae nomine serenissimo Principi Hispaniarum Regi Carolo III. Austriaco dicare haud dubitavit, ea praesertim fretus ratione, quod, ut ipse in nuncupatoria Epistola loquitur: *tam rata ac coniuncta sunt Sacerdotii, et Imperii foedera, ut neque possit regnum consistere, exciso Religionis fundamento, neque possit Ecclesia concuti, nisi regia potestate plane convulsa.* Sed idem Alexander Riccardus, ne fasces Maiello submitteret, denuo cum eo maiore vi ac impetu pugnam instituens, hanc aliam scripturam publici iuris reddidit: *Considerazioni sopr'al nuovo libro intitolato: Regni Neapolitani erga Petri Cathedram religio adversus calumnias Anonymi vindicata.* In qua profecto tum suam priorem sententiam quasi pro aris, et focis tueri, tum Maielli famam iniuriis, conviciisque afficere ausus est. At Auctor noster illud D. Augustini Lib. VI *contra Iulianum c. I.* usurpans: *aderit Dominus, ut non solum veritas, sed etiam caritas tibi exhibeatur a nobis: nam et error veritate, et livor caritate pellendus est:* hanc impudentissimam Riccardi scripturam, quae admodum Ecclesiae exitiosa videbatur, modis tamen minime ab humanitate alienis refellendam suscepit. Quod sane per *Apolegeticum Christianum* CIƆIƆCCIX editum sine Auctoris nomine (nihil enim aeque, quam sui nominis celebritatem aversatus) praestitit. In hoc opere Regiae Maiestatis iura nullo pacto elevans et falsas adversarii opiniones Sedi Apostolicae omnino iniuriosas convellere, penitusque evertere, et Neapolitani Cleri honorem, cui Riccardus ignorantiae, ac levitatis no-

tam falso inusserat, omni argumentorum genere defendere adlaboravit. Quisquis doctorum virorum haec duo Maielli opera ad hanc quaestionem spectantia perlegerit, in dubium revocare nequit, quin Auctor cum dicendi copia, latinique sermonis nitore summam et in Ecclesiastica Historia, et in utroque Iure peritiam mirifice coniunxerit. Quare Iohannes Lama (*a*) tantam scribendi elegantiam in Apologetico iure meritoque admiratus est, ut illum non Apolegeticum Christianum, sed potius Ciceronianum inscribendum existimaverit.

Huiusmodi sane controversia, quae inter Maiellum, et Riccardum acerrime exarsit, late iocandi occasionem praebuit Nicolao Capassio in Carmine ad Abatem Andream Belvedere, in quo de vera *pedanteria* agit, ubi, dum Poëta Neapolitanum Ictum dictis facetis, ac mordacibus irridet, nostrum Carolum summis laudibus extollit (*b*). Sed ex hac eadem controversia Maielli famam celebriorem tum apud nostros, tum apud exteros viros evasisse liquido compertum est. Quum enim Ianus Vincentius Gravina has duas eruditissimas Caroli Diatribas Clementi XI. perlegendas obtulerit, Summus Pontifex utpote aequissimus ingeniorum aestimator, ac Litteratorum hominum perstudiosus, tanta animi voluptate eas pervolutavit, ut Auctorem agnoscere, Romam evocare, atque apud se retinere voluerit. Sed antequam Carolus ad Urbem proficisceretur, ne Neapolitanum Seminarium, quod optimis disciplinis per tot annos instituerat, plene deseruisse videretur, Alexium Symmachum Mazocchium, qui in regendis studiis eius vice fungeretur, sapientissimo consilio delegit. Quare biduo ante suum discessum Seminarii adolescen-

(a) In opere *Memorabilia Italorum eruditione praestantium*. Florentiae MDCCXLVII. Tom. II. Par. I. p. 197.

(b) *Consule librum. Varie poesie di Niccolò Capassi primario Professore di Leggi nella Regia Università. Napoli* 1761 *nella Stamperia Simoniana* p. 98.

tes in praedium Arenulanum duxit, ubi pauca de se suaque discessione, ac multa de Praefecti, quem ea de causa illuc invitaverat, eximiis animi atque ingenii dotibus loquutus est (*a*). Postea vero inter suorum alumnorum lacrymas, qui eum uti amantissimum parentem colebant, XI. Kal. Iulii CIƆIƆCCIX. e Neapolitana Civitate migravit, ac felici duorum dierum itinere Romam petiit, ubi primum a D. Philippi Nerii Presbyteris in Valliceana Aede hospitio exceptus fuit (*b*).

Mirum vero est, quanto honore, quantaque benevolentiae significatione eum Summus Pontifex amplexus sit. Hic autem quum tanti viri doctrinam non minus in sacris, quam in prophanis disciplinis penitus perspexisset, hinc factum est, ut nihil antiquius habuerit, quam ut alterum Vaticanae Bibliothecae custodem ipsum renuntiaret. Quo vero dignitatis accessione magis magisque cohonestaret, inter eos, qui ab intimo eius Sacello sunt, quod ut suspicor IX. Kal. Decembris CIƆIƆCCXI. accidit, cooptare voluit (*c*). Sed non multo post primo eiusdem Bibliothecae Custode Zaccagnio vita functo, eius locum XII. Kal. Aprilis sequentis Anni Carolus obtinuit. Mox ad eiusdem Bibliothecae praefecturam Kal. Iunii eiusdem anni communi doctorum virorum suffragio evectus fuit, quod summo rei litterariae bono evenisse ex iis, quae postea dicturi sumus, facile apparebit (*d*). Hinc iure Mazocchius sic Maiello scribebat: *praefecturam istam litterarum bono tibi delatam non possum isti Civitati summopere non gratulari* (*e*). Sed peropportunam occasionem ipse nactus est, ut in Romana luce quantum dicendi copiam, Latinique sermonis elegan-

(a) *Constat ex Vita Alex. Sym. Mazochii a Nicolao Ignarra conscripta. Neap.* CIƆIƆCCLXXII. p. 5.

(b) *Consule Eph. Mar.* 21 *Iunii* 1718 23 *Iunii* 1715 28 *Iunii* 1722.

(c) *Vide Ephemerides Marianas* 23. *Novembris* 1712.

(d) *Vide Eph. Mar.* 21. *Mar. et* 1. *Iunii* 1712.

(e) *Vide Mazzocchii Opuscola Tom. II. p. VIII.*

tiam calleret, non obscuro testimonio omnibus aperiret. Quum enim Carolus Thomas Turnonius Cardinalis amplissimus, atque in Sinarum Regno Summi Pontificis Legatus a latere post innumeros labores pro tuenda in illis dissitis regionibus Catholica fide exantlatos, post gravissimas aerumnas patientissime perlatas supremum in Urbe Macaone obiisset diem, ne tanti Viri erga Romanam Ecclesiam promerita debito honore carerent, sacra piacularia a Clemente XI. in Pontificio Sacello ei indicta fuerunt. Sacro itaque pro anima pientissima coram Supremo Antistite, ac omnibus Aulae proceribus peracto, eius laudes disertissima Oratione Carolus noster prosequutus est, quam ob dictionis venustatem, rectumque argumentorum ordinem omnium plausus excepisse ipse Auctor in quodam epigrammate ingenue fatetur (*a*). Habemus quoque de hac re Mazocchi locupletissimum testimonium, qui in quadam ad Maiellum epistola sic ei de huiusmodi oratione suos sensus expromebat: *superioribus diebus cum ad nos esset allatum, de secundis admurmurationibus, et quam maxime faventium studiis, quibus Orationem tuam prosecuti fuerant; tum tibi, ac si praesens esses, in gratulationibus habendis, tum Deo, ac B. Virgini agendis gratiis versati sumus; quod apud omnes, quos adis, tam bene semper audias; nec non aggrediaris ullam, in qua vel ingenii, vel virtutis praeclara non prae te feras argumenta* (*b*). Aliam quoque Orationem nescio utrum Italico an Latiali sermone conscriptam VII. Kalendas Martii CIƆIƆCCXII. habuit (nullum quippe huius Orationis vestigium superest) de rebus gestis ab Horatio Albano Clementis XI. fratre, quum in eius interitu iusta solverentur (*c*). Sed

(a) *Vide Eph. Mari.* 27 *Nov.* 1711.
(b) *Vide Op. Mazocchii* Tom. II. p. XI.
(c) *Vide Eph. Marianas* 23 *Feb.* 1712.

post paucos dies gravi morbo correptus, ut primum ope divina ab eo convaluit, explendi voti causa una cum eius fratre Ianuario, qui Romam venerat, ad Aedem Lauretanam IV. Nonas Maii contendit, ubi difficile dictu quanto mentis ardore, quanta lacrymarum vi et illam sacrosanctam domum veneratus sit, et divina mysteria ter peregerit (*a*). Inde Urbem reversus VIII. Kal. Iunii quum tota contentione severioribus studiis, atque sui muneris partibus animum intendisset, iterum in febrim, et in caetera, quibus afflictabatur, mala incidit. Quare quo salubriori caelo aliquando eius corporis vires firmarentur, Summus Pontifex ad Gandulphum diversurus rusticatum, eum comitem, famulumque VI. Idus Iunii secum ducere dignatus est (*b*). Sed morbo recrudescente ex medicorum consilio primum ad Nuceriam profectus est, ut aquis salutiferis epotis, et corpore per balnea madefacto languida membra antiquum instaurarent vigorem; postea autumnali eiusdem anni tempore sperans non parum utilitatis languidae saluti se allaturum, si aliquando a curis abstinens per amoena loca iter institueret, Florentiam, reliquasque Hetruriae civitates invisit (*c*). Sequenti anno CIƆDCCXIII. XI. Kal. Iunii aliam Orationem satis elegantem de laudibus SS. Pii Papae V. Andreae Avellinensis, Felicis Catalicensis, Catharinae Bononiensis, qui a Clemente XI. inter coelicolos adscripti fuerunt, in Aula Capitolina Italico sermone exaratam recitavit, quam eo in opusculo, cui titulus: *Il trionfo della fede sollennizzato nel Campidoglio dall'Accademia del Disegno il dì* 23 *Maggio* 1713. *Relazione di Giuseppe Ghezzi pittore p.* 23. typis evulgatam legimus. Per id temporis quum Nicolaus Capassius Regius nostri Athenaei Ante-

(a) *Vide Eph. Mar.* 4. 5. 6. 9. 10 *Maii* 1712.
(b) *Vid. Eph. Mar.* 8. *Junii* 1712.
(c) *Vid. Eph. Mar.* 27. *Sept.* 1712.

cessor ob diuturnam, et maxime acerbam lithiasin Romam venisset, ut lithotomi cultro diro cruciatu se subiiceret, summam Caroli nostri benevolentiam expertus est, qui illi et hospitium in sua domo dedit, et in maximis doloribus, dulcissimis verbis eum confirmare nunquam destitit. Qua occasione poëta ille lepidissimus, ut animum morbi molestia quodammodo levaret, iocosum illud carmen de *curiositatibus Romae* concinnavit (*a*).

Sed age ad alia munera, quae ipsi ob spectatam ejus virtutem, egregiaque ab eo patrata facinora collata fuerunt, summatim attingenda gradum nunc faciamus. Et primum quum Summus Sacrorum Antistes Clemens XI. eximiam in Caroli animo pro fide Catholica vindicanda adversus teterrimos Religionis hostes fortitudinem insidere plane intelligeret, eum inter Sanctae Romanae Inquisitionis Consultores adscripsit. Idem vero Pontifex, quem summopere venerabatur, honoribus augere exoptans, Vaticanae Basilicae Canonicatum, quod Sacerdotium et censu et dignitate amplissimum aestimandum est, XIII. Kal. Julii CIↃIↃCCXV. tribuit. Quare sic idem Mazocchius: *aestate iam proxime exacta cum te in amplissimum istud Canonicorum collegium allectum esse, rumor ipse ad me pertulisset, incredibiliter equidem delectatus sum* (*b*). Ad haec facile sibi persuadens, neminem Carolo nostro ad erudiendam iuventutem in spem Domini succrescentem, eamque ad pietatem efformandam inveniri posse, ipsum regendis adolescentibus, qui in Seminario Vaticano degebant, addixit. Quod sane officium per duodevinginti et amplius annos summa cura, ac vigilantia eum explevisse nemo unus ignorat. Et re sane vera in hac perdifficili provincia exornanda ipse adeo

---

(a) *Vide vitam eiusdem Nicolai Capassii, quae eiusdem Opusculis praefixa invenitur.*

(b) *Vide Op. Maz. Tom. II. p. VII.*

sedulam navabat operam, ut illud sacrum Ephebeum dumtaxat suarum curarum non modo maxima, sed unica videretur. Totus siquidem erat, ut pro iuvenum profectu et humanarum litterarum, et sacrarum disciplinarum studia non modo expolirentur, sed etiam novis recentium, ut aiunt, luminum accessionibus perficerentur. Totus ut iuventus suae fidei concredita, ne latum unguem a recta pietate, quam et exemplis et monitis ei instillare satagebat, unquam discederet. Illud autem summa admiratione dignum ab omnibus censebatur, quod ipse licet aetate esset provectus, et munerum honorificis in Aula titulis praefulgeret, nihil tamen suae dignitati detractum putabat, si praeceptoribus aut non firmae valetudinis causa aut alia ratione impeditis, ipse ad Clericos in Scholis erudiendos descenderet. Qui profecto si aliquando inopia laborabant, nullum in studiorum curriculo detrimentum patiebantur, quum Maiellum summa animi liberalitate omnia, quibus illi indigere videbantur, erogasse certissime constet. Quinimo pro illius Ecclesiastici Contubernii necessitate pecuniae summam multo maiorem, quam ipse ex proventibus recipere poterat, commodis alumnorum amplificandis, augendoque magistorum numero, et reditu, pependit largiter. Cumque huiusce Seminarii aedes angustae, confluentium numerum minime caperent, multum Carolus adlaboravit, ut ex Benedicti XIII. beneficentia aedificium peramplum ac decens a sedibus imis erigeretur. Aliud etiam onus sub exitu sui Pontificatus Clemens XI. Carolo imposuit, quod plurimum laboris ac diligentiae, plurimumque eruditionis postulasse nullus est, qui non videat. Quum enim pastor vigilantissimus multos libros, quibus Graeci in liturgia, aliisque sacris ritibus utebantur, turpibus erroribus, qui diro illius gentis schismati favebant, foedatos esse animadvertisset, ad illos purgandos, emendandosque animum convertit. Quae sane emendatio ut facilius meliusque perficeretur, Cardinalium, et aliorum doctissimorum viro-

rum instituit consessum, qui hoc opus absolverent. Huic coetui Maiellum adiunxit, qui utpote in Graeco idiomate peritissimus, illorum Voluminum sordes abstergere, et veteribus precum formulis, quae haeresim redolebant, omnino deletis, novas puritati fidei Catholicae consonas adornare optime poterat (a). Denique quanti Carolum idem Pontifex faceret, ex eo facile quisque intelligere potest, quod nulla ea tempestate extitit quaestio, illaque gravissima, de qua eius sententiam non postularet. Hinc eiusdem Clementis iussu varia argumenta doctissimis disquisitionibus persequutus est, uti de Sicula Monarchia, de Sinensibus ritibus, de subiectione, quam S. R. E. Cardinales ubique locorum Supremo Pastori gerere debent, de Quesnelliana haeresi et caetera huiusmodi. Qua vero benevolentia ipsum complexus sit, vel ex hoc colligere licet, quod saepe cum eo colloqui, ipsum in Bibliotheca severioribus studiis occupatum invisere, apud se vel Vaticano, vel in Quirinali Palatio retinere, ac pene semper Gandulphum, aut Tiburem rusticationis tempore petens Maiellum comitem adscisci dignaretur.

Sed et Innocentio XIII. qui Clementi in Petri Cathedra successit, non minus carus, acceptusque fuit, apud quem Caroli virtutem Dominicus Riviera tum a Supplicibus libellis, postea amplissimus Cardinalis summis laudibus extulit. Ab hoc enim Pontifice tantum Maielli doctrinae, ac prudentiae tributum fuisse accepimus, ut quum de rebus Christianae Reipublicae difficilioribus deliberaretur, semper ipsum in consilium adhiberet; nec quidquam, nisi prius audita eius opinione, sibi agendum existimaret. Nunquam vero Pontifex aliorum consiliis acquiescebat, nisi cum Carolus remotis arbitris ea agi posse ex consulto affirmaret. Interea Petri navi-

(a) *Vide Ephemerides Marianas* 12. *Feb.* 1720.

culam hoc praestantissimo Pontifice gubernante, dissidium inter Caesaream Maiestatem, et Romanam Sedem de Comaclensis Civitatis ditione iam sub Clementis pontificatu coeptum, acriter utrinque partibus pugnantibus promotum fuit. In qua quidem controversia a doctissimis viris pertractata quantum sollertia, et consilium Maielli, cui Pontifex Innocentius hoc negotium detulit, valuerint, quantum eius scripta Ecclesiae iuribus profuerint, ut res ipsius ferme ductu manuque confecta videretur, testis est locupletissimus Stephanus Evodius Assemanius (*a*), qui id certo certius ex privatis testimoniis cognovisse affirmat. Ab eodem vero Auctore memoriae etiam proditum est eousque tanti Pontificis antiquis moribus praediti de Maiello existimationem procesisse, ut tum in privatis colloquiis peramanter, comiterque semper eum exceperit, tum quoque publice, cunctis Aulae proceribus spectantibus, plenissimas benevolentiae, et honoris significationes ei dederit. In quo tantum abfuit, ut hic Vir summa praeditus modestia de sui studiosissimi Principis benignitate aliquando plauderet, ut potius ne Pontificiae liberalitatis oculis incideret, occasionemque captandi laudes incurreret, non semel latebras quaerens, in turbam confertissimam Aulicorum se abdiderit.

In demortui autem Innocentii locum Benedictus XIII suffectus est supra hominum memoriam commendatissimus: qui quidem quanti Carolum fecerit, vel illud est argumento, quod statim a Pontificatu inito perhonorificum ad viros Principes conscribendarum litterarum munus Nonis Iuniis CIↃIↃCCXXIV. communi doctorum virorum suffragio ei detulit (*b*). Hinc Alexius Symmachus Mazocchius animi sui iucundissimi sensus Maiel-

(a) *In vita eiusdem Caroli Maielli ab ipso conscripta, quae in Opere Assemanii*: Acta SS. Martyrum Orien. et Occiden. *extat.*

(b) *Vide Eph. Mar.* 5 *Iunii* 1724.

lo hoc praeclarissimo honore a Pontifice affecto in quadam epistola aperiebat: *Ego vero tibi, vir sapientissime, novae dignitatis accessionem et magnopere gratulor, et ut ad illam longe maximam, quam omnes boni tamdiu tibi dilatam succensent, proximus is gradus sit, vehementer cupio. Novimus omnes, quicumque de tuo sinu sumus, quam ista omnia non magni facias, non modo dignitatum, sed tui etiam ipsius despicientissimus* (*a*). Sed quanta in novo gerendo officio industria et dexteritate usus sit, quamque praeclarae Pontificis de se optime existimantis opinioni responderit in iis transigendis negotiis, quae eius fidei credebantur, non est cur pluribus declaremus: ex multis enim epistolarum voluminibus, quae ille eo tempore elucubravit, cuivis proclive erit hoc ipsum apertissime cognoscere. Iuvat quoque de hac re gravissimum Philippi Bonamicii sic loquentis iudicium ante oculos habere, qui Maielli in tam glorioso labore successor fuit (*b*). *Magna erat* (Maiellus) *apud omnes existimatione doctrinae, praesertim quum vita, mores, vultus denique ad gravitatem quandam compositus augeret. Non mirum igitur, si eum Benedictus Tertiusdecimus statim ab initio Pontificatus ad epistolas conscribendas suas adhibere voluerit. Cui certe satisfecit ille praeclare. Rem enim prudenter videbat: omnia fere ad confirmandum argumenta hauriebat e sacris litteris; eaque non humili sermone affligebat, neque indiligenter composito, sed oratione sustentabat, quae rotunda erat, splendida, et perfacile currens, neque aberat gravitas, succus, vis. Sunt qui maiorem in verbis latinitatis diligentiam*

(a) *Vide Mazocchii Opuscula Neap.* CIƆIƆCCLXXI. Tom. I. pag. 157.

(b) *In dialogo de claris Pontificiarum epistolarum scriptoribus ad Benedictum XIV. inter eiusdem Bonamici opera Lucae edita* CIƆIƆCCLXXXIV. Tom. I.

requirant. Multa enim neglecta, sive potius consilio quodam adhibita, quod iis serviret, quibus nulla satis Ecclesiastica videtur oratio, nisi eadem barbara et abiecta sit. Quin etiam memini, quum diceret, sibi quondam vitio datum esse ab uno quodam ex Aulae primoribus, quod nimis latine scriberet, neque verbis uteretur interdum paullo negligentioribus; quasi aut in recte scribendo quicquam nimium, aut ulla in re possit esse negligentia laudabilis. Hucusque Bonamicius. Hic autem non est praetereundum, quod quum Carolus hoc munere fungeretur, et Benedicti XIII. iussis parens, et Cardinalis Polignac Gallorum Regis ad Pontificem Legati suasionibus obsecundans, nullum non movit lapidem, quominus Cardinalis Noalliensis Parisiorum Archiepiscopus post diuturnam non sine bonorum offensione pertinaciam in Apostolicis decretis respuendis, tandem aliquando legem Pontificiam *Unigenitus* iuraret, suaque manu subscriberet. Quod sapientissimis litteris ad illum Pontificis nomine datis assequutum fuisse tam certum est quam quod certissimum; ut Gallorum Antistites Maielli prudentiae prosperum huius lubrici ac difficilis negotii exitum iure meritoque optimo adscriberent (*a*).

Aliud quoque benevolentiae argumentum Benedictus XIII. Maiello dedit; nam praeterquamquod honorificum Sacerdotium ei contulit ad Emesenam Archiepiscopalem Ecclesiam in Purpuratorum consessu, quem Concistorium vocant III. Id. Sept. nominatum, confirmatumque, eum propriis manibus IX. Kal. Oct. CIↃIↃCCXXIV. consecrare sacrisque infulis ornare dignatus est (*b*). Idem vero Pontifex, qui nihil unquam sine eius consilio in rebus gravissimis agebat, eiusdem

(a) *Vide Iohannem Lama in opere: Memorabilia Italorum eruditione praestantium.* Tom. II. p. 198.

(b) *Vide Eph. Mar.* 21. *Sept.* 1724.

precibus indulsit, ut amplissimae Capuanae Ecclesiae Canonici Pontificalibus indumentis uterentur. In quo sane negotio quum primas ageret Alexius Symmacus Mazocchius tunc temporis illius Ecclesiae Canonicus, ac postea Neapolitani Capitoli clarissimum decus, hac de causa anno saeculari CIƆƆCCXXV. ad Urbem venit atque in Caroli domo per bimestre moratus est (*a*). De nostro autem Capitulo etiam Maiellus optime meritus extitit; eius quippe opera Benedictus XIII. facultatem, quam Canonici ex sanctissimi Papae Pii V. liberalitate potiebantur, induendi Pontificum vestes, adprobavit, novisque concessionibus ampliavit.

Benedicto e vivis sublato, pontifex est factus Clemens XII. e nobilissima Corsinia gente, qui Maielli doctrinam, prudentiam, vitaeque probitatem optime noverat, et tanti ducebat, ut nunquam se vidisse hominem affirmaret, qui adeo excelleret eruditione, ingenio, moribus, quique de se, suisque meritis, et laboribus tam demisse ac modeste sentiret. Itaque is statim munus conscribendarum epistolarum ad Reges, quo Carolus sub decessore perfunctus fuerat, ratum habuit. Quod summae eius laudi adscribendum nemo ullus negabit. Nam quum per id temporis non pauci ex demortui Pontificis familiaribus de variis criminibus traducerentur, tantum abfuit ut ne levissima quidem suspicio de Maielli integritate, qui inter Benedicti XIII. intimos connumeratus erat, oboriretur, ut potius dignissimum, qui ab hoc praeclarissimo officio minime arceretur, supremus Pastor existimaverit. Quare nullus sane dubitavit, quin Clemens XII. in cuius laudibus summis illud est praecipue repositum, quod praemiorum dispensationem virtutibus, ac illustribus singulorum gestis aequaret, Virum hunc praestantissimum de Ecclesia optime meritum ad eminentioris dignitatis or-

(a) *Vide Epistolas Mazocchii ad Maiellum in opusculis eiusdem Mazocchii.*

namentum promoveret. Hoc profecto summopere tota Romana Aula, in qua nullus fere extabat, qui de ipso non praeclare loqueretur, optabat. Immo quotquot ex Purpuratorum numero erant, nunquam iteratis precibus Pontificem, ut in eorum album Carolum adscriberet, rogare destiterunt (*a*). Imprimis vero Cardinalis de Polignac Gallorum Regis Legatus, quem Principis nomine pro eo apud Pontificem intercessisse compertum est (*b*). Sed nescio qua praesertim de causa tantorum vota, qui iure meritoque Carolum ad amplissimum dignitatis gradum promotum desiderabant, irrita omnino reddita sint. Forsitan Deus Optimus Maximus, ad cuius gloriam omnia Carolus referebat, atque assidue laborabat, eo maiori gloriae fastigio in caelis coronare voluit, quo minore praemio eum affici in terris passus est.

Sed antequam ad annos extremos huius praestantissimi Viri deveniamus, pauca de eius laboriosis, ac eruditissimis elucubrationibus delibare operae pretium ducimus. Et re sane vera somni admodum parcus, ac laboris patientissimus, quidquid otii e gravioribus supererat curis, quibus detinebatur, id omne legendo, aut scribendo subsecivis horis trasmittebat. Quumque Bibliothecae Vaticanae praeficiendae esset intentus, ubi totus se libris immiscuit, ita veterum sapientiam scrutatus est, ut de abstrusis argumentis docte ornateque disserere ipse potuerit. Hinc nonnulla ad Positivam et Scholasticam Theologiam spectantia doctis diatribis explicavit, nec non Tractatum de Episcoporum Catalogorum auctoritate adornavit. Tum Orthocrisin in acta Martyrum contexuit,

---

(a) *Vide Iohannem Lama in Opere: Memorabilia Italorum doctrina praestantium* Tom. I. p. 198.

(b) *Consule Opus Francisci Antonii Soria — Memorie I. storiche degli Scrittori Legali del Regno di Napoli Tom.* II. *pag.* 380 *Neapoli* CIDIOCCLXXII.

eos refellens qui plus aequo in suspicionem ex levibus coniecturis vocant, quaecumque de genere martyrii vetera monumenta testata relinquerunt, ubi etiam de eorundem Martyrum memoria, cultu, reliquiis, festisque celebritatibus, de coemeteriis, de variis martyriorum generibus, de ritu, statuque orandi ante martyrium copiosissime egit. Praeterea alio libro omnimoda eruditione refertissimo, cui titulus: Martyres Christianae doctrinae vindices, id sibi demostrandum statuit, ut quemadmodum Theologi ex auctoritate Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Historiarum ab Haereticorum erroribus Fidei principia defendunt, sic ipse ex Martyrum sinceris et indubiis actis easdem veritates invictissime asserere totis viribus adlaboravit. Ad haec in alio Opuscolo de moribus et ritibus Ecclesiasticis, quibus et priscis temporibus Romana Ecclesia utebatur, plenam expositionem dedit. De Dodwelli autem censura, de Origenismo, de Haeresibus, de communione, de iudicio in primam Tabulam Menologii disquisitiones doctissimas instituit. In ἄωρα Βρεφη Commentarium cruditissimum conscripsit, in quo de precibus Graecorum, Chaldaeorumque pro parvulis immaturis, deque veterum S. Patrum circa hoc caput iudicio disertissime tractat, atque ex ipsa Graecorum verborum vi et significatione, quid sibi velint ἄωρα Βρεφη, luculenter demonstrat. De pestilentia vero, quae Regnum Neapolitanum An. R. S. CIↃIↃCLVI. infecit, brevem expositionem concinnavit, cuius exemplar apud nos extat. Haec sunt tanti Viri doctissima Opera, quae vel temporis iactura, vel singulari Auctoris modestia flammis donata, summo Rei litterariae damno omnino perierunt. Sed ex tanto naufragio tria tantum opuscula supersunt, scilicet de Eusebiana Actorum veterum collectione, de Stylitarum ordine, institutoque, de epocha Martyrii Sanctae Theodorae Meretricis, quae admiranda Stephani Evodii Assemani diligentia ex dispersis dissipatisque fragmen-

tis, quae ei Dominicus Maielli Caroli nostri ex fratre nepos ei suppeditavit, edenda curavit.

Quod ad primum opusculum spectat, de quo heic sermo, eorum opinionem refellendam suscipit, qui perperam docent Eusebium praeter librum de Palestinae Martyribus sua aetate coronatis, alterum etiam conscripsisse de antiquis Martyribus, quorum passionem, historiam, actis advectis, enarraverit, quem diu licet, impenseque conquisitum cum ingenti sacrae eruditionis detrimento adhuc desideramus. Ex testimonio siquidem ipsius Eusebii luculentissime demonstrat hunc scriptorem in eo dumtaxat suam operam profuisse ut acta, et monumenta, quibus essent ab aliis consignata, Veterum Martyria collegisset, eorumque collectionem ad nos emisisset, quae fuit instar earum, quas Graeci Μαρτυρικα, nostri vulgo *passionalia* adpellant. In altero Opusculo de Stylitarum columnis, de earum modiis, scalis et mandriis, ac de Stylitici ordinis origine, progressu, incremento, et interitu per diversas temporis vices doctissime tractat, quae Diatriba Maielliana S. Simonis Stylitae actis subiacet, quae a Cosma Presbytero eiusdem S. Simionis familiari conscripta ex Chaldaico Codice I. Nitriensi Vaticano primum in lucem prodidit in laudato Opere idem Assemanius. Tertium Opusculum certamen a S. Theodora Meretrice tolleratum exhibet, in quo de Martyrii huius mulieris tempore copiosissime agit, et ipsorum Actorum veritatem ab adversariorum telis omni argumentorum genere vindicat. Denique habemus vitam Michaëlis Mercati typis editam, quae a Maiello conscripta huic Operi eiusdem Mercati: *Metallotheca*, praefixa legitur.

Ex his, quae hucusque disputavimus clarissime apparet fuisse Maiellum virum omnigena eruditione praeditum, et in omnibus facultatibus ad miraculum edoctum, qui nunquam in variarum scientiarum curriculo progredi destitit. Ita provecta iam aetate et gra-

vissimis rerum moliminibus circumventus, Samaritanae, Syriacae, Chaldaicaeque linguae cognitionem sibi comparare non dubitavit, Iosepho Simonio Assemanio istituente, Arabicam quoque aggressurus, si gutturis hiatu voces aptius proferre licuisset. Verum ad Hebraicae linguae captum ea fuit hominis fama, ut superba illa et pertinax Rabbinorum Schola, Christianis hominibus infensissima, Maiellum saepe, si quibus verborum ambagibus fluctuabat, veluti oraculum nativi idiomatis in divinis libris vel intelligendis vel explicandis merito consuleret. In quo quidem idiomate quantum ipse valeret, ex eo certe suspicari licet, quod ipse adhuc florente aetate saepius in Academia Ducis Augustobrigae Neapolis tunc proregis Ebraice disseruerat. Nihil hic vero dicam de summa eius peritia in Theologicis, Philosophicis disciplinis, et in Antiquitatis inventis, quum et haec studia semper ipse professus fuerit, et late de his disputaverit. Sed illud certe summa admiratione dignum, quod in conventu clarissimorum Iurisperitorum accitus, adeo legum scientia instructus apparuit, ut in difficillimis quaestionibus repente responsa emittere, dubia a certis discernere, praeceptorum naturam exponere, consuetudinum indolem explicare facile potuerit. Ut vero litterae ac scientiae, quae admodum ipsi cordi erant, novis gazis ditarentur, ipso curante Iosephus Simonius Assemanius ad Orientales Codices Manuscriptos in Asiam, et in Africam conquirendos missus fuit (*a*). Erga Neapolitanum Seminarium ita affectus est, ut etiam absens per epistolas fratri suo Ianuario datas de litterarum incremento ibidem satagere studuerit, illumque ad vertendam a Gallico in Italicum idioma Grammaticam vulgo *Porto Reale* ad usum eiusdem Semina-

(a) *Vide praefactionem Operis supra laudati Stephani Evodii Assemanii: Acta Martyrum Ecclesiae Orientalis et Occidentalis.*

Digitized by Google

rii, quae Typis edita fuit anno CIↃIↃCCXXII. impulerit (*a*).

Tot improbi diuturnique labores tum pro gravissimis muneribus fungendis, tum pro severioribus studiis colendis ab eo exantlati in causa fuerunt, quamobrem non firma eius valetudo continuis fere malis affecta in dies magis magisque declinaret. Hinc XIII. Kal. Februarii An. CIↃIↃCCXXXIV. in periculosum incidit morbum, eoque ingravescente VI. Kal. Martias, ut Medicorum consiliis pareret, ad patrium solum regredi coactus fuit. Ex Urbe Neapolim reversurus, Capuam subsistens triduum et binoctium apud Alexium Symmachum Mazocchium summa animi voluptate hospitatus est, cui idem ut Carolus de tanti Viri benignitate gratum animum expromeret, sic Ei scribebat: *Liberali hospitio, dum istuc ex Romano itinere divertissem, exceptum, tot tantisque beneficiis augere, et plurimis incommodis fractum reficere et recreare studuisti, ut excidere animo tantae humanitatis recordatio non possit* (*b*). Postea quo Caeli benignitate convalesceret, ad praedium Arenulanum venit, (*c*) ubi quum moraretur

(a) *Consule Vitam Caroli Maielli a Ianuario Radente conscriptam, quae inter alia illustrium Virorum elogia extat in editione Cornelii Nepotis ad usum Seminarii Neapolitani.*

(b) *Inter Opuscola Alexii Symmachi Mazocchii Tom. I. pag.* 158.

(c) *In hac Villula quum Maiellus a primis annis convenisset sub quadam Deiparae imagine hoc epigramma ab ipso compositum apponendum curavit.*

Quisquis adis sacro Mariae de nomine dictum,
Et tanta felix auspice praediolum.
Divam laetitiae primum venerare parentem,
Castam sancta decent omina laetitiam.
Oscula nec carae pigeat dare debita Matri,
Cedere cum tectis iusserit acta dies.
Fortunata dies, solatia dulcia, Virgo
Si tibi principium, si sibi finis erit.
Alios quoque titulos Carolus conscripsit, uti epigramma

id accidit, quod Vincentius Calà Surrentinorum Antistes in quadam Epistola ad Patrem meum Carolum Antonium de Rosa Villaerosae Marchionem late refert (*a*). *Narrabat* (sic laudatus Auctor) *Ignatius Calcius tunc praeceptor noster, quum una cum Mazocchio nostro in Arenulano rusticaremur , Maiellum cum a Clemente XII. cui erat a secretis Brevium ad Viros principes , veniam postulasset divertendi Neapolim ad puriorem aërem natalis soli ex medicorum consilio expirandum, hac lege impetrasse, ut recta in Arenulanum diverteret : neque se unquam in urbe conspiciendum daret ; tunc enim temporis fervidae concertationes inter regios huius regni ministros et Romanam sedem exardebant. Quod quum sancte servasset , quadam die desiderium ostendit videndi Seminarium illud , quod tot annos Rector gubernaverat, atque adeo zethecas illas , quas incoluerat, quosque ego postea grandiusculus occupavi. Quod quum ii qui aderant, id caute fieri posse dicerent, ut nemo hominum id scire posset, sententiam pronunciavit probi et bene morati hominis dignam : nihil admittendum earum rerum, quas non debemus, ea spe, quod non sciatur.*

At ipse etsi puriorem aërem per amoena loca in Neapolitani littoris plagis respiraret, omnibusque medicae artis praesidiis uteretur, quadriennium pene integrum graviter aegrotans, nullo tamen pacto pristinam valetudinem recuperare potuit. Ex chyli enim et sanguinis contagione, cibis acescentibus, alimenta, quae

---

pro Aedis restauratione D. Antonio sacrae, quod in eius templo adhuc legitur, et inscriptionem, quae in plaga Olympiaca vulgo Chiaia *iussu proregis Ducis Medinae Caeli apposita fuit. Vide Geographiae , rei librariae , et poeticae elementa. Neap.* MDCCLXIII. *Ad usum Sem. Neap. Prae foribus Seminarii Neap. alius titulus ab eo compositus spectanti adhuc occurrit.*

(a) *Hanc Epistolam cum multis aliis Opellis ineditis eiusdem Calà nos asservamus.*

ipse sumebat, quum minime in nutrimentum converterentur, corrumpi in eo coeperunt. Hinc factum est, ut ex nimia corporis extenuatione, atque debilitate illud tabis genus contraxerit, quod Graeci καχεξιαν vocant, quodque ipsum omnino consumpserit, atque omnium bonorum moerore ad amittendae vitae discrimen perduxerit. Vehemens vero mali percussio adeo illum afflixit, ut et membrorum vires omnino amitteret, et vividam illam ingenii aciem, quo semper potitus erat, perderet. Hinc quum medici letargicum hunc torporem ex Pythecusarum balneis excuti posse existimarint, illuc se contulit; verum ex ipsis nihil utilitatis assecutus est (*a*). Toto vero tempore, quo ipse tam pertinaci ac gravi morbo conflictabatur, tantum abfuit, ut lamentationis voces emitteret, ut potius vel sub silentio maximos cruciatus substineret, vel in tanta doloris acerbitate ad suum animum confirmandum illas sacrorum librorum sententias crebro usurparet: *iustus es Domine, et rectum iudicium tuum, ...sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Optione vero aliquando facta, medicis conniventibus, ut libere diceret, si quid magis gustui consonum optaret; ipse ne ex voluntate et studio sui agere videretur, nunquam adduci potuit, ut proprium desiderium familiaribus aperiret. Imo quidquid gustu olfactuque asperum atque insuave propinandum proponebatur, summa animi patientia sumere haud renuebat. Ipse vero quo divini Servatoris exempla sectaretur, qui Cruci pro humani generis salute affixus innumeras poenas patientissime toleravit, manibus supra pectus ductis ita immobilis aliquando apparuit, ut ad nullum naturae motum, ad nullam nervorum concussionem penitus se moveret, atque in eodem statu licet doloribus fractus permaneret. At li-

(a) *Vide Iohannem Lama in opere supra laudato.*

cet in extremis vitae spatiis corpore omnino deficeret, animum tamen semper ad Deum ferventissimis cordis affectibus levabat, atque Deiparam Virginem suam amantissimam parentem, patronamque suam praesentissimam Carminibus qua Graecis qua Latinis, uti semper consueverat, laudare nunquam destitit. Tandem vi morbi oppressus placidissime decessit III. Kalendas Januarii CIƆIƆCCXXXVIII., uti ipse cupidissime optaverat, Christi Domini natalis sollemnibus diebus recurrentibus. Elatus est magna vulgi frequentia, comitantibus quamplurimis bonis, qui tanti Viri iacturam amaris lacrymis deflebant, inque Aede propria S. Aspreni, iuxta alteram Beatae Mariae Virginis de Principio in S. Restitutae Basilica sepultus est. Canonici vero Metropolitanae Eclesiae Maiello maximis obstricti beneficiis, non solum eum supremis funeris officiis prosequi, sed eius effigiem vivis coloribus expressam in proprio Tabulario asservari voluerunt, sub qua hoc elegantissimum Epigramma Alexius Symmachus Mazocchius conscripsit: *Carolus Maiellus Neap. olim Canonicus, deque hoc Capitulo optime meritus, quantus a puero pietate et litteris fuerit, Seminarium hoc eius ope ad tantam gloriam provectum declaret. Nihil certe in abstrusioribus disciplinis et linguis arduum fuit, quod non vi ingenii et labore pervicerit. Ultro Romam a Clemente XI. evocatus, et tum Bibliothecae Vaticanae Praefectura, tum Canonicatu S. Petri donatus, postremo a Benedicto XIII. Secretarius Brevium ad Principes, et Archiepiscopus Emissenus creatus fuit, in quibus muneribus praeter auream eloquentiam, et Latini sermonis nativam elegantiam eum virtutibus omnibus ad miraculum enitteret, nullum in Aula Romana maioris moliminis negotium fuit, quod non eius opera feliciter cesserit; omnium opinione Cardinalatu dignissimus. Neap. obiit* III. *Kal. Januarii* An. MDCCXXXVIII. *in hac Basilica tumulatus. Vixit annos* LXXIII. M. VIII. d. XII.

In eius vero tumulo defuncti frater Januarius Metropolitanae Ecclesiae Canonicus Cardinalis primus Praebendatus hunc titulum apponendum curavit.

CAROLO MAIELLO ARCHIEP. EMISSENO.
EX HUIUS ECCLESIAE METROP. CANONICO
OB EXIMIAM PIETATEM OMNIGENAMQUE DOCTRINAM
A CLEMENTE XI. ROMAM ACCITO
VATICANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTURA
BASILICAE CANONICATU
ET HONORE SACRI CUBICULI ORNATO
A BENEDICTO XIII.
A SECRETIS BREVIUM AD VIROS PRINCIPES ELECTO
ET ARCHIEPISCOPATUS DIGNITATE INSIGNITO
DIUTURNI MORBI VIRULENTIA NEAP. EXTINCTO III.
KAL. DEC. MDCCXXXVIII.
IANUARIUS TIT. S. MARTINI PR. PREBS. PRAEBENDATUS
GERMANO FRATRI BENEMERENTISSIMO
SACRAM D. ASPRENO ARAM EX ELECTIS MARMORIBUS
PRO MUNUMENTO P. AN. MDCCXXXXV.

Nunc vero sub exitu huius Commentarii domestica, ideoque minus nota Maielli facta cursim attingamus oportet, quae illum profecto virtutum omnium exemplar absolutissimum nobis exhibent. In primis memoratu digna occurrit egregia illius pietas, atque in Deum religio, qua quidem ductus, gravissimis licet plurimisque distentus occupationibus, nunquam tamen sacras quotidianas precationes, ceterasque officiorum Christianorum partes, uti a puero instituerat, tota vita obire intermisit. Quidquid vel leviter Divinae maiestatis oculis displicere poterat, summa cura vitans, assidue in se, suasque actiones inquirebat; cavebatque diligenter, ne quid faceret, aut diceret, quod reprehensum, aut revocatum vellet. Tanto animi ardore, tantoque caritatis aestu rem divinam quotidie faciebat, ut divinus, quo intus flagrabat, ignis foras erumpere, flammeoque colore vultum perfundere cerneretur. Quod si aliquando a

Digitized by Google

sacris infirmitatis causa abstinere debebat, incredibile dictu est quanto afficiebatur dolore (*a*), atque mirifico desiderio divinum panem manducandi incensus, etiam in lectulo aegrotans sacram synaxim sumere volebat (*b*). Prolixius autem ante aras orare consueverat, praesertim Neapoli ante D. Ianuarii Confessionem, quem summopere colebat, atque tum diurnis tum nocturnis horis de genu supplex, et non semel in faciem pronus augustissimum Eucharistiae Sacramentum tanto fervore, tantaque animi amotione venerari in morem habebat, ut extra sensus raptum merito quis crederet. Romae vero maximis licet distentus occupationibus, Bacchanalis licentiae tempore ad illas Ecclesias se conferebat, ubi sacratissimum divini amoris mysterium fidelium venerationi publice expositum inveniebatur (*c*). Beatam quoque Deiparam summa coluit observantia, eiusque patrocinium non uno assequi studuit obsequii genere, praesertim vero suavissimis, atque elegantissimis pangendis carminibus; quorum unum saltem quotidie veluti munus parenti optimae offerre in deliciis habuit, atque amare illum diem deflebat, quo oblivione captus usitato Epigrammate Virginem laudare destitit (*d*).

Nihil profecto in gravissimis laboribus, quos per tot annos invicta animi fortitudine sustinuit, iucundius, gratiusque accidere ei poterat, quam suam amantissimam genitricem laudibus extollere, cuius opem semper tum mane, tum sub horis vespertinis supplicibus votis invocare nunquam intermisit, tantaque observantia, atque dilectione illam prosequebatur, ut nullo pacto cum iis, qui licet doctrina praestantes, pietati tamen erga Virginem vel scriptis

(a) *Vide Eph. Mar.* 16 *Feb.* 1714 *et alibi.*
(b) *Vide Johannem Lama in Opere laudato.*
(c) *Vide Eph. Mar. I. Martii* 1726.
(d) *Vide Eph. Mar.*

vel sermonibus aliquid detractum vellent, amicitiam sibi ineundam existimaverit (*a*).

Incredibile dictu est quanto studio divinae gloriae promovendae ipse incensus esset. De qua re quum innumera in eius vita argumenta occurrant, nos tamen brevitati consulentes pauca tantum attingenda ducimus. Et sane huius rei testis profecto extitit ea maxima sollicitudo, quam in efformandis iuvenibus in sortem Domini vocatis assidue adhibebat, quibus saepe sacra eloquia ipsis annuntiasse non temere coniicimus (*b*). Testis ea diligentia, qua gravissima negotia a Summis Pontificibus Ei collata, cunctis superatis difficultatibus, felici exitu expediebat. Testis est ille amor, quo erga concreditam sibi sponsam Emesenam Ecclesiam affectus apparuit, cuius vineae colendae ne sibi deesse videretur, singulis annis duos Viros Apostolica virtute subactos ex proprio aere substentabat, qui in illis dissitis regionibus Dei verbum praedicarent. Testis denique ea cura, quam ipsum ostendisse indubium est, ut qui ei sanguinis vinculo coniuncti erant, non parum in virtutibus proficerent. Nam praeterquam quod fratres optime in Neapolitano Seminario educari curavit, Deum simul cum matre foemina piissima enixis precibus rogavit, ut et germanos et sorores eum vitae statum eligerent, quo arduam salutis semitam facilius securiusque sectari possent. Cuius votis Dominus benigne annuit: siquidem, dum adhuc viveret, omnes divino servitio mancipatos praeter unum qui augendae familiae causa nuptiali foedere fuit ligatus, cum ingenti animi sui voluptate vidit (*c*).

(a) *Vide Eph. Mar.* 17 *Feb.* 1724. 19 *Feb.* 1716, *et* 20 *Iulii* 1715.

(b) *Iohannes Lama in Opere laudato posteritati commendatum voluit Maiellum multos sermones de vitiis et virtutibus Manuscriptos reliquisse.*

(c) *Iohannnes Maiellus Caroli frater XIV. Kal. Ian. an-*

Quare fuit omnium, quicumque Maiellum penitus noverant, constans fama, et firma consensio, eum nihil aliud in suis curis ac laboribus, quam Dei

---

no CIƆIƆCLXXX. *e Seminario in Dominicanam familiam adlectus S. Theologiae laurea insignitus toto ardore animarum saluti incumbuit, pro quarum profectu tum libros ad pietatem fovendam edidit, tum illarum apostolicarum expeditionum auctor fuit, quas vulgo* santae Missionis *appellant. Demum praenuntiato sui obitus die naturae debitum placidissime reddidit III. Nonas Aprilis Anno* CIƆIƆCCLX.

Albertus Maiellus Domenicanae familiae etiam alumnus religione erga Deum, caritate erga proximum insignis multa de rebus Ecclesiasticis erudite scripsit. Decessit Anno CIƆIƆCCXXXX.

Duae Caroli sorores quum ad Christi Domini nuptias cupidissime exarsissent, in claustris D. Theresiae sacris vitam duxerunt.

Caeteri fratres sacris initiati sunt, inter quos profecto Ianuarius eminuit. Is profecto An. CIƆIƆCLXXIII *natus primum cum Carolo in seminario Neapolitano educatus, ibique in Graecis, Latinis, Hebraicisque Litteris eruditus, atque ibidem Rhetoricam, Pontificias, Caesareasque leges per multos anno, maximo doctrinae praeconio adolescentes edocuit. Ex numero inferiorum ministrorum, qui Metropolitanae Ecclesiae in sacris Ministeriis inserviunt per Hebdomadas in amplissimum Canonicorum collegium adlectus, morum suavitate, vivendi temperantia, atque rerum gerendarum dexteritate omnium et amorem, et venerationem ad se adlexit. Defuncto Cardinali Pignatelli Archiepiscopo Neapolitano Capituli Vicarius renunciatus huius Archidiocaeseos rem summa prudentia rexit. Iosephus vero Spinellius Cardinalis amplissimus, et Pignatelli successor primum eius opera usus, ut per vicarium generalem potestatem hanc Ecclesiam administraret, deinde sanctimonialium curam ei contulit. Grammaticae* Porto Reale *Italicam editionem a se elaboratam ex Gallico idiomate typis vulgavit anno* CIƆIƆCCXXII *tum Synodum Diaecesanam sub eodem Card. Pignatellio habitam anno* CIƆIƆCCXXVI *ipse digessit, conscripsit, edidit. Repentino ictu correptus diem supremum clausit VI. Kal. Ian. An.* CIƆIƆCCLI *quem Seminarii Alumni funeris apparatu, atque Oratione prosequuti sunt grati animi ergo, quum ipse Seminario et libros, et multam pecuniam legasset.*

gloriam, animarum salutem, Sedisque Apostolicae dignitatem sibi proposuisse, quae quidem omnia tam invicta constantia, fortunarumque suarum iactura et damno usque quaesivit, ut non immerito quidam ex Principibus viris Carolum Martyrem praedicaverit.

Proximorum vero utilitati, eorum praesertim, qui inopia laborabant, admodum studuisse satis compertum est. Quidquid ex suorum munerum emolumentis ipsi redibat quae quatuor aureorum millia singulis annis excedebant, paucis sibi retentis, vitae substinendae omnino necessariis, singulari beneficentia ac liberalitate pauperibus erogabat. Saepe virgines nubiles, quae propter paupertatem nubere non poterant, dote de suo data collocavit. Praeter pecuniae subsidia egenis nullo non tempore benigne suppeditata, uno die plura aureorum centena multorum inopiae sublevandae distribuit. Magnam quoque pecuniae vim augendis Seminarii Vaticani commodis impendit, quo melius ac facilius optimis disciplinis adolescentes informarentur. Quinque et amplius aureorum millia Presbyteris, quos Pios Operarios vocant, ad extruendam D. Iosepho Aedem trans Tyberim est elargitus, nullumque signum aut titulum eo nomine ab iis sibi poni sivit. Atque heic silere non possumus, monentibus amicis, ut aliquid sibi ad inopinos casus reservaret, solitum eum dicere: *Sacerdotibus crimen, Episcopis vero haeresim esse congerendae paecuniae cupiditatem.* Quare nihil singulare, nihil splendidum in victu, vestitu, caeteroque cultu praesetulit, quin potius parsimoniam in omnibus rebus sectatus est, ut aliorum calamitatibus facile occurrere posset. Tanta contra fuit abstinentia, ut ne levidense quidem munus a quopiam, nec oblata a Proceribus, ipsisque regibus dona, queis benefactum remetiri quandoque student, ullo pacto accipere voluerit.

Quantum vero ab honoribus abhorreret, quam eximiam modestiam in omnibus vitae actis ipse osten-

deret, quamplurima testimonia apertissime ostendunt. Enimvero in Maiello prae reliquis virtutibus summa eluxit animi demissio, qua se suaque omnia contemnens, nihil magis quaerebat, quam ut omnibus hominibus viveret ignotus, suique nominis nulla prorsus extaret memoria. Quare eo magis hominum plausum et humanam gloriam assidue horrebat, aspernabatur, atque fugiebat, quo longius latiusque eius fama manare videbatur. Et in primis neminem latet, ipsum antequam ex Neapolitana urbe discederet, Romamque, quo vocabatur, proficisceretur, quantum se, suaque omnia despicatui haberet, non obscure significasse. Erant illi permulta diuturnis meditationibus, ac vigiliis elaborata ingenii opera, quae universa in fascem congesta eo quidem consilio comburi iussit, ut nullum prorsus suae doctrinae vestigium superesset. Neque ea tantum occasione sic se gessit Maiellus, verum Romae quoque, quandiu illuc fuit, idem singulis annis eum fecisse tradunt. Sed quum quamplurimi viri docti, quibus familiariter utebatur, ipsum graviter reprehenderent, quod flammis donando haec egregia suae eruditionis monumenta novis subsidiis rem litterariam privaret, cum iis se purgare satagebat, dictitans et superfluum sibi videri in tantis sapientium virorum gazis, quibus Bibliothecae abundant, novos libros edere, et fixum animo certumque habere difficillimum esse, ut qui cogitata suae mentis evulgat, arrogantiam a se, atque inditam gloriae cupiditatem reiiciat. Eadem quidem modestiae causa, ut non plurimi facerent viri litterati quae ipse typis edebat, ea non omnino absolvit, neque omni ex parte expolivit, multisque ornamentis atque elegantiarum dotibus expoliavit, nec unquam passus est, ut suo nomine ornata in vulgus emitterentur. Divitiarum quoque atque honorum contemptum apertissime ostendit, quum ab Hispaniarum Rege expetitus, ut Ludovicum Principem Asturiarum, reliquosque regios libe-

ros litteris erudiendos susciperet, amplissimum munus sponte repudiavit, spemque omnem et opum et dignitatum maximarum negligere, quam honoribus, ac divitiis cumulari maluit. Qua vero de causa Princeps potentissimus oculos praesertim in Maiellum coniiceret, ut hanc perdifficilem provinciam ei commetteret, paucis exponere operae pretium ducimus. Quum enim ille librum a Carolo evulgatum de *coniuratione inita et extincta uno die Neapoli* perlegisset, maximeque modum, quo Historica narratio fuerat in eo exposita ac pertractata, probasset, summisque laudibus extulisset, nihil antiquius habuit, quam ut de tam praeclari Operis Auctore inquireret. At cognita eius doctrina cum sanctissimis moribus coniuncta, apud se Maiellum evocare, ut filios ad omne disciplinarum genus efformaret, dignatus est. Hic vero praetereundum non est Francisco Cardinali de Acquaviva Hispaniarum ad Sanctam Sedem Legato, aliisque, qui non solum nomine Philippi V. sed et Avi Ludovici magni Galliarum Regis ad hoc onus suscipiendum Carolum hortabantur, ipsum constanter respondisse: indignum se esse tanto munere subeundo. Quod quum renunciatum Philippo V fuit, eique alii Viri doctrina praestantes loco Caroli proponerentur, nullorum horum, quandoquidem Maiellum non obtinuisset, admissurum se dixit Rex. Clemens vero XI. sciens Maiellum ab hoc sapientissimo principe expetiri, aegerrime id tulit, neque veniam ullo pacto ei se daturum affirmavit, ut ille de Romana Ecclesia benemerentissimus a se atque ab Urbe unquam discederet. Quae quidem concepta de Maiello huius praestantissimi Pontificis existimatio tanta profecto extitit, ut non solum eum novis semper donis, honoribusque augere desideraret, sed ob morum probitatem, doctrinaeque praestantiam totius Romanae Aulae miraculum eum appellaret, aliisque etiam ostentaret. Quod quantum singulari eius modestiae grave molestumque fuerit, omnes quidem facile intelligent.

Quamobrem non semel de secessione a curis atque honoribus cogitavit, et aliquando etiam Pontifici de rebus gravissimis se sciscitanti minus sapienter ac docte, imo mendose, ac temere respondere voluisset, nisi honor Christi Vicario debitus, ac ingenitus veritatis amor aliter suasissent. Caeterum ut a conspectu ac consuetudine hominum viveret, sibique vacans recessum tantum ac solitudinem quaereret, summopere quoad vixit, adlaboravit. Haec vero singularis animi demissio, qua Maiellus erat praeditus, praestitit quoque, ut ipse adversas res, atque hominum iniurias patientissime pertulerit. Cuius sane rei quum multa sint argumenta, quae brevitatis causa missa faciamus, illud sine piaculo sub silentio praeterire non possumus, quod ei accidisse in propatulo est. Et sane quidam ex primoribus Romanae Curiae ingenio turbulentus summa arrogantia coram frequentissimo doctorum virorum coetu iniuriis conviciisque Maiellum impetere, eumque perinde ac si solus magisterium latine scribendi sibi arrogaret, dum tam diverse a caeteris et dictione et elegantia scriberet, ac sermonem Latialem barbaris corruptisque verbis commacularet, traducere non dubitavit. At Carolus animo minime conturbato, imo vultu hilari atque ad humanitatem composito, licet in scribendo Augusteae aetatis Scriptorum exempla imitari, tamen totam scripturam, de qua sermo erat, litura corrigere, atque orationis menda, si quae irrepserint, emendare paratum se esse respondit. Quod et revera peregit; nam ingenti labore idem argumentum diversa ratione exposuit, ac pertractavit non sine omnium admiratione, qui tanti viri modestiam laudare coacti sunt.

Eadem quidem moderatione usus est, quum ad aliorum scripta a mendis purganda, sedulam operam navabat. Nam tum non magistri auctoritate, sed potius discipuli docilitate aliorum errata tanta humanitate emendare studebat, ut Auctoris pudori quammaxime

consuleret. Quod frequenter accidisse compertum est in Iohanne Antonio Lancisio Medico peritissimo, qui utpote Maiello amicissimo nullam scripturam publici iuris faciebat, quin eam purgatissimis eius oculis subiiceret. At Carolus summa animi lenitate illius Operum locutionem a solycismis, atque a barbaris verbis mundare satagebat; et quamvis permulta essent, quae a capite ad calcem emendare omnino debuisset, ne amicum offenderet, retenta veteri forma dicendi, paucisque immutatis, quantum poterat, purgatiora, atque elegantiora reddebat (*a*).

Sed quam demisse de se suisque meritis sentiret, tunc in primis luculentissime patefecit, quum a Clemente XII. haud in Purpuratorum album relatus fuit, quamvis et munera ab ipso egregie obita, et bonorum omnium desideria, et potentissimorum Regum vota illum ad hanc praeclarissimam dignitatem certo certius evocarent. Siquidem eo tempore tantum abfuit, ut rerum vices adversas deploraret, sibique debitum praemium denegatum quereretur, quin potius incredibili aequabilitate divinae providentiae arcana recognoverit, atque hilari promptoque animo eventum tulerit. Nec minime opus fuit, ut quis de casus acerbitate cum ipso condoleret. Nam quum hoc officium inter caeteros ei praestaret Vir cl. Victorius Martinus Ictus Romanus, etiam atque etiam Caroli virtutem suspicere debuit, ubi hominem eadem frontis serenitate, qua alter auspicatissimum nuntium de sua ad maiores honores evectione acciperet, vidit, atque ab ipsius Maielli ore eam Augustini sententiam, quae ad rem faciebat, usurpari audivit: *saepe negat mise-*

(a) *Maiellus semper amicitiam coluit Iohannis Antonii Lancisii Archiatri Pontificum, eique morienti et adfuisse, et suprema Religionis officia exhibuisse testis est Angelus Fabronius in Vita eiusdem Lancisii: Vide* Vitae Italorum doctrina excellentium Pisis 1781. Tom. VII. pag. 147.

Digitized by Google

ricors Deus, quae iratus concedit. Et tamen non pauci detractores in Romana Civitate fuerunt, qui Maiellum moerore confectum non alia de causa in morbum incidisse inclamabant, nisi quod ad eminentiorem gradum nullo pacto se evectum fuit. Quod spectatis sanctissimis Caroli moribus, atque ea ipsius agendi ratione, ob quam semper delitescere, et sub modio esse vehementer exoptavit, sine atrocis calumniae nota dici nullatenus potuit.

A propinquorum vero amore quam maxime vixit alienus, sanguinis iura omnino contemnens. Et sane nunquam sibi persuadere potuit, ut Dominicum fratris filium presbyterum summa probitate ornatum, quem Romae uti suorum studiorum ac laborum socium acciverat, (a) apud Pontificem ad eius gratiam captandam commendaret, vel semel etiam adduceret. Sed tantum ab eo impetravit, ut in negotiis, quae suae fidei credebantur, eodem ille obstringeretur arcano, quo ipse a Pontifice fuerat ligatus: quod nulla alia causa rogavit, ut eiusdem Dominici ope sine ulla secreti violatione eos libros consulere, ac pervolutare posset, qui ad diversas quaestiones spectabant, de quibus suam sententiam proferre debebat. Minime vero passus est, ut eidem nonnulla Ecclesiae bona conferret, quum iure ea tribuendi ipse quodammodo potiretur. Etsi abdicata aliqua Sacerdotia illi demum indulsit. Ast id imperio quasi coactus religiosissimi Viri Thomae Sergio ex Presbyteris, quos Pios Operarios appellant, peregit, a cuius monitis et con-

(a) *Praeter Dominicum fratris filium etiam Caietanum Amatum Seminarii Neapolitani prius alumnum, postea praeceptorem ad se advocavit, ut in omni re litteraria huius eruditissimi Viri opera uteretur, qui Iohanne Vincentio Lucchessinio e vivis erepto in munere conscripendi Latinas epistolas ad Principes Maiello successit Vide* Philippum Bonamici de claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus. Lucae MDCCLXXXIV. Tom. I. pag. 255.

siliis Maiellus totus pendebat. Qui ut Carolum in hac parte ancipitem, anxiumque confirmaret, atque omnem timorem Dei maiestatem offendendi tolleret, se de hac re supremo Iudici responsurum ei affirmavit. Quid vero de eius moderatione erga duos fratres, qui sua nomina Divi Dominici familiae dediderant? Numquam pro ipsis Magistro universi Ordinis Generali preces prorrexit, ut eis illos gradus magisterii, et laureae sollecitaret, quos non partium studio, non potentium favore, sed spectatae probataeque doctrinae merito, ac inculpatae vitae laude ipsos consequuturos esse certo sperabat.

Sed non solum animi elationem per modestiae studium coërcere assidue studuit, sed corpus etiam per duriora poenitentiae opera severe castigare, atque in servitutem redigere voluit. Hinc vitam semper egit laboriosam, infinitis prope negotiis distentam, ab hominum conventu dissitam, a delectamentis, quae spiritum recreare ac reficere possent, prorsus alienam. Diu noctu severioribus studiis incumbebat tanta alacritate, ac sollicitudine, ut exceptis iis horis, quibus rebus divinis vacabat, nullam temporis partem praeteriret, quin aut legendo, aut scribendo, aut meditando totus esset intentus. In vespertinis quoque ambulationibus, quum suburbanas villulas peteret, non pauca volumina secum habere, ideoque semper bigam strue librorum onerare consuevit. Nec his laboribus contentum, alios quoque cruciatus ad propria membra domanda adhibuisse scimus. Et sane somnum brevissimum carpebat, in quo crucem grandiusculam quietis comitem secum habebat, ut quum vigilaret, Christi Domini crucifixi mysteria melius ferventiusque consideraret; qua consuetudine multa a Deo bonorum omnium largitore impetrasse ipse affirmabat. Cibi potusque parcissimus in Deiparae pervigiliis pane tantum et aqua dies integros tollerabat. Saepissime se flagellis caedebat, ut carnis legem maceratione assumpta subiiceret. Latera quoque

catenis ferreis cingebat, ut veluti bonus miles Christi ad proprios inimicos debellandos expeditior esset (*a*).

Quae sane poenitentiae opera non suo ingenio, sed consilio eorum, ad cuius potestatem et disciplinam in rebus ad Christianam Ethicem spectantibus se tradidit, exercuisse dicendum est. Et sane quum in via sanctitatis sapientum Virorum regimini, ac praesertim praestantissimi Sacerdotis supra laudati P. Thomae Sergio, qui eius confessiones excipiebat, totus se dedisset, eorum nutum ac voluntatem instar cuiusdam divini oraculi habebat. Hoc in causa fuit, quamobrem nunquam a curis, uti exoptaverat, discessit, et licet infirma semper valetudine, gravissimis tamen oneribus se submittere non renuit. Maximum quoque obedientiae exemplum dedit, quum ingravesentibus malis, quibus divexebatur, inclinante iam aetate, ut sui spiritus Moderatoris praescripto morem gereret, etsi aegerrime, studendi tempus ultra sex horas protrahere nunquam passus est. Sed ne otio marcesceret, quod Viro exercitatissimo valde permolestum est, vel anagnostem adhibebat, ut eruditorum lectione pasceretur, vel in Mathematicis experimentis distinebatur, vel Musicam Ecclesiastico viro dignam exercebat, vel unicolores tandem imagines ut diem falleret, delineabat.

Ex iis, quae de Maiello hucusque disputavimus, satis apparet ipsum clarissimam et doctrinae, et sanctimoniae imaginem extitisse, in quo non solum nos in sortem Domini vocatos oculos coniicere oportet, sed in eo suspicere quoque debent ii, qui severioribus studiis dant operam, ne umbratili ac minus profunda eruditione praediti, quae ad impietatem ut plurimum ducit, et Ecclesiae auctoritatem, et supremo-

(a) *Haec et alia, quae de Maielli virtutibus disputavimus, ab eius vita mutuati sumus, quam Assemanius conscripsit, qui res ab eo gestas a testibus fide degnissimis accepit.*

rum Imperantium iura, quae a Deo tantummodo vim habent, irrito conatu impetere studeant, quod hac miserrima aetate non sine omnium bonorum luctu ac lacrymis per tota Europae regna vidimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

SELECTA

DOCTORUM VIRORUM

DE CAROLO MAIELLO

TESTIMONIA.

ALEXIVS SYMMACHVS MAZOCCHIVS.

In opere de Cathedr. Ecclesiae Neap. semper unicae variis diverso tempore vicibus. Neap. CIↃIↃCCLI pag. 60.

Ad Neapolitanum vero Capitulum quod attinet, satis credo testatum fuisse, quam se non ingratum tanti Praesulis (Caroli Maielli) memoriae, et acceptorum ab eo ingentium beneficiorum memor praestiterit. Nam praeter debita officia, quibus virum summum deque se meritissimum semper impensissime vivum coluit, morte non sine vitae sanctioris publico praeconio obita, eundem et frequentissimi funeris honore ultro prosequi voluit, eique post iuxta sollennia, honorificientissimum sepulturae locum in S. Restitutae Basilica dedit.

IDEM MAZOCCHIVS.

In Vendiciis repetitis Act. Bononiensium S. Ianuarii. Neap. CIↃIↃCCLIX. pag. 143.

Carolus Maiellus mihi, dum viveret amicissimus, Vat. Bibliothecae Praefectus, Apostolicor. ad Principes Brevium Secretarius (cui tum sanctitate vitae, tum omnigena, ac vastissima eruditione, adhaec mirifico in S. Ianuarium studio quis unquam inveniet parem ?) conqueri solebat etc.

IACOBVS MARTORELLIVS.

In opere de Regia Theca Calamaria Tom. II. pag. 691. Neap. CIↃIↃCCLV.

Maiellorum nomen et virtus floret adhuc, nec senescet, nec unquam interitura est.

IOHANNES LAMA.

In opere Memorabilia Italorum doctrina praestantium. Florentiae MDCCXLVII. *Tom.* II. p. I. p. 97.

Vir fuit (Carolus Maiellus) nostra memoria doctrina, et pietate numeris omnibus absolutus, sed eo prae caeteris commendatior, quod ab usque teneris annis uni potissimum rei studuerit, quo pacto posset obscurus delitescere, et scire suum nihil esse censuit, si illud sciret alteri quo posito fundamento mirum non est, si nobilissimum virtutum omnium aedificium extruxerit.

NICOLAVS IGNARRA.

Opuscula Neap. CIↃIↃCCCVII. *Tom.* I.

Iuxta Maiellos iacet hic Mazocchius, inter
Tres magnos qui maximus ipse fuit.

IDEM IGNARRA.

In Vita Alexii Symmachi Mazocchii.
Neap. CIↃIↃCCLXXII. pag. 5.

Unus omnino, ad quem Sacerdos iam factus itare solebat, Carolus Maiellus fuit, vir innocentissimus, ad miraculum doctus, contemptu sui, quam gestis ab eo summa cum laude muneribus nobilior. Ad huius amicitiam se contulit Mazocchius, eumque consuetudine quotidiana haud inutiliter fovit, namque ab eo semper se discedere doctiorem affirmabat.

ANDREAS SERAVS.

De Vita et Scriptis Iani Vincentii Gravinae.
Romae CIↃIↃCCLVIII. pag. 9.

Usus est etiam familiariter Carolo Maiello, tum adolescente optimis disciplinis ornatissimo.

Digitized by Google

NICOLAVS CAPASSIVS.

Inter eiusdem opuscula Neap. MDCCLXI. pag. 49.

Et sancte vixit sophos hic, et vixit in Aula,
Non modo sprevit opes, sprevit et ingenium.

ANGELVS FABRONIVS.

In Vita Alexii Symmachi Mazocchii. Tom. VIII. *Italorum Vitae. Pisis* 1781. pag. 335.

Unus omnino, ad quem Sacerdos iam factus itare solebat, erat Carolus Maiellus, de quo aiebat ex omnibus rebus, quas sibi aut fortuna, aut natura tribuit, se nihil habuisse, quod cum amicitia Maielli comparari posset, nullamque unquam rem extitisse, quae plus apud se polleret, quam ipsius voluntas, atque iudicium.

PHILIPPVS BONAMICI.

De claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus. Inter eius Opera Typis edita Lucae CIƆIƆCCLXXXIV. *Tom.* I. pag. 88.

Carolus Maiellus fuit eruditissimus Graecis Litteris, et Latinis, Ecclesiasticae disciplinae valde peritus, ingenio autem, ut iam adolescens cum excellentioribus Scriptoribus Latinis compararetur. Magna erat apud omnes existimatione doctrinae, praesertim quum vita, mores, vultus denique ad gravitatem augeret.

Digitized by Google

FRANCISCVS SERAVS.

In Commentario de rebus gestis ab Alexio Symmacho Mazocchio. Extat ante Opuscula eiusdem Canonici a Caetano Migliore Typis edita. Neap. CIƆIƆCCLXXI.

Tum Neapolim repetit, atque in Archiepiscopali Seminario Graecis Hebraeisque Litteris profitendis adhibetur Viri summi Caroli Maielli eiusdem Seminarii Moderatoris hortatu.

STEPHANVS EVODIVS ASSEMANIVS.

In Opere: Acta SS. Martyrum Orientalium et Occidentalium. In praefatione ad Tom. II. pag. 30. *Romae* CIƆIƆCCXXXVIII.

Hunc ipsum vitae cursum Carolus tenuit, qui utinam ad hoc aevum superstes pervenire potuisset! Benedictus XIV. omnium, quotquot fuerunt Pontificum post hominum memoriam sapientissimus, quem annare, et perannare diutissime Ecclesiae bono Deus Opt. Max. sinat, locum meritis parem certo certius Caro decrevisset, quem iudicio suo, quo cunctis mortalibus praestat, in expendendis hominibus non solum aequissimo, sed prope divino, nunc etiam probat, et praedicat, deque ipsius virtute, integritate, moderatione ita commemorat, ut in eius summis laudibus excipiat nihil.

Digitized by Google

SALVATOR AVLA.

In praefatione ad Orationes eiusdem Caroli Maielli In opere Institutiones Oratoriae ad usum Seminarii Neap. pag. 108.

Ad calcem heic opponendam curavimus orationem ab immortalis memoriae Viro Carolo Maiello concinnatam: cuius sane viri eximiae litteraturae laus longe illustrior est ac pervulgatior, quam ut ornari verbis aut praedicari debeat.

VINCENTIUS ARIANO.

In Elogio Dominici Antonii Malarbii. Neap. CIↃIↃCCLXXXIV. pag. 19.

Ut autem veteres silentio praetereamus, nostra vel proxima aetate quis ignorat Vaticanae Bibliothecae praefuisse inter caeteros Leonem Allatium, Lucam Hostenium, Stephanum Gradium, et Carolum Maiellum nostratem, viros doctissimos.

IOHANNES ANTONIVS SERGIUS.

In praefactione ad Carmina Iosephi Aurelii de Ianuario Neap. CIↃIↃCCLXXII.

Emersit tandem prisca Sapientiae dignitas, et ingens Iureconsultorum ac Poëtarum ubertas, qui utramque Eloquentiam, unde fuerat a barbaris diecta amplificarunt. Atque ut alios omittam, eosque dumtaxat recenseam, qui Jurisprudentiae carminum quoque cul-

tum adiunxerunt, Carolus Buragna et Carolus Maiellus ο παυυ etc.

PHILIPPUS DE MARTINO.

In Opere: Adnotationes in poëma, cui titulus Hirpini poëtae in Germanum Penthecatostichon. Neap. CIƆIƆCCLXXXIX. pag. 61.

Sacrum Urbanum Ephebeum sub doctissimo Maiello auctore Parthenopeae coniurationis elegantissima latina phrasi conscriptae ad summum scientiarum apicem perductum.

NICOLAUS CIAMPIPTIUS.

In Commentario de rebus gestis a Salvatore Aulà.

Abdidit pater optimus in Seminarium Neapolitanum, cui maximum id temporis famae celebritatem amplissimum Caroli, et Ianuarii Maiellorum nomen apud omnes exciverat.

AUTOR VITAE NICOLAI CAPASSII.

Quae est praefixa opusculis eiusdem Capassii.

Singularem ab adolescentia societatem iniit cum Carolo Maiello Viro ad miraculum docto, ac sanctissimis moribus formato.

Digitized by Google

IOSEPHVS CASTALDIVS.

In Vita Nicolai Ignarrae.

Florebat tunc temporis Augustea illa aetas non sine invidia perpetuo memoranda, opera et studio doctissimorum fratrum Maiellorum Caroli, et Ianuarii.

FRANCISCVS ANTONIVS SORIA.

In Opere. Memorie Storico Critiche degli Storici Napoletani. Napoli 1782. Tom. II. pag. 380.

Tutto il mondo giudicava Monsignor Maielli meritevole del Cardinalato, e ne aspettava con impazienza la promozione, ma tra l'aspettativa universale mostravasi indifferente Egli solo. Avea lo spirito talmente formato sul modello de'dettami Evangelici, che stimava delitto non solo d'esser ambizioso, ma anche mostrarsi sensibile a qualunque cosa, che riguardar potesse avvegnachè d'obliquo il suo ingrandimento.

APPIVS ANNEVS FABA

(Abate Buonafede).

In opere: ritratti poetici. Napoli 1889. *Pag.* 338.

Questo tesoro ampissimo di Sapienza (del Maielli) giacque nascoso nel campo, noto al suo solo posseditore, ed a Dio, al quale il Maielli tutte indirizzava le azioni sue sempre ornato di un fondo di pietà,

e di religione, cui per descrivere son troppo ristretti i confini, ch' io mi prefissi.

GAETANVS LOMBARDVS NEAPOLITANVS

In Vita Gregorii Messere. Inter Vitas Arcadum (a) *Tom. II. p.* 53.

E tra i viventi (amici letterati del Messere) basterà nominare il Reggente Serafino Biscardi, il Reggente Gennaro d' Andrea, Gio. Vincenzo Gravina, il P. D. Gio. Battista de Miro, Giuseppe Valletta, il Canonico Carlo Maiello etc.

JOSEPHVS SPARANO

In Opere : Memorie istoriche per illustrare gli effetti della Santa Napoletana Chiesa. Tom. II. pag. 298.

Carlo Maielli, il quale fu stabilito da Cantelmo lettore da Seminarista, ed imparò il Greco da Gregorio Messere Lettore dell' Università, la buona Filosofia dal Medico Porzio, e le Matematiche e l'Ebreo dal P. Giannatasio. È poi egli colle sue fatiche si distinse nelle dette professioni e lingue. Compose la Rettorica, e Poetica, la legge Canonica e Civile ; e più trattati di Teologia : con essi una egregia dissertazione in difesa del Metodo scolastico : ed un' altra

(a) *Heic praetereundum non est Maiellum inter Poëtas Arcades connumeratum fuisse, qui ei nomen Licides indiderunt.* Vide. Memorie Istoriche dell' Adunanza degli Arcadi.

contro il *Probabilismo* con metodo Matematico, il trattato de *Angelis* anche con stile di dissertazione. Essendo Canonico e Rettore del Seminario fin dal 1707 fu incaricato dal Cardinal Pignatelli di non lasciar la cura degli studii de'Seminaristi, i quali avendone sperimentato il magistero ed il valore non sapeano dal medesimo staccarsi, onde di buon grado soddisfece alle brame del Cardinale, ed assistendo colla stessa diligenza di prima fece poi ottimi allievi nell'erudite lingue, e nelle scienze etc.

THOMAS FASANO.

In Opere Lettere Villeresche scritte da un Anonimo ad un Amico. Napoli 1779. *p.* 48.

In questa villa (detta Aranella) veniva allo spesso il celebre Carlo Maiello, che fu poscia Bibliotecario della Vaticana, e Segretario de' Brevi a'Principi, conosciutissimo per la dottrina, per l'eleganza ed eloquenza latina, e per la gran probità.

AB. FRANCISCVS CANCELLIERI.

In Commentario Antistitis Petri Antonii Tioli. Pesaro 1826. pag. 8.

Clemente XI. potè gloriarsi di contare fra i suoi familiari i Maielli etc.

ALESSIVS NICOLAVS ROSSI.

In Opere. Dissertazioni intorno ad alcune materie alla Città di Napoli appartenenti. Napoli 1758. *Tom.* II. pag. 455.

Monsignor Carlo Maielli letterato di primo ordine, ed assai noto e singolare a tutto il mondo.

PHILIPPVS MARIA RENAZZI.

Istoria dell' Università della Sapienza di Roma. Roma 1806. *Tom.* IV. Cap. XI. §. XI. pag. 178.

La fama letteraria, che sparsasi era ampiamente di Carlo Maiello mosse Clemente XI. grande estimatore de' dotti a chiamarlo in Roma da Napoli sua patria, dove era Rettore del Seminario Arcivescovile.

IOHANNES BAPTISTA CORNIANI.

In Opere. I secoli della letteratura Italiana. Brescia 1819. Volume IX. pag.

Ad un vasto sapere unì il Maiello tutte le virtù, e segnatamente una umiltà, ed abbiezione di se medesimo meravigliosa ed impareggiabile.

Digitized by Google

THOMAS GARGALLO.

Nell' Elogio del Marchese Orazio Cappelli premesso all' opere del medesimo Cappelli. Napoli 1823. pag. 17.

Napoli, dove d' uomini egregî non fu mai penuria, la limpidezza dello stile, dopo il limaccioso sgorgo del seicento, era stato sollecito a rivocare Matteo Egizio, Giuseppe Carulli, Marco Mondo, Carlo Maielli, Simmaco Mazzocchi, e cento altri attesero a sì nobile impresa, che loro valse onor di chiarissima fama.

PETRVS PAVLVS SIGNORELLI.

In Opere. Vicende della Coltura delle due Sicilie. Napoli 1811. Tom. VI. pag. 49.

Carlo Maielli fu vicino a conseguire la porpora Cardinalizia, ma la mirò con pari moderazione, ed indifferenza, e quando fu presso ad avverarsene la speranza, e quando si dileguò.

CAROLVS ANTONIVS DE ROSA VILLAEROSAE MARCHIO.

In Opere. I Ritratti Poetici di alcuni Uomini di lettere del Regno di Napoli. Nap. 1834. Tom. II. p. 20.

I due germani fratelli Carlo, e Gennaro Maielli, i nomi de' quali vagliono per un elogio.

Digitized by Google

ADDENDA

Ad pag. 79 *v.* 11. *Eph. Mar.*

Saxea cui penitus, cui ferrea corda rigescant,
Ut largas oculis non fluat in lacrymas?
Caram si Christi videat languere Parentem,
Tanto dum moeret perdita supplicio.
Qui non posset etc.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROEMIUM

IN

EPHEMERIDEM MARIANAM

Omnis Partheniis mihi lux signanda Camoenis,
Laudis ab officio ne vacet ulla dies.
Illius auspiciis reparet cursusque vicesque
Totus et in laudem Virginis annus eat.
Nulla pio posthac praevertet cura labori,
Unus erit Mariam concelebrare labor.
Tu confer, Bona Mater, opem, tu plectra lyramque,
Nominis ut resonent carmina digna Tui.

AD LECTOREM.

Qui legis haec olim dispersis illita chartis,
Ac fusos passim ex tempore versiculos;
Quos nulla expoliit studiis curisque secundis
Fraenare abnormes sueta litura modos;
Vena quod ornandae non fluxerit aequa Parenti,
Nec par virgineo nomine, da veniam.
Saepe etenim longo febris me torsit in aestu,
Noctesque insomnes nigra secuta dies.
Languida saepe levem calamum vix dextra regebat
Apta vacillantes ducere literulas:
Ne tamen occiderent Mariae sine carmine soles
Non fuit eloquii cura, sed officii.
Saepe et cum ruerent cumulata negotia mentem,
Non tacuit cultus, nec siluere preces.

Digitized by Google

Fructibus at fidei, mentis virtutis abundent,
  Ingenii augescant et pietatis opes.
Terrenas saecli curas, morbosque repelle,
  Annus ut e Mariae Nomine faustus eat.

1715.

Dum reparat cursus repetens vestigia coelo,
  Pergit et assuetas annus inire vias.
Frigenti renovet pietas in pectore sensus,
  Per vires, Christi Matre favente, novas.
Illa dies revehat, collustret lumine menses,
  Atque illa annorum cuncta regat spatia.
Virgineum resonet nomen, meritumque, decusque,
  Ulla nec a dulci lux mihi laude vacet.
Annus sic felix redeat per Nomen Jesu,
  Et Maria nobis auspice faustus eat.

1716.

Dulce potens sanctum mirabile Nomen Jesu
  Annorum cursus consecrat auspiciis,
Praeside quo nobis menses, annique recurrant,
  Illius atque dies sentiat omnis opem.
Imis quod fixum servet mens nostra medullis,
  Nostra quod assiduo carmine lingua sonet.
Ac Tu, Virgo Parens, cuius pervenit ad aures
  Primum, quae Jesum nomine prima vocas.
Protege nos sacris recolendi Nominis armis,
  Ne ab stygio rabidus terreat hoste furor.
Tu morbos animi dispelle, et corporis aegri,
  Sitque tuis precibus pristina parta salus.
Ingere ferventem sanctae virtutis amorem,
  Fluxas res mundi temnere qui valeat.
Namque tuus potero sic dici filius, atque
  Per Mariam clemens sic mihi Christus erit.

1717.

Jesu spes mundi, sancti qui Nominis annum
  Auspiciis reseras, laetitiaque beas:

Digitized by Google

Ordia da nostris de Te felicia rebus
  Metaque Tu studiis, duxque laboris ades.
Quo me cumque vocas, alacris mens iussa sequatur,
  Teque adversa inter, Teque secunda petat.
Tecum Sancta Parens nostris conatibus adsit,
  Nec nos Virgineo Numine destituat.
Auxilio partam firmet praesente salutem,
  Tartareasque potens dissipet insidias.
Sic cnrsus ineat, renovetque beatior annus,
  Et Jesu et Maria praesidibus redeat.

1718.

Cum redit, augusto quem nomine signat Jesus,
  Auspicia et tanti Praesidis annus habet,
Tramite fac, Mater, studia ut meliore recurrant,
  Ferveat inque novas mens revocata vias.

1719.

Jesu sereno nomine
  Anni recludens cardines,
  Sanctoque Matris omine
  Solis ministrans tempora:
Quem Tu misertus advehis
  Vertentis anni circulum,
  Verae salutis fructibus
  Rogantibus fac uberem.
Intenta libris pectora,
  Mentemque sacris literis,
  Dulci vacantem in otio
  Placere da solum Tibi.
Laudes celebret Virginis,
  Quae Te, Redemtor, protulit,
  Laudesque sanctorum stylus,
  Docente Te, depraedicet.
Sic totus annus praefluat,
  Cujus sacras exordia,
  Ut gloriam quaerat tuam
  Devota mens caelestibus.

Sic sancta nobis Nomina
  Matrisque sint, et Filii
  Levamen inter aspera,
  Tutela et inter impetus.

1720.

Jesum salutis auspicem,
  Qui lapsa rursus erigit,
  Rebusque tempus innovat,
  Primo colamus carmine.
Quaecumque fidis illita
  Servanda chartis condimus,
  Aut voce quidquid promimus,
  Hoc auspicamur nomine.
Hoc arma, vires, impetus
  Hostis superbi frangimus.
  Hoc ense, scuto, et tessera
  Stat tuta credenti salus.
Jesus sed Almae Virginis
  Ad militum victoriam
  Nomen, fidem, potentiam
  Nostri misertus addidit.
Quo caeca monstra concidunt,
  Paventque Ditis copiae,
  Instructa quo pugnat novis
  Pietas fidesque viribus.
Haec dum ciemus intimo
  Ardore cordis nomina,
  Terentis antiquas vias
  Anni sacramus ordia.

1721.

Jesus cum Maria reseret primordia cursus,
  Quem reparat, menses dum novus annus init.
Dulce est principiis gemino de nomine ductis,
  Quod studium, reduces aggredimurque dies.
Haec mihi dispensent vitam curasque, laboresque,
  Atque animo impendant nomina praesidium.

Digitized by Google

Nomen utrumque meis vitae resplendeat actis,
  Arma haec sint nostro signaque fixa sinu.
Ut regat ambages inter vestigia Jesus,
  Et Mariae adspiret cursibus aura meis.
Et quos antiqui relevato pondere census,
  Per nova dona piis consecrat auspiciis,
Felices coeli tandem perducat ad oras,
  Vita ubi non fluxas indiga quaerit opes.

1722.

Dum luce sancti nominis
  Instaurat orbem temporum,
  Novamque solis orbitam,
  Cursumque Jesus consecrat;
Matrem canentes Virginem,
  Dulcemque vitae presidem
  Suetis colentes laudibus
  Anni auspicamur ordia.
Sic lux redibit clarior,
  Sic fausta ducet omina,
  Sic pacis almae pignora
  Annus recurrens advehet.
Ergo salutis semitam
  Novis terentes gressibus,
  Novum vetustis cultibus,
  Stylum dicemus et sonum.
Ardente Matrem pectore
  Votis rogemus et prece,
  Nostros ut in pacis viam
  Actus diesque dirigat.

1723.

Redit serena luce micantior
  Felicis ortus inclytus omine
  Jesuque Matrisque et salutis
  Auspiciis interans recursus
Annus, beato quem reserat potens
  Faustoque rerum nomine conditor,

Quem Mater et partu, et decore
Virgineo cumulata signat.
Ergo vetustas moribus in novis
Linquamus hisce praesidibus vias,
Vitaeque securos teramus
Augurio meliore calles.
Laudemus almam carmine Virginem,
Jesum ciamus vocibus, et piis
Votis Patronos invocemus
In spatium redeuntis anni.

1724.

Il Re del Ciel, che giace e geme in fasce
E 'n spoglia vil la maestade asconde,
Apre e consacra, acciò di grazie abbonde,
Col santo nome l'anno, che rinasce.
Povero, umil, negletto al mondo nasce
Di mezza notte in tenebre profonde;
E qual d'infetta stirpe il sangue or fonde
Che di sola umiltà gode e si pasce.
Sì sublime, sì arcana e sì bell'arte
Non apprese giammai superbo ingegno
De' gran maestri su l'antiche carte.
L'apparò dal suo figlio, e giunse al segno
L'ancella e madre, e pur verranne a parte
Chi siegue lei, ch'ha d'umiltade il regno.

1725.

Quid fastus, quid honor mortalia pectora tentas?
Ut fugit aura tui luminis, ipse doces.
Seu celeri rapiunt volventia tempora cursu,
Seu fata inficiunt tristia laetitiam.
At tibi delatus sincero pectore cultus,
Lumine, Sancta Parens, splendet in occiduo.
Haereat hic nostris penitus, Pia Virgo, medullis,
Ac temnat, mundus quidquid inanis habet.

Digitized by Google

1726.

Aetas deteritur, volvuntur temporis orbes,
Vitaque, ceu praeceps labitur unda, fluit.
Sed redit ut spatio demenso et cursibus annus,
Atque iterat veteres iam novus ire vias;
Sic vita studiis ac spe meliore resurgit,
Quam nova de caelo progenies reparat.
Cedat fermenti et vitii de corde vetustas,
Adsit sancta piis muneribus novitas.
Nominibus Christi et Mariae nova gratia firmet
Fausta resurgentis temporis auspicia.

1728.

Prima diem sancto rutilans de nomine Jesu
Lux aperit, studiis auspiciumque meis.
Ergo salutantes exordia laeta laboris,
Assueti pensum carminis occipimus.
Quo dulce est reliquas plutei praevertere curas,
Divi sacratas nominis augurio.
Inde preces et caepta fluant, reparata iacenti
Spes unde est orbi, caepit et unde salus.
Quaeque tulit vitae divino germine fructum,
Ad nostras veniat Virgo benigna preces.
Annis et studiis adspiret praeses et actis,
Ac bene carminibus dicat et officiis.

Καθημέρινον

Εἰς την ἁγίαν παρθένον Μαρίαν.

1729.

Νόσιμος ἀνυέεται λυκασὰι, καὶ τοῖνομ' Ἰησοῦ
Εὐχομενῆς Μαρίας φωτὸς ἄνοιγε Θυρας.
Νωλεμέως χαρίτων πηγᾶς, καὶ ἧμαε ἐπ 'ἧμαέ
Μνησάμεν' ὑχῶμεν γηθοσυπης τοκέας.
Ηδε νέας ζωῆς ἔθεσιν πρήαωμεν ατάρπους,
Ως γέρας ἀϊδίοῦ τοῦ σιότοιο λαχεῖν.

Digitized by Google

1730.

Παῖς Μαρίης ἐλπὶς μερόπων, νέος ἥλιος αὐτός,
Η''ματος ἠδ' ἔτεος τὰς ἀνέωξε θύρας.
Τῆς δε δικαιοσύνης ὀρθὰς ἀναφαινεν ἀταρποὺς
Θεσκεσίοισιν ἐῆς δειγμασιν εὐτροπίης.
Τρῖς μακαρ ὅσις ἔτους, κὰι ἥματα πάντα σιὸιο
Μιμεῖθαι νὸμισεν θέσκελον ἀρχὲτοπον.
Κεῖνος τῆς Μαρίης παῖς ἄξιος ἠθεσιν ἔσται,
Γηθήσει δ'ὑιὸν πάντοτε πασάμενος.

2. JANUARII.

1712.

Obruimur curis, fugiens quoque deficit hora,
Nec desum solito carminis officio.
Suscipe vel tenues, Mater dulcissima, versus,
Conari ingenium non meliora valet.

1714.

Praesidiis Tu, Virgo, novas coelestibus aedes
Instrue, et Angelicis te comitante choris.
Sint pacis Mariae sancto sub numine sedes,
Quas ardens pietas, relligioque colat.
Insidiis nullus per Te nos impetat hostis
Imperioque tuo sint mala cuncta procul.

1715.

Quae puerum religas, quae dulci nectare pascis,
Cui tergis lacrymas, quem gremioque foves,
Quem complexa geris, quem stringis, et oscula libas,
Una simul coeli gaudia cuncta tenes.
Atque utinam obsequiis materno e pectore, nostri
Tu studiisque vices, officiisque geras.

1716.

Simplicitas Tibi, Christe, placet, Mysteria pastor
Haurit, quae doctis cernere posse negas.
Sedula simplicitas in Virgine Matre, licet res
Angustae obsistant, officiosa placet
Temnis opes, regumque superba palatia temnis,
Optas et vili in tegmine pauperiem.
Sic animos addis, dum Te celebramus, agresti
Munera dum calamo simpliciora damus.

1721.

Lingua canentis,
Actaque vitae
Omnia spirent
Matris amores.
Illa serenos
Afferat annos.
Illa ministret
Tempora vitae;
Seu labor urget
Seu pia mentem
Otia pascunt.
Ferveat imo
Corde repostum
Virginis almae
Nomen et ardor.

1724.

Quando ristretto, e in rozzi panni avvolto
Fatto bambino il re del Ciel rimiro,
Mi vergogno di me tosto, e mi adiro,
Ch' onor mi mena forsennato e stolto.
Giace egli, e plora; e pur beati in folto
Stuolo Spirti del Ciel gli stanno in giro;
Com' io l' agio e 'l piacer cerco e sospiro
Da pene eterne per pietà ritolto?

O santa Madre, che così da presso
De' rari esempî seguite la traccia,
Rompete il giogo, ond' ancor gemo oppresso.
Del vero ben, del vero onor la faccia
Scoprite al core errante, acciocchè ad esso
Il dispregio e la croce aggrada e piaccia.

1726.

Ordia iam reducis cursus tua dona reposcunt,
Quae sueta es precibus, Mater, adesse meis.
Afflictae Tu damna domus solare, tuisque
Affundas humili gaudia muneribus.
Materna et frater suffragia sentiat, ac Te
Auspice perveniat ocyus ad requiem.

1728.

Horrendas inter vomuit quas impius ore
Voces, haec fudit dogmata Nestorius;
Ne rerum quisquam Dominum, qui condidit orbem,
Cui nullum ante fuit saecula principium,
Temporibus credat seris de Virgine natum,
Hance Dei Matris nomen habere nefas.
Error concussit cunctas tum devius oras
Ac pietas studiis arsit et ingemuit.
Byzantina prior dictis plebs obstruit aures,
Proque Dei vera praelia Matre gerit.
Hesperiasque plagas, mox et pervasit eoas
Horror et in rabidos commovet arma lupos.
Ut Caelestinus latia signum extulit arce,
Undique Pastores conveniunt Ephesum.
Vitales ubi Virgo moras traduxerat, illic
Vera Parens summi Numinis asseritur.
Unus, qui aeterni proles et imago Parentis,
Virginis ille idem nascitur ex utero.
Non alius carnem tectum velut incolit hospes,
Non duo, qui Deus est alter, et alter homo.
Natura in duplici, sed miro foedere iuncta,
Unius est unus Christus hypostaseos.

Digitized by Google

Sic ibi sancta cohors, his vocibus assonat orbis,
  Divinae increvit sic ibi Matris honor.
Relligio ad meritos titulos nova nomina condit,
  Et colitur pictis Mater imaginibus.
Virgineis ulnis divus tunc additus infans,
  Sic verum celebrant hanc peperisse Deum.
Profuit ipsa etiam ad iustos Genitricis honores
  Haeresis, in laudem cessit et impietas.

1729.

Τοῖς θνητοῖς ἐνίαυτος ἐπεὶ παλίνορσος ἄνηλθεν,
  Τάς τε νέας ἴεναι ὠυτὸς ἄνωγεν ὁδοὺς,
Ηρξαμεν ἐκ Μαρίας ἀναμέλπειν ὑμνον ἄοιδῶν,
  Ε'ξ ἧς θεσπεσίων πᾶσα χάρις μελέων
Μητέρα τὴν αὐτην καὶ νῦν ἐπι μακρὰ καλοῦντες
  Εις πᾶν ὑμνοῦτες καὶ κελαδῶμεν ἔτος.

3. JANUARII.

1713.

Qui vitam cunctis, vitaeque alimenta ministrat,
  Pabula quo et fruges terra iubente parit:
Et gemitu et lacrymis mortales esurit escas,
  E Mariae et pendens ubere lactis eget.
Ah! quo Te pomi esuries malesana coëgit!
  Ah! quo Te nostri, Christe, subegit amor!

1714.

Insolitis, Divina parens, Te laudibus ornat
  Foecunda e sancto germine virginitas.
Deterit haud florem fructus, titulisque beantur
  Gignere digna Deum viscera virgineis.

1715.

Excipe pastores humili sub tegmine, Mater,
  Qui Tibi iure pia simplicitate placent.

Hos inter nostros de pectore suscipe cultus,
  Quos rudis agresti fistula voce refert.

1717.

Dulces, Virgo, dies, et dulcia gaudia ducis,
  Complexa infantem, quo bona cuncta tenes.
Non Te Caelorum, Mater, felicior aula est,
  Gaudia nec superum sunt potiora tuis.
Oscula seu libas, pascis, religasve iacentem
  Cum libet, ille tuis nutibus obsequitur.

1722.

Jam laudes musasque novas novus excitet annus,
  Jam nova virgineum carmina nomen amat.
Cedite squalentes veteri pro more Camoenae,
  Partheniis veniat gratia iuncta choris.
O utinam latices signato e fonte liceret
  Ducere, Pegasides quei superantur aquae.
Enthea vis cantus mihi tunc pro Matre cieret
  Queis possem numeros vincere Moeonios.

4. JANUARII.

1712.

O sempiterni Numinis
  Sponsa, et Parens, et Filia,
  Quae plena Patris gratia
  Regina caelo praesides.
Quae cuncta nutu temperas,
  Votisque prona supplicum
  Largiris omne perpeti
  Quae flagitantur munera.
Quae voce morbis imperas
  Et ore terres tartara,
  Et cui fugata protinus
  Adversa cedunt agmina:

Ades precantis vocibus,
Cerne et iacentis lacrymas;
Malis redempta ut corporis
Mens tuta Christo serviat.

1713.

Laudamus Mariam, Mariae de nomine nostra
Pulset dulcisono carmine musa chelyn.
Laudamus Mariam, toto mihi corpore fibrae
Sint resonae ad Mariae nomina sancta fides.
Cantemus Mariam, Mariae de numine vitae
Spes mihi deiecto certa perennis erit.
Cantemus Mariam, Mariae de carmine dulcis
In nostrum fundit gaudia pectus amor.
Si quid scripta igitur, si quid facundia linguae,
Carmina si numeris, ingeniumque valent;
In Mariae laudes cedat studiumque laborque
Vox, stylus, eloqium, carmen et ingenium.

1717.

Sancte Puer, carae qui Matris ad oscula rides,
Gaudia qui nivei pectoris ore beas.
Aspice sub teneris quos virtus educat annis
Et structis pueros erue ab insidiis (*a*).
Illos si placido dignaris cernere vultu,
Hostis erit stygii nullus ubique metus.

1719.

Sanctam canentes Virginem
Divo beatam parvulo,
Tristes fugemus noenias
Dirasque curas pectoris.

(a) Loquitur de pueris, qui in Seminario Vaticano degebant, cui clarissimus Auctor summa cura et vigilantia praefuit.

Digitized by Google

Dicamus ortu Numinis
  Novis adauctam laudibus ,
  Cum prole puram candidi
  Servasse cordis lilia.
Et lacte Patris unicum
  Pavisse summi Filium ,
  Qui more visus servuli
  Celabat in membris Deum.
O sorte laetam prospera
  Matrem superni principis ,
  Quae cernis ora et lumina
  Queis aula laeta est coelitum.

1720.

Sera tuas Mater , referunt mihi tempora laudes ,
  Vixque Tibi multa in nocte vacare sinunt.
At tu nocturnis studiis , curisque diurnis
  Materno pariter numine Virgo praees.

1724.

Poichè il desio di farvi onor mi mena
  Troppo in alto poggiando oltre il costume
  Piacciavi , o Santa Vergine , a le piume
  E al basso canto dar vigore e lena.
Voi che del Santo Spirito ripiena
  Qual luna al Sole, o specchio al primo lume,
  O qual de l' Oceano real fiume
  Spargete a noi le grazie in larga vena.
Rischiarate l' ingegno , e a l' infeconda
  Mente date quell' acque , onde la santa
  Città di Dio sì copiosa abbonda.
Ch' allor , quell' irrigata , e fertil pianta
  Sarà di vostre lodi più feconda
  Ch' or sterile e dimessa adombra e canta.

1730.

Μή ποτε τουν κόσμου ὀλοφώϊα Μῆτερ Ανασσα,
Μηδέ με αἰῶνος πάρφασις ἐξαπατῶ
Πάντοσε γε σκοτιης ἐχύθη τῆσ νυκτὸς ὀμίχλη,
Δίκτυα παντηόθεν: δυςμενυέων τ'ἔνεθαι
Αλλὰ δικαιοσύνης φαος ἠέλιόντε φέρουσα
Παρθένε τοῖσιν ἐμοῖς ἤχνεσι φέγγος ἔσο.

5. JANUARII.

1712.

AVE MARIS STELLA.

Alma Dei Mater, Virgo castissima felix,
Caeli Porta, maris stella furentis, Ave.
Laeta tenes Gabrielis Ave, quo tristia mutas
Nominaque et cladem, quam tulit Eva parens.
Vincula solve reis, profer pia lumina caecis,
Pelle mala et miseris, Tu bona posce precor.
Monstra te Matrem, per te non vota repellat,
Qui per Te natus gestiit esse tuus.
Virgo omnes inter mitissima, crimine vitae
Ablutis confer virginitatis opes.
Tutum iter, et purae da candida munera vitae,
Et laetis Jesum cernere luminibus.

1716.

Surge Sion, lux ecce venit, quam pressa tenebris
Dilatam longo temporis orbe vides.
In Matris gremio iacet, ac puer ubera sugit,
Qui te promisso lumine restituat.

1717.

Devia ne fallant, ne tardent aspera gressus,
Dum natum quaerit sedula cura tuum;
Sterne viam, Bona Virgo, pedes et dirige, Christum
Cum sanctis una ut regibus inveniam.

Digitized by Google

1728.

Candida virgineas referunt quae lilia laudes,
  Queis fuerat Marie digna placere Deo ;
Contemerare furens dictis Vigilantius audet,
  Ac gemini oppugnat foederis eloquia.
Utraque nam puram celebrat sacra pagina Matrem,
  Prole nec intactum deperiisse decus.
Hanc septus circum et clausus signaverat hortus,
  Occultae hanc simulant ex oriente fores.
Praedicat intactam signatis fontis imago,
  Jessaea et fruticis nescia virga refert.
Antra Palaestinis gemitu qui complet in oris
  Pro Matris pugnat virginitate senex (*a*).
Mox omnis Doctorum acies invadit in hostem,
  Flammato tantum corde secuta ducem.
Laudibus in Mariae, queis certant undique primus
  Christiadis niveus candor in ora venit.
Suppeditant quascumque volumina sacra figuras,
  Palmas, cypressos, balsama, thura, rosas.
His ornant divam signis titulisque puellam,
  Et late afflatur virginitatis odor.
Tartara nequidquam suffundere nigra tenebras
  Tentant, splendorem Matris ut inficiant,
Et frustra insidias molitur perditus anguis,
  Mortiferum pedibus cui terit illa caput.

6. JANUARII

EPHIFANIA DOMINI.

1712.

Surge, oritur summo coeli de vertice lumen,
  Ecce Redemptor adest, surge, redempta Sion.
Audivit gemitus, properavit solvere vinctos
  Victus ab eximia iam pietate Deus.

(a) D. Hieronymus, qui librum conscripsit contra Vigilantium.

Confluit ad Bethlem sacra limina barbarus, atque
  Regi iusta tuo munera solvit Arabs.
Stella viam radiis incerto in tramite signat,
  Gentibus atque eadem praevia monstrat iter.
Hanc sectare ducem, regis venerare Parentem;
  Haec stella, haec certae facta magistra viae est.

1713.

Genti, che pria tra dense ombre sepolte
  Gli occhi al lume del ver mai non apriste,
  Ma in vani sogni, e cieche larve e triste
  Foste con noi lunga stagione involte;
Or che dal nato Sol già vinte e sciolte
  Le gravi aspre catene antiche udiste,
  E le tenebre rie d' atro orror miste,
  Onde giaceste in servitude incolte:
Ite divote al nato Re del mondo,
  Baciate umili e riverenti il piede
  Cui inchina la terra, e 'l Ciel profondo.
Grazie rendete anche a colei, che diede
  Col divin parto un giorno sì giocondo
  Alba felice de la nostra fede.

1715.

Qui Tibi nunc sensus? cumulant quae gaudia pectus,
  Intacta o Nati Sponsa Parensque Dei?
Deposita reges dum maiestate procumbunt,
  Atque novum Regem per nova dona colunt.
Virgineis illi verbis, Pueroque beantur,
  Et sua longinquum praemia portat iter.
Felices aures! feliciaque ora tuentum,
  Quae coeli felix aula videre cupit.

1716.

Heu! quantis immensa malis tenebrisque iaceres
  Gens olim erroris subdita servitio;
Te nisi duxisset radiantis sideris astrum
  Justitiae in rectam, Christo oriente, viam,

Te Mariae stellae radiantis lumina signant,
  Qua nulla athereo pulchrior axe micat.
Te sequimur, tu ducis iter, vestigia natum
  Ad regem, Mater, Te duce perveniant.

1717.

Expectata diu Domini, Tibi gloria surgit
  Quemque exoptarunt saecula prisca, vides.
Ergo age laeta Sion veteris dimitte querelas,
  Divinos Christi lambere digna pedes.
Dignaque flammato de pectore munera profer,
  Thus, myrrha, atque aurum sit Tibi sola fides.
Redde etiam Matri tanto pro germine grates:
  Nam longis finem luctibus illa dedit.

1718.

Ecce tegunt late populos terramque tenebrae,
  At fulget, Solyme, te super orta dies.
Haec Tibi per Divae panduntur lumina Matris,
  Umbra quibus coecae perdita noctis abit.

1719.

Dum Christi quaerunt nati incunabula reges,
  In dubio signas tramite, stella; viam.
Per te non ullus vestigia devius error
  Fallit, vel rapidi tardat amoris iter.
Sic Te coelesti faciles dum luce sequuntur
  Laetanti ad Christum pectore perveniunt.
Ne mihi, neve meis, Mater, tua lumina condas,
  Queis famulis regna ad lucida sternis iter.

1720.

Dudum nos densae errorum lusere tenebrae,
  Et coecas mortis trivimus usque vias.
Donec inocciduum sancta de Virgine sidus
  E supero exortum protulit axe diem.

Ille dies totas lustravit lampade terras,
  Promissus qui iam Patribus ante fuit.
Ergo decet tenebris antiquae noctis abactis,
  In liquida rectas carpere luce dies.

1722.

Caligo noctis pellitur,
  Aurora iam vexit diem,
  Exorta lux nos admonet
  Somno iacentes surgere.
En coeca gens ex abditis
  Mundi vocata sedibus
  Accurrit ardens nuntio
  Regemque adorat gloriae.
Huic stella cursum lumine
  Christi beatos ad pedes,
  Matris figuram praeferens
  Inter pericla dirigit.
Quid iam moramur desides?
  Monstrante caelo semitam
  Laeti sequamur, et satum
  De Matre quaeramus Deum.
Tum pura cordis munera
  Pietas fidesque proferat
  Matremque, Natumque intimo.
  Cultu salutet caritas.

1723.

Coecis obsita noctibus
  Ex longe positis orbe recessibus.
Exortumque videt diem,
  Et lucem approperat cernere cominus.
Gens, quam stella micantibus
  Ad Christum radiis praevia dirigit.
Quaerit sedibus e suis
  Inventumque colit muneribus Deum.
Ergo ad lumina sideris,
  Quae signant Mariae virgineum decus,

Ad Christum arripiat viam
  Mens, et sollicitis sedula gressibus
Bethlemitem adeat specum,
  Et divos Pueri procidat ad pedes;
Illumque in stabulo licet,
  Regemque et Dominum praedicet et colat.
Digna et pectore ab intimo
  Nato sanctus amor munera proferat.
Tum vis si qua coegerit,
  Aut si summa Patris iussa recedere,
Mores vitaque per novas
  Ad coeli patriam se referant vias.

1724.

Seguitate de la Stella
  La ben sicura scorta
  O sopra ogni altro avventurati reggi.
  A corona più bella
  Il suo lume vi porta
  E a' più sublimi e maestosi seggi,
  Ove le vere leggi
  D' onor e gloria insegna,
  Chi dopo tanti giri
  Di anni e tanti sospiri
  Da servo in terra nasce, e nel Ciel regna.
  Ite pur lieti in fretta,
  Ch' ei più del vostro core arde, e vi aspetta.
Giace ignoto e negletto;
  Povertade e disagio
  Son di sua maestà divisa e corte
  Tenero pargoletto
  Ha solo il fien per agio
  E trema e piange entro una stalla; in sorte
  Ha sol, che lo conforte,
  La Madre pellegrina
  Sollecita ed intenta
  Perchè men danno sente
  A l' aura algente, e a la gelata brina.
  Vi additeran tai segni
  Quel Re, che in Cielo impera e dona i regni.

Digitized by Google

Egli di sua grandezza
Ha per base umiltade ;
Ch' alma tanto è maggior del mortal fasto ,
Quanto più 'l fugge e sprezza
Diverse e torte strade
Il mondo calca , e a biasmarlo non basto.
Perchè tanto contrasto
Nel seguire in catena
Del cieco volgo insano
Il parer folle e vano ?
O qual maggior viltade , o maggior pena
Ch' il credersi sublime
Sol perchè il mondo il reputi e l' estime?
Ite , la norma e l' arte
Di regnare apprendete
Dal maestro bambin che umil si tace.
Non del Ciel lo diparte
Dell' oro avara sete ,
O di palme e trofei pompa fugace.
Egli è il re della pace
Che l' armi e l' odio abborre ,
E che regna in ogni alma ,
Cui sian le voglie in calma ,
E i figli de la pace ama raccorre.
L' esempio è la sua voce ,
Ch' insegna, il tuo gran regno esser la Croce.
Lo scettro avrà di scherno ,
Di duolo la corona ,
E di beffa e di strazio il trono e 'l manto.
Questa di un regno eterno ,
Ch' Egli possiede e dona ,
Sono l' insegne. E quella poi , ch' a canto
Voi vedrete dimessa
Agli atti e le parole ,
Servir la reggia prole ,
Del nuovo regno è la regina istessa.
Così ad onor del figlio
Ha prescritto del Padre il gran consiglio.
O vostra lieta sorte
Di adorar così arcane alte vicende ,

Ed il baciarli il piede
Troppo gran premio fia di vostra fede.

1726.

Cedit offusis tenebris vetustas ;
Stella promissam sobolem , diemque
Monstrat; ignotis vocat usque ab oris
Lumine gentes.
Matris haec signat titulos decusque ,
Luce , quae pandat bona cuncta iustis ,
Et viam rectis , tumidaque pellit
Mente superbos.
Ergo maternos radios sequamur ,
Saeculi curas , patriasque sedes
Linquere praestat , Pueri Deique
Tecta petentes.
Virginis laudes celebramus , una
Quae bonis totum Iocupletat orbem ,
Quae pedes nobis Pueri beatos
Lambere donet.

1727.

Nec Te membra Deum , nec Te domus hospita regem ,
Ullae nec Dominum , Christe, fatentur opes.
At Te sidereo gens lumine docta requirit ,
Confessa et votis muneribusque Deum.
Illa videt Dominum caeli , terraeque potentem ,
Regemque abiecto in corpore prona colit.
Magna putat , fallax magni quae vestit imago ,
Et nomen gestit mundus inane sequi.
Nos Mariae radios tuti, stellamque sequamur ,
Quae docet , quaenam sint bona vera , fidem.

1729.

Φῶς μέγα κ' ἠελίου ζαθέη ἀνέτειλεν ἡ αἴγλη,
Καὶ γενεαῖς ἦμαε το τριπόθητον ὅλαις.
Θῆλε ἀπ' αντολίης βασιλεῖς καλα δῶρα φέρουσιν,
Τέα ἤδε Θεοῦ προσκυνέουσι σρέφος.

Digitized by Google

Μαίνεται Ηρώδης, ἱερόντε ταράττεται ἄστυ,
Τῶν δε επαγγελίων τῆς χάριτος λάθετο.
Αλλὰ Μάγους μη θαυμασίου λάθε ἀστέρος αὐγή,
Ηγεμονος σπομενους θρεκτον ὁδοιπορίης.
Ως σῦν τῃ Μαρίᾳ, εὑροντες Α"νακτα σεσονται,
Καὶ χρυσον σμιρνην πρόσφερον ἠ λίβανον.
Σμίρνη τῳ θνητῳ, λιβανον θεῷ υχιμεδόντι,
Καὶ Βασιλῖε μεγαλῳ χρυσεα δῶρα πρεπει.

1730.

Α'στέρα της ὄρφνης διὰ νυκτὸς παμφανδοντα,
Ορθρον τ' ημερίνου τον γευέτηρα φάους,
Μητερα τοῦ μεγάλου ασπαζωμεστα λόγοιο,
Παῖδα λοχευσασαν τὸν Θεον ἀϊδιον.
Τηλόθεν ὅν ζητοῦντὲς ἀπ' αυτολίης Βασιλῆες
Προσκυνέουσιν ἔτι σμικρον ἔοντα βρεφος.
Θαυμασίων δ' ἔργων θηησάμενοι, τῶ Ανακτι
Θνητῳ κ' ἀθανατῳ, ἄγλαα δῶρ' ἄναγον.
Κ' μακαριζοντες τὴν ἀγχίθεον γενέτειραν,
Ητορ αγαλλομενοι οἴκαδε ἄκ απιον

7. JANUARII.

1713.

Felices animae, Christi dum quaeritis ortum,
Lux gemina et Christi vos beat, et Mariae.
A Matre infantem nec amor, nec dividit aetas,
Assidua est Nati Numinis illa comes.

1715.

Dum Proceres Christum regemque Deumque fatentur,
Laetatur Nati Matris amor titulis.
Et nos addamus Dominum Numenque colentes,
In dulci Matris pectore laetitiam.

1716.

Munera, quae promunt myrrhaeque et thuris et auri
Qui longe adveniunt ex oriente Magi,
Excipis; illa etenim Christo pia dona probantur,
Virginis intactae quae retulere manus.

1717.

Quam laeta e solis venientes excipis ortu,
Atque oblata Deo munera concilias;
Tam pia divino ferimus quae carmina Nato
Excipias, Nato munera parva tuo.

8. JANUARII.

1712.

Quae Tibi, quae Christo pietatis munera sistam?
Quae Tibi de censu paupere dona feram?
Promere cor liceat, nullo quod fulget ab auro,
Sed si tu excipias, Partheni, dives erit.

1715.

Dum sacra lustrantes Christi celebrantur, inertem
Me in stratis longo e rheumate febris habet.
In morbum trepidumque metum, Virgo inclyta, pelle,
Incolumemque piis restitue officiis.

1717.

Sidereis oris, et coeli sede relicta,
Materno recubas Virginis in gremio:
Atque Tibi, Divine Puer, prae lumine coeli
Antri clarescunt splendidius tenebrae.

Digitized by Google

1721.

Cantus Melpomene Virgineis pares
In quae sola potes, praecipe laudibus.
Assultet Mariae mundus honoribus,
Et certat Dominae numina pangere.
Illam dulcisono flumina murmure,
Et pictae celebrent aetheris alites.
Quae sylvas peragrant, quae mare permeant,
Hymnos vel tacitis vocibns offerant.
Et quae gens hominum per loca diditur,
Urbes seu medias incolat, ultimas
Orbis pulsa procul seu teneat plagas,
Omnes Virgineis laudibus assonent.
Laudes ingeminans excipiat polus,
Exultent Mariae nomine Caelites,
Et prae dulce melos tartarus horreat.

1727.

Quae nato coeli Domino, quae munera Matri
Regibus immixtus pauper inopsque feram?
Non ego mentis opes, animi non dona iacentis,
Corporis et vires promere non valeo.
At tibi non pretio laudantur dona vel auro,
Sed qui aurum vincit, Christe, probatur amor.

9. JANUARII

1712.

Requirebant eum.

Sollicita amissum Solymis dum mente requiris,
Clamore et Jesum congeminante vocas;
Ille Patris summi causas et iura tuetur,
Atque aperit libris sensa reposta sacris.
Inventum complexa tenes, et laeta reducis,
Paret et ille tuo subditus imperio.
Sic humana gerit, sic et divina ministrat,
Debita sic Matri reddit et ille Patri.

Digitized by Google

1713.

Lo smarrito tuo figlio
Cerchi tutta anelante,
Perchè fervida amante,
Ne puoi sì bel tesor porre in oblio.
Fate, che cerchi anch' io
Quel parto di mia pace,
E che trovi in lui sol ciò, che più piace.

1716.

Joseph et Maria inquirunt Te, Christe, dolentes;
Tu tamen in templo iussa paterna facis.
Sedibus ac veniens superis Sapientia, legis
Condere quam properas, semina prima iacis.
Nec refugis caram quamvis liquisse Parentem;
Tantus divini cogit honoris amor.

1718.

Diversum invenias donec, Virgo inclyta, Natum,
Nulla Tibi est, studio sollicitante quies.
Felix! qui tecum Jesum quaeritque vocatque
Laetior et Tecum si pius inveniat!

10. JANUARII.

1712.

Obscura Herodes nati incunabula Regis
Impius insana suspicione timet.
Heu! quantis agitur diris, quibus irruit armis
Immanis tumidi pectoris ambitio.
Tartaream nostro ex animo procul exige pestem,
Quae Christo et Patri, Virgo modesta, places.

Digitized by Google

1713.

Cum tua divinum fudissent viscera Regem,
Ad Bethelem duxit stella corusca Magos.
Tu mihi sis, Mater, radianti lumine stella,
Quo valeam Christi pronus adire pedes.

1714.

Qui sancta potuit cum Virgine cernere Jesum,
Ille alio in patriam tramite regreditur.

1715.

Gentibus e tenebris Christum venientibus offers,
Cum donis humiles excipis atque preces.
Ergo o solari primos dignata colentes
Aegrum solari perge, benigna Parens.

1716.

Qui primi Christum reges quaesiere colentes,
Ad sanctos Mariae procubuere pedes.
Sic, Jesu, Te quisquis amat, de Matris amore
Laetatur cultus is cumulare tuos.

1717.

Ne caecis noceat coluber submissus ab antris,
Neve Dei tenero in gramine turbet opus:
Tu pueros defende, Parens, Tu longius hostem,
Irasque hostiles submove et insidias.

11. JANUARII.

1713.

Munera, quae nato promantur debita Regi,
Adsunt in tanta non mihi pauperie.
Suffice, Mater, opes; nam Te donante licebit
Affluere, et largas promere divitias.

Digitized by Google

1715.

Pro thure atque auro tenui modulante camoena
Decumbens famulus munera parva refert.
Quae nato Regi Mater si proferat, illa
Non regum gazis inferiora putem.

1716.

Exaudi famulum pro munere vota ferentem,
Quae Christo, Mater, commiserata feras.

1717.

In Matris gremio recubans, atque ubera sugens
Parvule, divina in lege, magister ades.
Tu mores hominum nova per praecepta reformas;
Lumina Tu saecli temnere vana doces.

1721.

Concentus si lingua pares numerosque moveret,
Laudes detererem non ego, Virgo, tuas
Aemula maeonium sed musa lacesseret aestum,
Impar aethereis nec foret illa choris.

1729.

Παιδὶ τεῷ τιν' ἐγὼ ἀναθήματα, και δόματ' οἴσω,
Μῆτερ ἐμὴ, πτωχὸς πάγχο κὰι ἀκτέανος;
Εἰθ' ἀπό σευ πλοῦτος κὰι τίμια δῶρά μοι ἔλθοι,
Ὧν αγάπη κραδίης ευπορει εὐσεβεός,
Πρὸς πόδας αἰδίου Βασιλῆος πάντα φέροιμι
Κ'εἴω ἄλλων δὴ περιολβος ἀνήρ.

12. JANUARII.

1713.

Ad Mariam properet, Christum qui cernere quaerit,
  Virginis in gremio Parvulus ille cubat.
Allicit, invitat, stimulat; nec amantibus illa,
  Si cupide approperent, gaudia tanta negat.

1715.

Qui Christum cupiunt, Mariam quaerantque, rogentque
  Ostendit natum gentibus illa Deum.

1716.

Dum gentes properant ad Christum, Virgo, iacemus,
  Ad Christum ut properem, robora restitue.

1717.

Corda Tibi, Jesu, pro munere sistimus; at Tu
  Ne temne exiguo in munere pauperiem.
Quin Tibi dilecta placatus Virgine, nostras
  Illa suscipias conciliante preces.

1720.

Sufficias vires si, Virgo, laboribus aequas,
  Afferet assiduus taedia nulla labor.
Sed vigiles noctes studiis, curasque diurnas
  Ultro animus summo Patre iubente feret.
At fallax operis rapiat ne gloria fructum,
  Numinis hocce tui, Virgo, potentis erit.

1721.

Quod fusas acies litore in Africo
  Maurorumque necem cantat Iberia,
  Quod vexilla Deo parta dicavimus
    Palmae insignia nobilis;

Grates, Virgo, piis addat honoribus
Gens devota tuis Romula laudibus,
Christique auxiliis atque tuo canet
Partam numine lauream.
Quae collis celebri ad sidera vertice
Vitrici Mariae nomine tollitur
Ostendet domitis rapta rebellibus,
Aedes signa nepotibus.
Palmam, Virgo, novis eia age, fructibus
Praesenti cumules numine, publicis
Adspirans studiis, et bona suscipe
Fusas Pontificis preces. (a)

1730.

Τοὔνομα τῆς Μαρίης περιφίλτατον ἱμερόεντε,
Ηδὺ μεν ἀνθρωποις, ἥδυον ουρανίοις,
Ε'κ κραδιης ἀγαπῶν, ανὰ ἥματα και δια νυκτῶν
Νωλεμέως κελαδω κ'ὀυ κορος ἐστὶν ἔτι.
Μή' δι'ἀνορεξις ἐμον, μηδ 'ἆση πώποτε θυμον,
Καὶ μὴ πεδφινοὸυ ἔργτερατος εκνος ἕλοι.

13. JANUARII.

1712.

Clauduntur Gentis solemnia sacra vocatae,
Cui per se licuit, Virgo, tenere fidem.
Non mihi sancta tuae condantur lumina stellae,
Ut per Te ad Jesum, Virgo regaturiiter.

(a) *Quum Philippus V. Hispaniarum Rex, Summi Pontificis Clementis XI. monitis incitatus, Mauros oppugnasset, qui Septensem Urbem obsidebant, et multis caesis millibus, longe pluribus captis, non uno certamine eos devicisset, eamque Civitatem pristinae libertati donasset; ut tantae victoriae perenne extaret monumentum, plura vexilla barbaris erepta eidem Clementi dono misit, qui ea variis Beatae Mariae Virginis templis Romae suspendi curavit. Hoc argomentum prosequutus est Auctor hoc carmine. Vide eiusdem Clementis XI. Vitam a* Pietro Pollidori *conscriptam. Lib. V. §. LII.*

1713.

Jordanis Christus baptismo consecrat undas,
  Hydria vina refert, regia dona Magus.
Haec recolit veneranda dies, quae carmine laudes
  Deducto signat, Virgo beata, tuas.

1715.

Christe o qui sacram foecundas fluminis undam,
  In vina et vitreas dulcia vertis aquas.
Sentiat et Maria nobis miserante, tuam vim
  Depulsis morbis reddita prima salus

1716.

Quod per Te Christi miracula prima coruscant,
  Cum vini latices hydria iusta dedit;
Fidimus et per Te, Mater, maculata fluentis
  Eluat ut Christus pectora nostra sacris.

1720.

Sinica dum nostros exercet causa labores,
  Quae fratrum rixas dissidiumque fovet;
Suggere pacificos sensus, et verba loquenti
  Ut iuvet excussam pax reparata fidem (*a*).

1727.

Adspice, Virgo, novas, quas tartarus excitat undas,
  Mergat ut incautos, decipiatque leves.
Ne capiat saecli, vel subdolus obruat umbra
  Lumine quos caeli, Virgo beata, regis,

(a) *Ex hoc Epigrammate luculentissime apparet Summum Pontificem opera et labore Caroli Maielli usum fuisse in explicandis illis quaestionibus, quae tot turbas in Ecclesia excitarunt, de Sinensium ritibus, de quibus inter caeteros consulendus est* Bercastel *in Historia Ecclesiastica.*

Effice stultorum vacuis ne vocibus aures,
  Neu falsis cedant pectora iudiciis.

14. JANUARII.

1712.

Divitiis alius Tibi templa nitentia, Virgo,
  Extruat, atque aris aurea donat ferat.
Carmine Te colimus, colimus Te paupere censu,
  Munus et exiguo par damus ingenio.

1715.

Mariam colamus Virginem,
  Seu membra languor opprimit,
  Seu restitutis viribus,
  Laetamur illa praeside.
Illam canendo mitius
  Saecli premunt incommoda.
  Illam colenti quam sapit
  Fructus Crucis iucundior!
Hanc mente, corde, et carmine
  Laudemus ergo, et supplices
  Mariae potentis gratiam
  Nostris precemur versibus.
Te, Virgo, coelum concinat,
  Te terra Matrem sentiat,
  Te nostra semper pectora
  Quaerant, adorent, invocent.

1717.

Suggere, Sancta Parens, humilique Christus in antro,
  Ut nos instituat, voce silente docet.
Coelestis Sophiae Tu dogmata cordibus infer,
  Dogmata de Nato quae bene docta sapis.

1729.

Μυρομένοις, Μῆτερ, καὶ δάκρυα θερμὰ χέουσιν,
Ισθι ἔρυσμα, τεοῖς παισὶ παρισταμένη.
Σεῦ χωρὶς, μη τις τοῦτοισι παρήγορος ἔσται,
Μή δέ τι παρφρασίης φάρμακον ἀχνυμένοις.

1730.

Πάνθ' ὅσα εἰσοράω, καὶ τὰ φρεσὶ μερμηρίζω,
Η" μεν ἐπιχθονίων, ἠέ ἐπουρανίων,
Παντ' ἔλεος, καὶ πάντα κλέος, και παντα τὸ κάλλος,
Πάντα τεὰς κοσμεῖ, Παρθένε, τὰς ἀρετάς.
Ομμα σεληναίης, σελας ἄσπετον ἠελίοιο,
Αστέρες, ἠ νοερῆς φεγγεα τῆς στρατιῆς,
Ωρεα καὶ ποταμοὶ, ἁλὸς ὕδατα, καρποφόρος γῆ,
Σῶν κτεάνων κ' ἀγαθῶν αμφανέουσι τυκον.
Εἶμά σοι ἠέλιος, θητεύει ποσσὶ σελήνη,
Στιλβοντες κρετάφους ἀστέρες ἀμφίδεον.
Σοὶ περὶ τῶν ποταμῶν βαθυκόλπου κ' ωκεάνοιο
Εὔπορος ἠ χαρίτων ἐστίν εὐεργεσίη.
Ὕψος σῆς ἀρετῆς ὀρέων περὶ δείρατα βαλλει,
Ουρος δῶμα Θεοῦ ἐν κορυφῆς ὀρέων.
Μήδε τεοῖς καρποῖς αἱ ἀρούραι δηριοῶντο.
Ως σοι πᾶσα κτίσις μηδὲν ὅμοιον ἔχει.
Ωδε σε πανταχόθεν κυρηττων κόσμος ἀνυμνεῖ
Πολλὰ κλέος θείης Μητέρος ἀζόμενος.

15. JANUARII.

1714.

Fac referam studiis Te dignos auspice fructus,
Tuque Parens vires ingeniumque fove.
Nam quid corrosis iuvat impallescere chartis,
Et studia atque animum Tu nisi, Virgo, regas?
Mittat contentos potius mens fracta labores,
Te nisi per libros, per studiumque colat.

Digitized by Google

1716.

Se Tibi, Virgo Parens, animus, sensusque volentes,
Se Tibi cor nostrum, se Tibi lingua vovet.

1717.

Mater, dulcis amor, curis vitiisque solutus,
Quam vellem soli posse vacare Deo!
Ut nemorum cultor, coeli magis incola Paulus,
Cui primum angelicae semita trita viae est.

1720.

Coelestis, Virgo, in tenebris cum lucis egemus,
Ad tua suppliciter numina confugimus,
Dirige per tutos vestigia devia calles,
Gressibus obiiciant aspera nulla moras.

1721.

Ne vacua exciderent intersita tempora curis,
Aulae inter strepitus haec Tibi condidimus.
Vana supervacuo raparent ne verba susurro
Momenta officiis debita Virgineis.
Sic Te, Virgo, stylus cunctas meditatur in horas,
Laudibus atque tuis, Mater, ubique vacat.

1723.

Jactamur undis, Alma Parens, novis,
Nec ira saevi concidit aequoris,
Qui dirus excivit procellas
Pergit atrox renovare turbas.
Fremens adactum vulnus alit sinu,
Longa haud mederi quod potuit dies,
Atque efferatos gestit altos
Ducere ab immeritis triumphos.
Tu, diva Mater, quae mare temperas,
Cui paret austrorum ira furentium,

Compesce pugnacem, ac tumentes
Sterne minas, animosque flecte.
Sit iam regendi dignior officï,
Et ora summi Judicis horreat;
Placatus affectet benignos
Consilio meliore sensus.
Hoc et togatis addat honoribus
Ut mitis iram pectoris edomet,
Factisque servet, quae timenti
Jura tumens populo ministrat.

16. JANUARII.

1712.

Rubum, quem viderat etc.

Foedera, quae vidit Moses flammaeque rubique
Umbram, Virgo, tuae Virginitatis habent;
Cui nec Virginitas invidit gaudia Prolis,
Nec prole interiit Virginitatis honor.

1716.

Sub Divi dudum cecidissem Vindicis ictu,
Solvissem et merito crimina supplicio;
Tu nisi praescriptae repulisses fulmina poenae,
Materna avertens tela cruenta manu.

1717.

Dum trepida hostiles formidat turba furores,
Exiguusque lupi grex timet insidias;
Tu Superùm Regina potens, de vertice Olympi
Ut pavidis addas robora, tende manum (*a*).

(a) *Quum Achemetes III. Turcarum Imperator hoc anno 1717. ingentem exercitum in Pannonia adversus Christianos comparasset, ii iure timebant, ne longe minores Caesaris, aliorumque Christia-*

1718.

O Madre in dolci modi
Cantar vorrei vostre divine lodi,
Ma non giunge al bel segno
Il mio tarpato ingegno.
Voi date spirto e lena
A la mente, a la lingua, al Core, al canto,
Poichè infondete al petto il dolce e santo
Nobil desio, ch' a farvi onor mi mena.

1720.

Quam tibi sollicitat, Mater, pia pectora Jesus,
E patriis laribus cum duodennis abest!
Ast ille haud superis praefert tua gaudia iussis,
Dum divae legis sacra reposta docet.

1729.

Ἔργα τὰ γειοπόνων ὄλεσεν, και βωλον ἀρούρης
Φορβην τ' ἀνθρώπων ὄμβρος ἀπειρεσιος.
Λ'ραλεοις ἀνεμοῖς σὺν λάιλαπι μαρναμενοισι
Ερρηψεν νῆας κύματα ποντοπόρους.
Γῆ πεζοῖς ἄβατος χαίνει πᾶσαι δε τ' ἄθαγποι,
Ηελίου νεφελαῖς νὺξ ἐκάλυψε φάος.
Δείδιμεν ἐσσομενην τε βλασην, μὴ λιμὸς ὀπίσσω
Η'ειωωντα φθείρη δῆμον εσερχομενος.
Πρός σε λίτας πάντες, Μῆτερ, πεμπουσι κ' ἐπαρὰς,
Πρώτοις ριγοῦντες πήμασι κ' ὑστατίοις.
Εὔδια σὺ, Μῆτερ, φέρε ἤματα ευχομενοισι,
Λαίλαπας, ἠ δ' ἀνέμους καί νεφέλας σκέδασον.

---

norum Principum copiae a tanta immanissimi hostis multitudine opprimerentur. Sed B. Mariae Virginis ope Turcae omnino victi, ac profligati fuere a Christianis XII. Kal. Septembris. Vide Lud. Ant. Muratori in Italiae Annalibus.

17. JANUARII.

1713.

Quando d' Antonio miro
La vita, i sensi, i fatti, e l' aspra guerra;
E come seppe in terra
Vivendo conversar là su l' empiro;
Di me medesmo meco mi vergogno:
Che vanamente sogno
Agiar mia vita in questa bassa valle.
Deh! mostratemi il calle,
O santa Madre, onde seguire il possa,
E date al lento piè vigore e mossa.

1716.

Felices! coluit quas olim Antonius oras,
Tanta ubi pro Christo praelia conseruit.
O quam flammatis cor vestra silentia votis,
Ac vestras umbras mens gemebunda cupit!
Quod si me tantae reddat, Virgo inclyta, sorti,
Hac una in terris sorte beatus ero.

1717.

Ut certum intendat regna ad coelestia cursum,
Neu vitae stygius distrahat hostis iter;
Aspera sylvarum, nemorumque Antonius umbras,
Et Christi flammis corde calente petit.
Hoc duce, sancta Parens, Monachorum examina cogis,
Vitaeque angelicae sic rudimente trahis.

1719.

Pertaesus mundi tacitas Antonius oras
Divino excitus Numinis igne petit.
Non hunc divitiis saecli mendacia ludunt,
Gloria non curis ambitiosa quatit.
Irrita magnanimo certamina tartarus infert,
Quin palmas cumulat cum nova bella ciet.

Sic totus rebus coelestibus incubat ardens,
  Vitae et sepositae sic documenta dedit.
Angelicos inter visus sic degere cives,
  Quantum vis animum terrea membra premunt.
Post hunc da propero, Mater, contendere gressu,
  Atque sequi tantum corde calente ducem.

1720.

Febrili, Mater, languit Lancisius aestu,
  Publica tuta fuit quo medicante salus.
Cunctorum Tu, Virgo potens, accurre periclis,
  Cumque illo et cunctos convaluisse velis (*a*).

1725.

Dum sylvas animus, saltus et mente pererrat,
  Atque ubi sanctorum longa palaestra fuit;
Tunc horror strepitus subeunt et taedia vitae,
  Sepositisque locis tunc latuisse placet.
At Tu, Sancta Parens, retinent quae vincula, cernis,
  Auxiliique vales ferre potentis opem.
Tende manum, curas inter ne victa tumultu,
  Mens minus internis vocibus apta vacet.

1726.

Huc ades, aethereas ducis quae laeta choreas
  Uranie, ac Mariae referens in carmina laudes,
  Mellifluis patriam numeris ac vocibus imples.
  Non haec coelicolis serventur gaudia solis,
  Sed dulci afflictas hilarent adspergine terras.
  Nil nostras etenim permulcet dulcius aures,
  Edomat excitas nec lenior aura procellas,
  Quam cum virgineo solatia nomine, deque
  Gaudia divinae promanant laude Parentis.

(a) *Franciscus Maria Lancisius Archiater, eruditione ac editis voluminibus commendatissimus, qui morbo correptus est III. Idi. Februarii* CIƆIƆCCXX. *Vide Polidori in Vita Clementis XI.*

Ergo, age, laeta refer, quibus illa refulget in arce
Siderea stipata choris, quam proxima nato
Assidet, ac totum quo numine temperat orbem.
Certant Aligerùm famularier agmina, certat
Sanctorum subiecta cohors, decora alma canentes
Certant et patriae coelesti in lumine cives.
Nos qui terrarum demissa in valle iacemus,
Cum premimur vitae lugendis casibus, illam
Fidentes votis, lacrymis precibusque vocamus.
Seu morbi insultant ac dira pericla minantur;
Pallida sive fames, seu curis urgeat arcta
Pauperies, sive armorum furor impius instet,
Publica seu vexent incommoda, vocibus almam
Late per populos audis resonare Parentem,
Atra et moestitiae involvit cum pectora nubes,
Et pavor et trepidi quatiunt cum corda timores,
Spes laeta oboritur, ac tristia cuncta facessunt,
Accidit afflictas Mariae cum nomen ad aures.
Hanc dedit Omnipotens lassis aegrisque medelam,
Patronamque reis; huius prece fulmina ponit,
Suppliciique vices data gratia praestat et implet.
Quid frangat turbetve animos? Quae territet umbra,
Tutum ubi perfugium carae patet omine Matris?
Haec turris David, stygios quae submovet hostes,
Securam ostentans clypeis pendentibus arcem.
Non acies strictis mucronibus, armaque tantam
Spem viresque animis addunt. Immota resistunt
Robora, Cocyti quamvis ferus urgeat hostis,
Virginis auxilium atque preces si pectus obarment.
Heu! miseros inter qui adversa, humana requirunt
Jactatae sortis, pressae aut solatia vitae.
Quid prodest nam falsus amor, quid verba loquentum,
Quae sive in volucres auras ventosque recedunt,
Seu capiunt faciles fictis sermonibus aures.
Nitimur infirmis, homini cum credimus, atque
Labimur in fragiles; certam quaesisse ruinam,
Damnaque et interitum visi appetiisse volentes.
In liquido verum tandem quin lumine docti
Cernimus, et solida spem nostram in mole locamus?
Jam totis igitur Te Matrem sensibus usque

Digitized by Google

Quaerimus, atque humili Patronam corde rogamus,
Sis pavidis tutela, salus, portusque redemtis.
Cerne quibus nutans quatitur mens percita curis,
Adversis studiis dum Gallia scissa laborat (*a*),
Nec pacis spes ulla, tuo nisi pectora fraenes
Imperio, et Petro subdas demissa magistro.
Hoc age, sancta Parens, odiis ne coeca triumphet
Haeresis, interitum doleat ne vera suorum
Relligio. Complexa sinu sed servet in unum,
Et reducem excipiat, Te dante atque auspice, pacem.

18. JANUARII.

1712.

Romanae celebrat lux haec felicia Sedis
Auspicia, infernis non violanda dolis.
Hac docti verum colimus Dominumque Deumque
Hac decora et quaevis, Virgo, Parentis habes.
Et quamquam infesto concurrant agmine, temnet
Hostes illa tuo fulta patrocinio.

1713.

Imposito dum versamus pro munere libros,
Ad studia et cupidos noxque diesque vocat;
Adspira assiduis, Pia Virgo, laboribus, et sis
Tu mihi dux operis, meta Suprema Deus.

1716.

Christi promissis, doctrina, et sanguine partam,
Quamque super firma condidit ille Petra;
Nulla Erebi rabies, et nulla arma effera Sedem,
Coelesti haerentem cardine concutient.

(a) *Sermonem heic Auctor instituit de Iansenii, et Quesnelli sectatoribus, qui Summorum Pontificum decreta minime ea, qua par erat, animi submissione amplecti volentes, incredibile dictu est, quot perturbationes in Ecclesia conciverint maximo Christianae Reipublicae detrimento.*

Quam Mater Christi auspiciis tutatur et armis,
  Totaque coelorum consociata cohors.
Odrysiis quamquam tumidus festinat ab oris
  Thrax ferus, et caedem spargit, et usque minas,
In sua damna ruet; Petri signa impia postes
  Ornabunt, sacro et fixa trophaea tholo.

1717.

Sancta dies lucem Christi prima intulit Urbi,
  Olim qua mundus luce docendus erat.
Quaeque Petrus quondam sublimi e sede Magister
  Tradidit, haec eadem voce sonante docet.
Hanc hoste a stygio, bona Virgo, tuere Cathedram,
  Ad quam toto gens omnis ab orbe fluat.

1720.

Tu medicas artes medico languente magistro
  Excute, Virgo potens, morbus ut aufugiat.
Aestus Tu febris stimulosque doloris acutos
  Numine promta domes, arida et ora riges.

1727.

Felices animas, positis quae dulcia curis
  Otia, quas divo nectare pascit amor.
Quas Mariae cultus, Mariaeque in carmine laudes,
  Purus et intactae Virginis ardor alit.
Vos strepitus saecli insanos, vulgique tumultus
  Tranquilla mente ac pectore despicitis.
Non auri aut decoris species vos turbat inanis,
  Nec vos fallaci mundus honore trahit.
Nostram optata ne sorte repellite vitam,
  Sed cupidam vestris consociate choris.

19. JANUARII.

Ecce Maria genuit etc.

Ecce Redemtorem genuit solata dolores
  Humani generis germine digna Parens ;
Quem cum caelesti vidisset luce Johannes ,
  Ecce , inquit , mundi qui lavat omne nefas.

1713.

Che giova su le carte
  Per vano onore impallidir sovente ,
  E con lunghe fatiche a l' aura sparte
  Stancar l' alma e la mente ?
  Ahi ! che la sete ria
  Deh la fama mortal ciechi ci porta.
  Dolce e cara Maria
  Rendi mia mente accorta ;
  E fa che quella gloria ami e sospiri ,
  Che non vincon del tempo i brevi giri.

1715.

A vitiis animus nobis , Pia Virgo , valescat ,
  Corpus ut a longo rheumate convaluit.

1716.

Horrescit quamquam nivibus iam terra geluque ,
  Urbs tamen ad Petri limina tota fluit.
Nam parat ingenti validas molimine classes ,
  Intentans Venetis Thrax , Latioque iugum (*a*).
Ergo ad Christiadûm auxilium , quos prompta tueris,
  Conferti pavido pectore perfugiunt.
Tu fusas , Regina , preces cum cantibus audi ,
  Bistonidûm avertens arma metumque procul.

(a) *Vide Polidori in Vita Clementis XI. lib. V. §. III.*

Digitized by Google

1720.

Dum nos aegroti graviora pericula terrent,
Languenti et timidis, dextera Mater, ades.

1728.

Virginis obsequiis claram et virtute puellam
Spoleti tellus cara Deo peperit
Copia cui fecit, metri quod norma recusat,
Nomen Abundantiae, crasis ut apta sonat (*a*).
Candida simplicitas tenerae pietatis alumna
Moribus innocuis dux erat atque comes.
Officiis intenta piis octennis ad aram
Constitit, in templo lecta puella frequens.
Illic tota sinu coelestibus ignibus ardens,
Infantis Jesu conspicit effigiem.
In Matris gremio recubat, sed gratia fronti
Atque hilari dulcis risus in ore sedet.
Mira trahit Pueri species quae blanda tuenti,
Ex auro pomum visa tenere manu.
Id rogat; et flores pomi pro munere spondet,
Infesta quamquam floribus horret hyems.
Annisit Mater votis puerilibus, Infans
Illius haud studiis aurea dona negat.
Exilit optato locuples dum parvula dono,
Promissique memor florea serta legit.
Ac vicit pietas, dant brumae tempore flores,
Divinum tellus certat in obsequium.
Gratior haud unquam suscepit munera Christus,
Quem quae pura tulit simpliciora manus.
Exinde augescens maturis fructibus aetas,
Ditior et meritis et pietate fuit.

(a) *De S. Abundantia Spoleti, Exuperio, et Sigismunda nobilibus parentibus orta, Carolo Magno Imperatore, vide Philippum Ferrarium Alexandrinum in Cathalogo Sanctorum Italiae, Mediolani* CIↃIↃCXIII. *edito.*

20. JANUARII.

1712.

O admirabile commercium etc.

Admiranda Dei, atque hominis commercia ! Per Te
  Qui Deus est oritur , Partheni , factus homo.
Ac divina suae largitus munera vitae ,
  Mortalis vitae tristia damna subit.

1713.

Qua fruimur reduci Mariae per dona salute
  In Mariae laudes illa terenda venit.
Inter curarum potior sit cura tumultus ,
  Consuetis grates reddere carminibus.

1714.

Te canimus, quicumque terant membra aegra labores ,
  Te colimus , morbus pectora quisquis habet.
Namque tua infesti mitescnnt laude dolores ,
  Omnisque absistit pectore tristitia.
Haec igitur nobis veniat medicina , salusque ,
  Illa dies referat , claudat et illa dies.

1717.

Dignare , o Clemens , pueros invisere , Mater ,
  Quos pia Virginei munere lactis alas.
Te gratis recolant animis , Teque auspice , currant ,
  Atque tuam in dubiis experiantur opem.
Devia ne abnormes teneant vestigia cursus ,
  Neu fraude in praeceps illiciente ruant :
Ut studia ac libros pacata mente retractent ,
  Sitque illis Christi dulcis amore labor.

Digitized by Google

1720.

Pro quo saepe tuli, Pia Mater, vota precesque,
Qui magno in medicis nomine clarus erat,
Lancisius, vitae extremas cum clauserit horas,
Te veniam, Mater, conciliante ferat.

21.

IN FESTO S. AGNETIS.

1712.

Lilia Virgineae laudis, Mariaeque dolores
Integritate Agnes, martyrioque refert.
Quae properat primis ad Virginis oscula in annis,
Palmamque edomita morte puella tenet.

1715.

Quae sponsum sequeris celeratis gressibus Agnes,
Et Mariae properas Virginis ire comes;
Amborum fruere optatis amplexibus, et me
Respice, Te celebrans ut tua facta sequar.

1716.

Virgineus Te, Diva, chorus comitatur, et Agnes
Inter signiferas conspicienda venit.
Cuius ab effuso quaesito sanguine palmam
Servatae cumulat forma pudicitiae.
Quae tua pone sequens vestigia, Sponsa superni
Regis, coelesti consociata thoro est.

1719.

Virginei sequeris Mariam decus ordinis, Agnes,
Qua duce martyrii praemia digna tenes.
Aetas emeritas geminat tibi prima coronas,
Exhausta et cumulat praelia virginitas.

Supplicia et partos illustrant dira thriumphos;
Sic palmis coelum condecorata subis.
Nam simul et sexum, tormenta et vincis et annos,
Parvula non uno nomine martyr obis.

1720.

Delicias, tormenta, minas, quae despiciis, Agnes,
Post Christum gradiens, quae Mariam sequeris;
Ingestos nostro dispelle e corde dolores,
Et Christo placitam suggere laetitiam.

1722.

Pontificis nunc prima dies mandata reportat,
Quae sanctae flagitant Virginis auxilium.
Virgo manumque regat, mentemque et verba loquentis,
Ut summo placeant condita scripta Patri.
Ut pacem revehant chartis, quae condimus, atque
Pacificos fructus per tua dona ferant.

1729.

Τρις μάκαρ ὅστις ἐην Μαρίαν ἀγαπῶν γενέτειραν,
Τῆς αἴνον κελαδεῖ, καὶ μελέεσσι κλέος.
Ἀγγελικὸν τόδε εἰδαρ ἐρέπτεται ἤματα πάντα,
Οὐρανίων ἀγαθῶν αἴε κορεσσάμενος,
Ὄλβιος ἄλλος ἀνήρ μὴ τόσσον, μὴδ' ἔυμοιρος,
Τούτου γαρ μισθὸς ἔμπεδος εὐτυχία.

1730.

Ην ὕψωσε πατὴρ τῶν οὐρανίων περὶ πάντων,
Και ἐφίλησεν ὅλης ἣν περι της κτισεως,
Θηκεν οἴζύροις αὐτὴν μερόπεσσιν ἔρεισμα,
Η'δὲ ἐπικούρον τοῖσιν ἀλεζίκακον.
Οὐ μονον, αλλὰ τιθηνην, καί μητέρα, καὶ ἀμὰ πιστὴν
Πλημμελέεσσιν ὁδοῦ, δῶκε καθηγεμόνα.
Ωστε πλάνης και ἀντικάλων ἀπάνευθε, φοβοιο,
Οὐρανίην χαιρεὶν πατριδ' ἐποιχόμενοι.

Digitized by Google

22. JANUARII.

1712.

Quando spunta il mattino,
A voi Madre e Signora umil m'inchino,
Poi quando parte il giorno
A voi lodar ritorno;
E tal gioja vi trovo,
Che altra simil non provo.
Ne mai nel cor mi sento
Brillar tanto contento.

1713.

Fac, Virgo, aeternos mens sedula cogitet annos,
Ac sensus teneat vita futura meos.
Ut liber terris animus se tollat ab imis,
Et saecli temnat deficientis opes.

1716.

Indocti rapiunt coelorum regna, Magistram
Qui te noverunt, Virgo benigna, sequi.
At nos a veri divino fonte remotos
Heu! Sophiae vani nominis umbra tenet.

1719.

Annorum tanto dum pede praeterit
Aetas, et rapido corripit impetu
Tam curas animi sollicitas, bona
Quam quo delicias corporibus parant;
Tu mentem studiis da melioribus
Intentam, laqueos rumpere saeculi;
Ut temnet vacuas sollicitudines,
Nec vanis inhiet capta negotiis:
Coelesti studeat sed sapientiae
Te, Regina, ducem sedula prosequens.

23.

Desponsatio B. M. V.

1712.

Obrepsere meis invisa oblivia curis,
  Primaque, Parthenia laude dies caruit.
Non mea, non inter numerarem tempora, Virgo,
  Quae sine laude tua, ceu sine luce fuit;
Postera ni multo reparans cum foenore culpam
  Penderet illa memor carmine damna dolor.
Da veniam immemori; reus est, sed parce fatenti,
  Suppleat oblitos versiculos gemitus.

1714.

Lethaeis penitus stagnis Hymenaee profanas
  Merge faces, lusus Cypridis este procul.
Non hos sancta vocant Mariae connubia ritus,
  Non haec Idalius foedera iungit amor.
Sed castas animas sacrata in vincula nectit
  Candoris custos pronuba Virginitas.
Hic laetas, turba Superûm comitante, choreas
  Gratia coelestis ducat et integritas.
Laetetur plausus inter nova Nupta, petitam
  Quae intacto pariet corpore progeniem.

1718.

Virgineasque rosas, et candida lilia nectit
  Digno virtutis foedere sanctus Hymen:
Nec strinxere pares unquam connubia nexus,
  Talia non unquam pectora iunxit amor.
Sponsus virginei custos datur ille pudoris,
  Intacta Haec pariet virginitate Deum.

24. JANUARII.

Dominica in Septuagesima.

Ad lacrymas revocant culpae memorata paternae
Damna, satis nullo damna luenda die.
Quae genus infelix, miseramque ab origine prolem
Supplicii dederunt mille subire vices.
Sed tua solantur lacrymantes dona, ruentes
Et tua, ne pereant, dextera, Virgo, levat.
Tu promissa novam lapsis spem patribus offers,
Anguis tartarei frangere visa caput.
Sic ades eiectis, interque exordia luctus,
Spondes humanae gaudia tristitiae.

1716.

Fracta salus quoniam libris intendere curas,
Atque animum studiis excoluisse negat;
Tu mihi sola venis studiorum cura, tuaeque
Sunt laudes, Mater, per mea scripta labor.

1717.

Heu! mentem levis aura quatit, turbatque, cietque
Nitatur quamvis, et meliora velit.
Tu, Mater, diram de coelo respice pugnam,
Ut palmam strato victor ab hoste feram.

1718.

Quamquam Te Mariam tenues in carmina Musae
Concelebrant; fortis Te tamen ambit amor.
Desipit ille, tuum verbis qui pensat amorem;
Verus amor tacita pectoris arce sedet.
Maiorique sinus interdum concremat aestu,
Quo minus eloquio, carminibusque valet.

1724.

Quando tacita e queta a noi ritorna
La notte, e l'alma luce si diparte
Svegliando a le fatiche in altra parte
Genti rimote, a cui più tardi aggiorna:
Quando cura o pensier non mi distorna
Da la pace, che l'ore mi riparte,
Allor prendo a cantar, benche senz'arte,
Vostro nome, che al cor dolce mi torna.
Questo del viver mio dolce conforto
Da le fatiche l'alma allevia, e scoglie,
E quasi a stanca nave apremi il porto.
Così riposo a l'agitate voglie
Ritrovo un dì da voi difeso e scorto
La v'è la pace su l'eterne soglie.

24. JANUARII

Romula qua quondam coluerunt Sacra Minervam,
Sub Mariae auspiciis imperat alma fides.
Relligio hinc fasces, hostes hinc fulmine terret,
Hinc meritas poenas impius error habet (*a*).
Quae Pallas, verique Jovis, quae Filia regnas,
Virgo, salutaris vera Parens Sophiae;
Dum Christi leges, fidei dum iura tuemur,
Consessu admissi consilioque Patrum;
Affer opem praesens, atque aegida concute, et hastam
Quae scutum fidei, lucis et arma tenes.

(a) *Heic Auctor videtur alloqui de illo Coenobio Patrum D. Dominici sub titulo S. Mariae supra Minervum, et de hostibus fidei, qui a Supremo Sacrae Inquisitionis Tribunali damnati debitas poenas luunt.*

25. JANUARII.

CONVERSIO S. PAULI APOSTOLI.

1727.

Dum furit indomitos volvens sub pectore sensus,
Et Jesu nomen perdere Saulus amat;
Dumque lupo trepidat grex Christi, damna necesque,
Qui et rabido saevas spirat ab ore minas;
Tu pavidos firmas, precibusque ita Numine dextro
Vincis, Virgo potens, hostis ut ira cadat.
Et surgat Paulus meliori fervidus igne,
Agnus pro Christo, qui lupus ante fuit.

1716.

Dum furis, atque minax Christi insectaris amantes
Christi deiectus lumine, Saule, cadis.
Inque novam vitam meliori sorte resurgis,
Cristiadûm ductor, qui modo terror eras.
Det mihi per Mariam parili vice surgere Christus,
Et Te doctorem, Paule, ducemque sequi.

1717.

Sancta Parens veteres dispunge e pectore sensus,
Qui rectas Christi dedicere vias.
Hactenus indomitos, fraeno et parere negantes
De caelo affulgens gratia deiiciat.
Illa reluctantem stravit, quae lumine Saulum,
Et stratum coeli sustulit astra super.

1719.

Christiados, quid, Saule, furens agitasque rapisque
Intentans tumidas ore animoque minas?
Praesenti pavidos si numine Virgo tuetur,
Illius auspiciis ira minaeque cadent.
Quin precibus meritisque suis tu praeda, colendum
Per gentes Christi nomen ubique feres.

1720.

In Christi dum Saule ruis malesanus ovile
Pro teneris ovibus provida Virgo regat.
Illius atque preces tua protinus arma retundunt,
Ac Te coelesti lumine deiiciunt.
Sic illam pietatis habes, fideique magistram,
Illa et te Christo vota ferens peperit.

1726.

Extremas clausit vitae Zaccagnius horas,
Cui fueram studiis officiique comes.
Ereptum terris coelestibus insere regnis,
Nec sit defuncto longus in igne labor.
Et quem Pontificis studiis clementia sacris
Admovet, auxiliis perge favere tuis (*a*).

26. JANUARII.

1713.

Insilit incensos fortis Polycarpus in ignes,
Nec retinet vitae praecipitantis amor.
Sic me, Sancta Parens, incommoda nulla retardent,
Divina propero ne pede iusta sequar.

1716.

Pastoris Summi imponunt quos iussa labores,
Tu vires, Mater, fac, animusque ferat.

(a) *Laurentius Alexander Zaccagnius Romae natus, Graecis Latinisque literis mirifice excultus, a viris doctis summo in honora habitus, ab Innocentio XII. inter Vaticanae Bibliothecae Custodes adlectus edidit* Collectionem Veterum Monumentorum Ecclesiae Graecae, et Latinae *eruditissimis commentariis illustratam, atque* Diatribam Historicam de Summo Sedis Apostolicae Imperio in urbem Comitatamque Comacli. *Vide Tiraboschium T. VIII. Lib. I. c. IV. §. 8. Et Philippum M. Renazzium in* Historia Universitatis Sapientiae. *Tom. IV. c. VI. §. XIII.*

Unius in Christi quo cedant omnia laudem
Curarum fructum ne levis aura ferat.

1721.

Dum risu et plausâ conferta theatra resultant,
Frigidus in populi dum placet aure iocus;
Dulcius illiciunt nos carmina dicta Parenti,
Nec melos in nostra dulcius aure sonat.

1723.

Mens, quae tot scriptis inhias studiosa librisque
Pacemque in studiis irrequieta petis;
Cernis ut efficto sophiae sub nomine mendax
Illudit votis improba cura tuis?
Et cum florentis tot vitae exhauseris annos
Nec veri lumen videris, aut speciem?
Ergo age iam tandem studiis melioribus unum
Praesignante viam Virgine, quaeque Deum.
Sic tibi pax votis, sic veri lumina cernes,
Et sapiens vera in luce beatus eris.

1729.

Τεξομένην τὸν παῖδα Θεοῦ μεγαλοιο κορησην,
Ὡς συλλειφθεῖσαν ἔισιδε πᾶσα κτίσις,
Αγγελικαὶ δυνάμεις, καὶ ὑπηρέται αἰὲν ἐόντος,
Ω"ρεα, και πηγαι, φῦλά τε γηγενέων
Τὴν Τριαδα ὑψιστην, καὶ ἀιδιον κελαδοῦντα
Θαυμασίως ὠδαῖς κ' ἐυλογιαις εχαρη;
Φοίβης γαρ κάλλος νικᾶ καὶ μάρμαρον αἴγλην,
Η'ελιου, κ' ἄστρων ἄγλαον εἶδος ὅλων.
Οὐ νοὸν, οὐ ψυχὴν πρὸγονων τὸ πταῖσμα μιηνεν,
Α'λλὰ ἐκόσμησεν πάγχυ χάρις καθαρὴ.
Ωδε πατρὸς κ' Υιοῦ, κάὶ Πνεύματος ἤνδανε θυμῶ,
Ωδε ξυμπάντων κοιρανέην ἔλαβεν.

27. JANUARII.

IN FESTO S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI

1712.

O qui flammato verba aurea fundis ab ore
  Divitis eloquii munere nomen habens,
Exilio tandem, ac studiis erepte furentum,
  Qui fidei et meritis debita serta tenes:
Redde meo iustas Reginae nomine grates,
  Digno verborum flumine namque potes.
Illa tuis nostrum excipiat mitissima verbis,
  Promere lingua rudis quod nequit officium.

1715.

Moribus, ingenio, studiis, pietate vigerem,
  Nec premeret fracto corpore morbus iners;
Si proferret opem divae clementia Matris,
  Illius et nostro in corde vigeret amor.

1718.

O mihi si in Mariae laudes facundia linguae
  Tanta sit auriflui quanta Iohannis erat.
Non tua tam rauco resonarent carmina versu,
  Non impar animo nostra Camoena foret.

1720.

Cum festa nos vocat dies
  Iohannis almo e nomine,
  Ab ore cuius aureo
  Mellis fluenta exuberant,
Nullo licet nos nectare
  E fonte ductus eloquï
  Lepor venusque et gratia
  Ad dulce carmen irriget;

Digitized by Google

Canamus, ut gratus iubet
Amor sacratae Virginis,
Atque ardor ipse pectoris
Negata mella suppleat.
Fluent amanti dulcius
Incomta quamvis pectora
Laudis Parentis si pia
Amoris ornet gratia.

1724.

Se la terra rimiro, o al Ciel mi volgo
Tutto di luce e di vaghezza adorno
A contemplar vostra beltà ritorno
Che da queste ombre ancor qual sia raccolgo.
Se in Voi, per cui da terra alto mi tolgo
E che recaste un più sereno giorno,
Mentre gli ammira si bell'opre intorno
Non fissa il guardo, è troppo ignaro il volgo.
Quanto il gran Dio formò, tutto al suo Figlio,
Che dovea da Voi nascere, diretto
Fu con eterno provvido consiglio.
Così fu prima l'esser vostro eletto,
E a Voi fu del Fattor pria intento il ciglio,
Ed in tal guisa fugli il mondo accetto.

1728.

Effigiem, celebrat quae cultu auroque superbas
Exquilias, adytis haec dedit alma dies.
Edita marmoribus Libyam qua respicit aedes,
Artis mirificae regia servat opus.
Cuius in obsequium contendunt aera manusque
Ut pietas studiis officisque valet.
Extruxit Paulus, (a) gens nunc Burghesia servat
Ne primum rapiant tempora sera decus.
Ardens ut properet tacitis peregrinus ab oris
Ut pateat pressis civibus effugium;

(a) *Paulus V. Burghesius hanc Aedem extruxit in Basilica Liberiana.*

Ut flammis sancta pro Virgine corda calescant,
Et certant votis, laudibus, obsequiis;
Haec moles operosa docet, pretiumque nitorque,
Ditior et sacri gaza ministeriis.
Virginis et late praeconia cum sonet orbis
Imperii hic sedem gloria Matris habet.

28. JANUARII.

1713.

Πάντοθε κοιρανέουσα, Θεῶ Μῆτερ τριποθῆτα
Παρθενε ὀυρανίων παμπαλίοσα χόρων.
Κλῦτί μεν ευχομενόυ, και πόλλα ἀείκε 'ἄμωνε,
Μη ἐμε νικηση τὸ κρατος ἀντιπάλων,

1714.

De Mariae pietate venit, quod corpora vires
Jam redeant, nuper quas febris expulerat.

1715.

O Mater sacros liceat subiisse labores
Ac liceat studiis posse vacare piis.
Id, precor, ab summo tua gratia Patre reportet;
Nil solet ad tantas ille negare preces.

1716.

Ad Matrem Christi Mariam properemus amantes,
In Mariae Laudem carmina nostra sonent.
Jactati Mariam, pavidi, trepidique rogamus;
Illaque sit nobis spes, amor, auxilium.

29. JANUARII.

Flexanimo qui corda trahit Salesius ore
Lactea Virgineo ex ubere sensa bibit.

Digitized by Google

Et Maria inspirante docet, quae tradita chartis;
Divini accedunt ignis ubique faces.

1713.

Hic pelagus mundi commotis fluctibus horret;
Hinc gravis altisoni territat ira Dei.
At si respicias de caelis, Virgo, paventem,
Subsidet pelagus, iudicis ira cadet.

1715.

Ad superas dum sternit iter Salesius arces,
Te sequitur fidam, Virgo beata, ducem.
Tu me dulcifluo comitem, Virgo, adde magistro;
Sic Te, sic Christum gressibus ipse sequar.

1716.

Dulcia verba hauris Mariae de fonte Salesi;
Dogmata tu vitae scribis, at illa docet.
Quis renuat tanti sectari dicta Magistri
Cui Mater Verbi Virgo Magistra fuit?

1718.

Per Te, Sancta Parens, pietate Salesius ardet
Illius et dulci nectare verba fluunt.
Scribentem Tu, Virgo, regis, tantoque Magistro
Ille, e Virgineo quae bibit amne, docet.

30. JANUARII.

Deus, qui salutis aeternae etc.

O Deus, aeternae nobis qui dona salutis
Foecunda Mariae Virginitate paras;
Illam da miseris etiam succurrere, per quam
Auctoris vitae pignora suscipiunt.

1713.

Φεῦ ἀκόρητα πάθη σμαράγας ὀρόθυρε θυελλας,
Την δὲ ἐμην κραδίην ἔνθα και ἔνθα φέρει.
Σῦ, Μῆτερ, στόρεσον δίνας καὶ κυματα θυμοῦ
Ως δυνάθ' ἡσυχιας τέρψιν ἑλειν ἔτυμον.

1714.

Tu curas animi, Tu solis tempora claudis,
Ultima carminibus, primaque, Virgo, venis.

1717.

Insanis gaudent dum Bacchanalia ludis,
Tempus et insanos desipuisse docet;
Infunde o famulis, Mater, pia gaudia cordi
A luxu ut absint deliciisque procul.
Aemula quo studiis puerorum pectora flagrent,
Saecli exempla velint nec malesana sequi.

1719.

Quae laetis superam demulces cantibus aulam
Uranie, et Christum laudibus usque sonas;
Dic Mariam nostrae columen, clypeumque salutis,
Haud paribus numeris nam mihi musa sonat.
Dic, age, quot nostram asseruit miserata periclis
Vitam, quot stygias depulit insidias:
Quae bona contulerit, quae prodita lumina menti,
Et studii, et sophiae, cui reseravit iter.

1720.

Cum nigras tacitis horas nox gressibus aequat,
Virgineae exigimus carmine laudis opus.
Nec somnus residem, studium nec strata retardant,
Otia maternus mollia pellit amor.

Digitized by Google

1720.

Benchè timor sovente l'alma assale,
O che il passato guardi, o che il futuro;
Ed il presente viver aspro e duro
Sia grave incarco a la mia spoglia frale.
Il nostro nome tal coraggio, e tale
Speranza al cor appresta, che sicuro
E dal periglio, e dal fine immaturo
E nel gioir sempre a se stesso eguale.
O mio dolce sostegno, e schermo e scampo
Come render non posso e grazie e lodi
Pari al desio, onde tutt'ardo, e avvampo?
Ma se muta è la lingua a i dolci modi,
Su le vostre orme almen non trovi inciampo
Il cor, che amore a voi stringa ed annodi

1727.

Non me ducat imagine
Fallaci decus aut honor;
Non quod subdolus aggerat
Et mendax hominum favor.
Pectus cura sed urgeat
Laudandae pia virginis,
Menti et carmina suggerat;
Dignum quo sonet illius
Virtutis ac titulis melos
Annus sic mihi praefluat,
Anni sic properent dies.
Haec sors una beaverit
Quicumque eveniant dies.
Adsint seu mihi nubila,
Risum tempora seu ferant.
Sanctis quem fovet inclyta
Mater Numinis ignibus,
Vitae non varias sentit
Aut mundi metuit vices.

31. JANUARII.

Dominica in Sexagesima.

1712.

Cum sordes scelerum infandas, sobolèmque rebellem
  Numine diluvium vindice mersit aquis;
Foedera pollicitus generi servanda relicto,
  Praebuit Omnipotens signa serena Pater.
Teque dedit, Virgo, promissi foederis arcum
  Quem cum prospiciat, protinus ira cadat.
Nec perdat miseros effusis amplius undis,
  Sed per Te foveat, perdere quos statuit.

1713.

Την Μαρίαν τιμᾶτε μέλη, τιμᾶτε δ' αοιδαὶ,
  Κ' ὀυρανιδες Μοῦσαι ἄδετε την Μαρίαν.
Την Μαριάν μέγα χάρμα πόλων, μεγα φεγγος ὀλύμπȣ,
  Την πηγην χαρίτων μοι, γλυκεροντε φάος.

1716.

Tu vires refove domitis, Virgo inclyta, morbis,
  Membris, menti, animo robur et adde novum.
Impositoque pares animos superadde labori,
  Spes mea, dulcis amor, vita, magistra, salus.

1717.

Sancta Parens nostrum vitae sic dirige cursum,
  Nunquam dirae ictum mortis ut extimeat.

1720.

Pleurite ac febri saevit libithina per Urbem,
  Quos boreae et coeli durior aura tulit.
Comprime vim morbi, nostramque tuere salutem
  Una medela hominum, Mater, et una salus.

Digitized by Google

1721.

Imposito ingenium quo par est, Virgo, labori,
Ne tua nos, Mater, numina destituant.
Post et quassatae reddas Tu robora menti,
Ne premat exhaustus mole, teratque labor.

1. FEBRUARII.

1712.

Candida iam purae nobis lux Virginis instat,
Et candore novo corda paranda vocat.
Felix qui Mariam ad templum praecurrit euntem;
Nam Mariae fructus hic venientis habet.

1713.

Expectat Simeon expansis sedulus ulnis
Instauraturum Isacidas puerum.
Ergo age, consolare senis, bona Mater, amores;
Promissum excipiant mystica sacra Deum.

2. FEBRUARII.

FESTUM PURIFICATIONIS. B. M. V.

1712.

Virgineis manibus iam sistitur hostia Patri,
Cuius tota sacris lex vetus umbra fuit.
Promissum accipiunt Solymes templa aurea Regem;
Occurrit Christo facta beata Sion.
Laetatur complexa Deoque et Virgine natum;
Quemque exoptarunt saecula prisca, videt.
O Mariam Solyme reparata amplectere, Patri
Per Mariam ad Templum victima grata venit.

Digitized by Google

1713.

Pandite sepositis adytis Sacra, pandite avitis
  Obsignata umbris limina, Christus adest.
Christus adest, mersas tenebris qui lumine gentes
  Expiet, et regni donet inire vias.
Mater adest, lumenque gerit; venientibus eja
  Occurre e dira morte redempta Sion.

1714.

Virgineas inter splendes ceu luna cohortes,
  Quamquam maternos prole tenes titulos.
Pura licet patriae legis non iura resolvis,
  Nec Matrum leges Virgo subira negas.
Haec nobis exempla dies memoranda reportat,
  Et purae Matris sacra colenda vehit.

1715.

O Sole Virgo purior,
  Quae prompta legi obtemperans
  Partus velut Te sordidam
  Dedisset almi germinis.
Tu prima coeli victimam
  Offers Supremo Numini
  Temploque sistis Patrio
  Novi parentem foederis.
Te laudat Anna, Te senex
  Complexus ulnis parvulum
  Afflatus ense praecinit
  Olim futurum Martyrem.
Tu verba servas pectore
  Natique gestis gloria
  Et Vatis ore praescio
  Laeta dolores excipis.

1716.

Christus adest, occurre Sion, complectere Matrem
Suscipe promissum, qui tua templa subit.
Et gemitus, et longa morae suspiria mitte,
Anxia quem tristi pectore quaeris, adest.
Tuque o felici Simeon donate senecta,
Iam dulci Mariae colloquio fruere.
Sancte Senex qui cara potes dare brachia circum
Divino, coelum quo regitur, Puero;
Infantem, Matremque roga, sint apta labori
Ut mihi, neu studiis robora deficiant.

1717.

Noster es, o divine Puer, nostraeque salutis
Solus Tu curam pro pietate geris.
Ut nos e veteri relevares crimine, nobis
Te Pater ante dedit, Te modo Mater emit.

1718.

Exorna thalamum Sion, ac suscipe Regem,
Ad sacra quem templi limina Virgo tulit.
Felix, qui cupidis illum complexus in ulnis
Optavit tanta condere sorte dies.
Nam quid mortalis spatium produceret aevi?
Corporis aut ultra vincula dura ferat?
Et Mariae, et Christi cui contigit ora tueri,
Atque tenere poli gaudia cuncta sinu.

1720.

O mihi si quondam licuisset templa Sionis
Atque augusta sacrae limina adire domus;
Cum puris manibus pia Mater purior astris
Obtulit aeterno munera digna Deo:
Infantem Coeli torquet qui sidera, gentis
Captivae pretium deliciumque Patris.

Digitized by Google

Hunc ego tunc felix puerum complexus in ulnis
  Optassem tanta condere luce dies.
Corporis ut cupiens dissolvi vincula, sanctis
  Optavit votis, obtinuitque senex.

1721.

Beata Sion hospiti
  Occurre pacis Angelo;
  Quem praestolabaris Deum,
  Jam pande fores, advenit.
Et flore laetam et germine
  Nati Parentem amplectere,
  Quae sordis omnis nescia
  Candore vincit sidera.
Tuque o salutis Simeon
  Jam pignus ulnis suscipe,
  Completa qui vides senex
  Responsa Sancti Spiritus.
Dum nos tuis adiungimus
  Preces flagrantes canticis,
  Cernamus et lumen novum
  Coecis obortum gentibus.

1722.

Ad templum Christum et Mariam comitemur euntes,
  Exornat thalamum qua veniente Sion:
Optatumque diu sanctis quem suscipit ulnis
  Solatus vitae taedia longa senex;
Quemque Annae veri non unquam effoeta senectus,
  Promissum Patribus pandit adesse Deum.
Hic alacris complet legis mandata vetustae,
  Ceu foret a maculis purificanda Parens.
Ac virtute tegit virtutis lumina, maior
  Ante Deum, mundo quo studet esse minor.

1724.

Con nuovo d' umiltade e raro esempio
  Fatta già Madre l' alma Verginella,
  Benchè di purità splendente e bella,
  Per tergere le macchie entra nel tempio.
Così quell' idol vano, anzi quell' empio
  Tiranno, che dal volgo onor si appella,
  Abbatte e calca, e dietro a se rappella
  Me, che i voler di lui sieguo ed adempio.
Ella di sua grandezza asconde, e copre
  L' immensa luce, che fa invidia al sole
  E che tutte di Dio vince l' alte opre.
Onor cercando agli atti, a le parole
  Perchè vaneggio ancor? qual vel ricopre
  La mente, che mirare il ver non puole?

1728.

Fulserat orta dies, legis qua iussa facessit,
  Ac templum labis nescia Mater adit;
Cum Tu per montem, Corrade, silentia quaeris,
  Vitae Franciscus dux cui lectus erat (*a*).
Gaudia namque senis flammato corde volutans,
  Imis arsisti sensibus igne pari.
Quos ut soletur miserans bona Mater amantes,
  In tua, quem genuit, brachia deposuit.
Tu quoque spem mundi laetis complecteris ulnis,
  Sortisque aeternae pignora certa tenes.
Haec peperit Mariae impensus tibi praemia cultus
  Pro Mariae Christus reddit amore vicem.

(a) *Sanctus Corradus Placentinus Tertii Ordinis S. Francisci Assisinatis, de cuius vita ac rebus gestis locupletissime agunt tum Wadinghius in Annalibus Ordinis Fra. Min. tum Johannes Bollandus in Actis Sanctorum sub die XIX. Mensis Februarii.*

1729.

Οττι νόμος, καὶ ὅττι πατρῶν ἐντάλματ' ἀνώγει
Παρθένος ἡγαθέη προφρονέως τελέει.
Πρὸς μέγαρον Σολύμης μετὰ ἤματα ἁγνισμοῖ,
Παῖδα φέρουσα Θεοῦ ἡπιόθυμος ἔβη.
Αλλὰ ὅταν ἱεροῖο πυλὰς ἔισηλθε μελάθρου,
Ηντησεν χριστὸν προσδοκάων ὁ γέρων.
Γήραϊ μεν πολῦ πρεσβυς ἔων, κατα πνεῦμα δὲ μάλλον,
Κ' ἐκ χειρῶν τὸ βρέφος Μητέρος ἐκδέχεται.
Δὴ τότε τὸν βίοτον στυγέων, πόθει ὕστατον ἦμαρ
Κρειττον σωτῆρος φέγγος ἐποψάμενος.

1730.

Παρθένος ἀκράτη Θεὸν ἄφθιτον ἄρτι τεκοῦσα,
Οὐ φύσεως ἔνοχος δογμασιν οὔδε νόμου,
Θεσμοῖς πειθομενη νόμου ἔμπεδα πάντα φυλασσει,
Φοιβᾶσθαι δὲ ποθῦ πάγκυ περ ἁγνοτατη
Ηγάθεον τοῖνυν προς Θ' ἱερὸν ἔλθε θεοῖο,
Ουτε βρέφος προφέρει ὡς ὁ νομος κελεται.
Αγκας τῆς Μαρίης λαβέν ὑιέα πολλὰ χάρήσας,
Πνεὺματος ἐμπλησθεὶς γηράλεος Συμεών.
Η' δέ θεοπνευστη ταχ' ἐς ἱερον ἤλυθετ Αννη,
Πᾶσι δε τὸν Χριστὸν προσδοκάουσι λαλεῖ.
Χάρματος ὀυχ αὑτῶν ἐμὲ νόσφι, Μῆτερ, εασσοις,
Αλλὰ τυχοιμι τοσης ἔμμορος ἐυφροσύνης.

3. FEBRUARII.

1712.

Nunc dimittis etc.

Quod mihi pollicitus, quemque es mihi saepe locutus
Adventum peterent cum mea vota tuum;
Non me clausurum supremis lumina fatis,
Ni prius e Christi luce beata forent;

Nunc servum dimitte tuum, nunc solve precanti
  Vincula, et optata sit mihi pace quies.
Sic ait e Mariae complexu sanctus in ulnas
  Cum Jesum accepit corde flagrante senex.

1717.

Dum vacat insanis malesana licentia ludis,
  Atque per omne nefas dum sine more ruit;
Tu nostris miserata fave, pia Mater, alumnis,
  Coecisque exemplis ne rapiantur, ades.

1718.

Madre di ogni virtù colma ed adorna,
  Date pace al mio cor, che a Voi ritorna,
  E rendete a quest' alma
  La sospirata calma.
Co' vostri occhi sereni
  Di grazia e d' amor pieni
  Domate le rubelle
  Onde di tante cieche atre procelle
Sciogliete il duro gelo
  Del cor, Madre del Cielo,
  E fate, a i dolci lampi
  Del vostro almo splendor ch'arda, ed avvampi.

1722.

Virgineo tandem nobis de munere summi
  Principis ante pedes procubuisse licet.
Scripta dedit Mater non displicuisse legenti,
  Aptaque prò imposito verba labore dedit.
Illa etiam reliquos haec prospera reddat in actus,
  Ut laudem e summi Judicis ore ferant.

Digitized by Google

4. FEBRUARII.

1713.

Fortunate Senex, seris cui contigit annis
  Cum diva infantem Matre videre Deum.
Qui Mariam alloqueris, Jesuque amplexibus ardes
  Numquid sorte tua laetior alter erit?

1716.

Si vigeat mihi firma salus, mens laeva vagatur;
  Si morbi infringant robora, deiicitur.
Fac, per Te, Mater, fixis radicibus haerens,
  In sorte humanas temnat utraque vices.

1717.

Personata furit mundi dementia, torrens
  Late diffractis exit ut aggeribus.
Sed ne clausa etiam puerorum in septa redundet,
  Virgo, tuum praesens obiice praesidium.

1724.

Se si dolce il Signor non fosse, e in Voi
  Non ritrovasse l' uom tanta pietade
  In qualunque periglio, e in ogni etade,
  Qual speme o scampo restarebbe a noi?
Ora se avvien, che del cammin si annoi
  L' alma del viver lassa, e fra le strade
  Di aguati cinte, e di nemiche spade,
  Di se paventi, e de' tesori suoi;
A Voi volgendo lacrimosa il ciglio,
  Nuova lena riprende, e si rincora
  Armata di coraggio, e di consiglio.
E mentre il vostro alto favore implora,
  Il mal non sente del penoso esiglio,
  E lieta canta e 'l vostro nome onora.

5. FEBRUARJ.

Claude senex placidae, quod quaeris, lumina morti,
Quod tua jam cernant lumina nil superest.
Jam Maria tradente senilibus excipis ulnis,
Quo exoptas viso claudere posse dies.

1715.

O si per morbos quondam, Regina, liceret
Vitae securas instituisse vias;
Quam nostro, Mater, resonares dulcius ore!
Suavior et Mariae nomine Musa foret?

1716.

Virgineis quae cincta choris Regina, polorum,
Terraeque et ponti sceptra colenda tenes;
Magnanimos Agathae sensus quae laeta ministras,
Supplicia ut fortis vincat et illecebras:
Firma animi vires, stygios ut proterat hostes,
Seu pax illiciat, seu fera bella premant.

1717.

Nostra prodest, teneris pueris nil cura regendis,
Tu nisi, Mater, opem subsidiumque feras.
Per Te sint sanctis ora flammantia verbis,
Ac per Te sacris corda vacent studiis.

1720.

Nec perculsa minis, saevo nec territa ferro
Vis infracta Agathae cuncta timenda domat.
Nec blandis cessit promissis; ut Tibi, Virgo,
Virginitate foret, martyrioque comes.

1721.

Jam satis excussere ingesta negotia vires,
  Nunc habeat Mariae in laude levamen opus.
Languida virgineus soletur pectora cantus,
  Hic mihi restituat robora fracta labor.

1724.

Quando ardente desio mi accende e desta
  A lodare del Ciel la pura ed alma
  Regina, ch' ha d' ogni bealtà la palma,
  E a seguirla col canto ali mi appresta;
Cessate o cure, che sovente in questa
  Bassa valle turbate al cor la calma;
  E più grave rendendomi la salma
  Mi svegliate nel cor aspra tempesta.
Date al pensier la libertade antica,
  Quando tacito e solo in più verdi anni,
  Catena non soffria d' altra fatica.
Ora se agogno al Ciel spiegare i vanni
  L' alma, ch' è tanto di quiete amica,
  Sente di mille lacci il peso e i danni.

1725.

Gallia dum nostros urget turbata labores,
  Atque animus curis agitur, ac dubiis;
Excipimus laetos materno e numine fructus,
  Certaque Virginei pignora praesidii.
Exitus ut tantis felix respondeat actis,
  Qui longa extinguat praelia Virgo, tuum est (*a*).

(a) *Hinc vides Carolum Maiellum summopere adlaborasse, ut Ludovicus Antonius Noallius Archiep. Parisiorum, caeterique, qui Jansenii et Quesnellii erroribus favebant, ab ea opinione discederent, quae bonorum omnium, ac praesertim Romanae Sedis offensionem incurrerat. Quod sane praestitit tum consiliis, quae paci ac unitati consulens Summo Pontifici tradidit, tum Epistolis, quas nomine ipsius Supremi Pastoris conscripsit.*

1726.

In tenebris quamquam densa et caligine mersos
Tartareis urgent hostibus insidiae ;
Illudant quamvis mendacia splendida saecli ,
Ac falsi specie luminis illiciant ;
Subjiciat quamquam flammas malesana voluptas ,
Et stimulet tacitos dira cupido sinus ;
Irato quamvis a Numine fulmina terrent
Et quatiunt poenae suppliciique metus ;
Virginei praestant securos nominis arma ,
Cuius praesidio cuncta pericla cadunt.
Qui perit , haud alios studiis causetur iniquis ,
Est ubi tam facilis , Matre tuente , salus.

1730.

Οὐ τρέχει, ἀλλὰ θοῆς πέταται βίος ἔικελος ἀύρης ,
Ὡς τοῖς τικτομενοις ἐγγυς ἔπεστι τελος.
Κτήματα , τερπωλαὶ , ὕψος , κράτος , ὀύνομα , φῆμις
Φεὐγουσιν ποταμῶν κυμασιν ὀξῦτέρως.
Ἀλλὰ μόνος μένει ἀϊδιος καὶ ἔμπεδος αὐτὸς
Ολβος τῶν αγαθῶν ἔμπεδος ὀυρανίων.
Θυμὲ τι κεῖνα φιλεῖς θολερῶστε ῥέοντα διώκεις ;
Ιχνευσον κτεάνων τὸ κλεος ἀθανάτων.
Τῶν δωτῆρα Θεὸν Ζαθεοῖς ἔργοισιν ἄρεσκε,
Θαρσευ δ'ἐκ Μαρίης αἰὶ συνηγορίης.

6. FEBRUARJ.

Pontificis quamvis urgent mandata , laborque,
Est alacri dulcis , venaque non sterilis ;
Mens animusque tamen, tenuesque in corpore vires,
Expectant de Te , candida Mater , opem.

1720.

Virgo , salutaris nostros timor urgeat actus ,
Spem tamen usque tuum suggerat auxilium.

Digitized by Google

Deiiciat tremefacta metus ne pectora , neve
Incautos fallat spes malesana pedes.

1727.

Quid est , quod inter atras
Feri maris procellas
Serenat aura mentem ,
Et intimos in ipsa
Replet beatque sinus ?
Parentis una dulcis
Imago cum recursat ,
Fugit dolor metusque
Sinusque pax iucunda
Tenet, vetatque luctum.
Nihil movent, trahuntque
Opes , honor , voluptas
In ore Matris uno
Reposta cuncta servo.
Amore dum fruamur ,
Eique serviamus ,
Beatius quid optem ?

7. FEBRUARII.

Domenica Quinquagesimae.

Urgetur patriis excedere finibus Abram ,
Ne sancta inficeret pectora labe nefas.
Olim virginea qui prole beatus , et esset
Per Mariam carnis qui Tibi , Christe , pater.
Virginis ex utero soboles foecunda fideli
Spondetur vera multiplicanda fide.
Per Mariam sancto benedictae in semine gentes ,
Queis est promissi germinis una Parens.

1713.

Non tu postremas devota ad carmina curas
In nostro dulcis pectore , Virgo , tenes.

Digitized by Google

Vespere non animus lentos fert carpere somnos ,
Ni meritas laudes solverit ille prius.

1715.

Formidans morbos horret mens aegra labores ,
Librisque abiectis otia lenta trahit.
Ac Tu , si annuerit summi clementia Patris ,
Fac , Mater , membris sit labor innocuus.

1717.

Insanas inter , saecli mendacia , pompas ,
Ad caeli noster gaudia tendat amor.
Totaque de Christo nobis dulcedo redundet ,
Veraque de sancta Virgine laetitia.

1724.

Quando di Voi favello o canto o scrivo ,
Dolce Signora , che da' miei verdi anni
Da perigli , da error , da mille danni
Mi sottraeste , onde ancor parlo e vivo ;
D' ogni altro ben mortal benchè sia privo ,
Sento colmo di gioja e fuor d' inganni
Pace, che non dan gli ostri, e i ricchi panni
A' un cor , da finto ben lontano e schivo.
Sicurezza e contento e riso e calma
Mi fan cara e suave compagnia ,
Nè cura nè desio turbami l' alma.
Troppo alta sorte ella per me saria ,
Premio , corona , e gloriosa palma ,
A tutte l' ore Voi lodar , Maria.

1729.

Παρθενίδος γενεθλην , θείων περιφίλτατον ἔργων
Ημαρ ἐπευφημεῖ παντόθεν ἱμερόεν.
Μητέρα την ἀγλάην φαεσσ κ' ἀσπαζεται ἠὼ ,
Ανδρασ' ἐλευσομένου ἄγγελον ἠελιου.

Ελπίδα τῶν θνητῶν κλειόντων γῆθος ἐγείρον,
Λαμπάδ' αναφαίνον πᾶσιν οδοιπορίης.
Ηγεμονευούσης δαΐδος τό κέλευθον ἴωμεν,
Την διὰ παν ζάθειης ἀσφαλὲς εὐοδιῆς.

8. FEBRUARII.

Infirmo quamquam tenues sunt corpore vires,
Nec iam sustineant robora mentis onus;
Par erit impositis animus, Te praeside, curis,
Ingeniumque tuo munere cuncta potest.

1713.

Dum tacita excussae labuntur tempora vitae
O facilis precibus Virgo vocata veni:
Limine in extremo neu desere, Mater, egentem;
Praesidium flagitant bella suprema tuum.

1714.

Muneribus pia Virgo, tuis si debita vita est,
Mens sit muneribus vitaque digna tuis.

1717.

Virgo Parens, aestus saecli aversata furentis,
Nos quoque praecipites ne patiare trahi.
Sed contra insanos mundi de vertice fluctus,
Impulsae tu sis anchora firma ratis.

1720.

Desipit infelix inter ludibria mundus,
Deliciasque suas damna timenda putat.
At qui Te puro sectantur corde magistram,
Temporis insani damna timenda dolent.

1724.

In questa valle di sospiri e pianti
  Ove solo di duol l'alma si pasce,
  Ed intorno mi sorge e dentro nasce
  La cagion di dolor si varî, e tanti.
Quando all' egro pensier fammisi innanti
  La real donna col Bambino in fasce,
  Nel cor la spenta gioia all' or rinasce,
  Quella che di dolcezza inebbria i Santi.
Qual danno, o qual lamento, all' or dic' io,
  Se tal ristoro al nostro duol s' accoppia?
  Ed ogni strazio e mal pongo in obblio.
All' or speme mi dice, un dì lo scorno
  E l' esiglio avrà in premio una tal coppia.
  O fortunata sorte! o lieto giorno!

1725.

Labitur haec obsepta malis, sed vita perennis
  Instat, supremo non obitura die.
Hanc studia affectent, hanc spectent lumina, votis
  Illuc nos certis approperare iuvat.
At nisi maternis curis, pia Virgo, secundes,
  Nequidquam votis fervida vota calent.

9. FEBRUARII.

1712.

Jam satis insanas bacchata licentia mentes
  Devia per scelerum jussit inire vias.
Et quamquam lassis obrepunt taedia culpae,
  Culpa tamen finem criminis esse dolet.
Felices animas, Mariae quas ignis adurit,
  Ducere tranquillos quam potuere dies!
Queis placuit stulto saecli procul esse tumultu,
  Colloquio et Jesu interiore frui.

Digitized by Google

1713.

Te menti da, Virgo, ducem comitemque labori,
  Sentiat atque tuam dextera, Mater, opem.
Ne studiis incumbentem mendacia ludant,
  Neu frangat durus pectora nostra labor.

1715.

Plurima sint reducis quamvis incommoda morbi,
  Non tamen immemorem Virginis esse sinunt.

1716.

Dominica Septuagesima.

Quae lapsum memorat, miseramque in patre ruinam,
  Damnati generis per sacra moesta dies;
Haec eadem memorat, quam tu Tibi debeat Orbis,
  Immensi fueris quae medicina mali.
Divina attuleris quae mundo in prole salutem,
  Veteris et laeta in gaudia tristitiam.

1717.

Cedunt lassatis iam in bacchanalia ludis,
  Jam tandem est stultis desipuisse satis.
Tu modo, Sancta Parens, infer virtutis amorem,
  Prima sit ut cunctis, unaque cura salus.

1728.

Claustra fide ac meritis Sanbertinensia quondam
  Excoluit Monachus, Joscio nomen erat
Tanta viro in Mariam pietas studiumque calebat,
  Ac pro Virgineo nomine tantus amor,
Ipsas ut coleret, quas litera ducta figuras
  Exprimit, aut quinos reddit ab ore sonos.
Tot siquidem Isacides cecinit quae carmine vates,
  Nomine ut in Mariae sunt elementa, canit

Ordia si psalmis det litera nominis, et quo
  Matris dulce notas ordine nomen habet.
Quam prius incenso fuerit de pectore cultus,
  Quam fuerit Mariae gratus in officio;
Coelestis miro prodit clementia signo,
  Cum subita extinctus Joscio morte iacet.
Nam quinque exanimi de corpore lilia surgunt,
  Queis nequeat flores edere terra pares.
Bina oculis extant, totidemque ex auribus, unum
  Cui niveus magis est candor, ab ore venit.
Ceu Mariae laus et cultus post fata superstes
  Egelidis etiam vivat in exuviis (*a*).

10. FEBRUARII.

1713.

Sola meum divina rapit si gloria pectus,
  Virgo, labor vestro numine dignus erit.
Haec una insideat studiis, animoque cupido,
  Ulla nec inficiat nominis aura sinus.

1712.

Dies Cinerum.

Stabat Mater etc.

Probrosa dulcis Cruce dum penderet Jesus,
  Stabat ab ingenti fixa dolore Parens.

(a) *De Joscione, qui Monasticam vitam duxit in Coenobio Sithiensi vulgo S. Bertini haec tradidit* Du Suassay *Auctor Martyrologii Gallicani die prid. Kal. Decembr. Edition. Lutetiae Parisior.* CIƆIƆCXXXVII. « Abiit ad supremam patriam beatae memoriae Joscio Monachus Bertinianus, Ordinis S. Benedicti, Beatissimae Virgini Mariae devotissimus: cuius numen impense veneratus, nomen sacratissimum etiam in morte gloriose expressum in ore, oculis et auribus, magna cum spectantium admiratione, protulit ».

O quam tristis etc.

Quae tristis replet maternis questubus auras,
  Virgineasque genas imbre cadente rigat.
Quantis iactatur Nato viduanda procellis!
  Quos gemitus Christi Mater amara ciet!

Quae moerebat etc.

Moerebat, rapta nido luscinia prole
  Ceu silvas gemitu congeminante replet.
Et Nati poenis animo concussa tremebat
  Æsculus ut ferri viribus icta tremit.

Quis est homo etc.

Quis modus heu! lacrymis, aut quae, solatia luctus?
  Quis gemitu tristi in funere finis erit?
Si Matrem quisquam Nati de vulnere spectet,
  Et fixa alterius pectora morte mori.

Pro peccatis etc.

Isacidûm, mundique piacula dira luentem
  Vidit, et immeritum damna aliena pati.

Vidit suum etc.

Inter tortores, notis fugientibus, una
  Stat, desolata dum nece Christus obit.

Eia Mater etc.

Eia Parens, sancti dulcissima Mater amoris,
  Per quam divino pectora ab igne calent;
Dulces materni stimulos mihi fige doloris;
  Me Tibi lugenti consociare libet.

Digitized by Google

Fac ut portem etc.

Fac, Regina, geram grato sub pectore mortem,
Divina Christus quam pietate tulit.
Fac, animus quaerat consortia dulcia poenae;
Fac, memori studio vulnera sancta colat.

Sancta Mater etc.

Hoc age, Sancta Parens, Crucifixi vulnera cordi
Fige, precor, cultu quae gerat assiduo.
Quae gerat, et nullis oblivia lenta diebus,
Tempora nec studiis, invidiosa tegant.

Tui Nati etc.

Vulnera et immites mecum partire, dolores,
Quos animo, Christus commiserante tulit.

Fac me vere etc.

Et pia Virginei praebe consortia planctus;
Nostra tuo pariter corda dolore gemant.
Ullo nec dulces releventur tempore luctus,
Jugis pro Christo sit mihi vita dolor.

Juxta Crucem etc.

Nulla cruci haerentem, Mater, vis separet, atque
Tecum lugentem gaudia nulla trahant.
Dulce mihi tecum suspiria fundere, tecum
Languentis Christi verba suprema sequi.

Fac me etc.

Auspice Te stygiis Crux me tutetur ab armis,
Munita et Christi sit mihi morte salus.
Sensibus, et cordi crux sit custodia, mentem
Mors foveat Christi, gratia sancta regat.

Inflammatus etc.

Nubibus invectus Judex cum venerit, et cum
Purgabit terras igne suprema dies;
Tu compêsce minas, meritas et Judicis iras,
Eripe et exilio, supplicioque reum.

Quando corpus etc.

Extremas vitae cum mors adduxerit horas,
Quae terris tandem cuncta valere iubent;
Fac superas adeat coelorum spiritus oras,
Luminis atque tui sit sine fine potens.

10. FEBRUARII.

1713.

Sola meum divina rapit si gloria pectus,
Virgo, labor vestro numine dignus erit.
Haec una insideat studiis, animoque cupido,
Ulla nec inficiat nominis aura sinus.

1714.

Languet adhuc fracto iamdudum corpore virtus,
Et quatit assiduus pectora nostra pavor.
Dulce tamen Mariae morborum incommoda nomen,
Et pavido febris taedia longa levat.

1716.

Errantes miserata Patres, sobolemque iacentem,
Jacturam generis, damnaque restituis.
Quique olim risit seducta virgine lapsum,
Prudenti domitus Virgine congemuit.

Digitized by Google

1717.

Dies Cinerum.

Dum vita ad tumulum properat, velut impete certo
  Ad signum cornu missa sagitta volat;
Mansuras Tu, Mater, opes fac mente petamus,
  Quas nulla arrodat, surripiatve dies.

1724.

Mentre è tranquillo il mar, l'aura soave,
  Il Ciel sereno, e 'l di chiaro e ridente,
  Scioglie dal porto, e poi tosto si pente
  Gioco d'onde improvise incauta nave.
Se la ragion non tien del cor la chiave
  Tal siegue l'alma d'un favor sovente
  Il dolce invito e l'aura, e poi repente
  Turbato il Cielo, e 'l mar sospira e pave.
Lieve cagion fa spesso mutar foggia
  A l'amore de' grandi, e mal si affida
  Chi sue speranze a' fragil canna appoggia.
Felice e saggio chi di Voi si fida,
  E seguendo le vostre orme al Ciel poggia;
  Che in Voi senza vicende ha schermo e guida.

1727.

Quando il pensier da terra al Ciel sen vola
  A mirar Lei, che siede a Dio vicina,
  Quai larve, che dileguansi a mattina,
  Sparisce ogni altro ben, che l'alme invola.
Dolcezza sento inusitata e sola,
  Ch' a la gran gioja del Ciel s'avvicina;
  Tanto de la sovrana alma Regina
  Lo splendore m'investe e mi consola.
Potessi io dir ciò, che l'alma ne pensi!
  E 'l sen mi accende! Ma l'eccelso obietto
  Di lume e di piacer m'ingombra i sensi.

Il silenzio sia lode, e quel diletto,
Ch'il cor m'inebbria de' suoi pregi immensi,
Tutto di santo amor m'infiammi il petto.

1730.

Ο''στις ἄκρηβος ἐὼν ἀπὸ τῆς θαλερῆς νεότητος,
Ἐ'κ κραδίης Μαρίην ἀμφαγαπᾷν ἔμαθεν.
Οὐ κράτος ἀντιπάλων κάτεδεισε βίηντε λοχοντε,
Ἀλλὰ πέποιθε φίλης Μητέρος ἠνορέῃ
Φύλοπιν οὐ κόσμου πεφοβημένος αὐτος, ἁπᾶσαν
Σαρκὸς νίκησεν παρφασίην κ' ἀπάτην.
Ἀ''ξιος οὐρανίοις διάγει βίον ἁγνὸν ἑταίροις,
Μὴ κενὰ τῶν θνητῶν ἔργματα κηδόμενος.

11. FEBRUARII.

1713.

Felix, qui Mariae cunctos addixit amores,
Nec Mariae cultum deseruisse potest.
Felix, qui Mariae fausto sub nomine vitam
Instituens, Mariam gaudet habere ducem.
Qui tanta intendit securos praeside cursus,
Perque Illam ad Jesum certus adivit iter.
Felix sorte sua quisquis pro Virgine vitam
Fundere, nec mortis damna timere valet.
Felix, qui Mariam extremas moriturus ad horas
Blandis luminibus propter adesse videt.
Illius haud falso dicat quis nomine mortem,
Sed pignus vitae, principiumque vocet.

1717.

Dum plaudunt partis librorum mercibus, ac dum
Pontificis cuncti munera concelebrant; (a)

(a) *Clemens XI. ut bonarum artium, et litterarum incremento optime prospiceret, Vaticanam Bibliothecam lectissimis varii generis*

Par, Virgo, ingenium imposito Tu redde labori,
Sacrorum studiis utilis ut veniat.

12. FEBRUARII.

1716.

Non tua, Virgo Parens, angustis finibus Orbis
Dona benigna Pater claudit, et imperium;
Sed Tibi dat miseris mortis iam lege solutis,
Ignes et patriae posse levare sitim.
Respice, virgineo nuper qui numine frater
Ingressus carnis, Patre volente, viam est.

1717.

O animis utinam late fas esset amoris
Virginei ardentes addere voce faces.
Quaque patet tellus Mariae protendere cultum,
Ut Mariae laudes orbis ubique daret.

1720.

Legibus ac studiis quae Gens compleverat orbem,
Unde habuit pietas, relligioque Patres;
Hesperias docuit, quaeque illustravit eoas,
Cunctasque afflavit relligione plagas;
Quaeque tuas laudes, et Christi iura, decusque
Vindiciis linguae, et sanguinis asseruit;
Graecia terra iugo dudum premiturque, iacetque
Durius errorum subdita servitio.
Moribus omnis abest, studiis et cultus, et ipsa
Invasit squalens in sacra barbaries.
Si minus, alma Parens, ad libertatis avitae
Pristina depressis iura redire licet;

---

libris qua Typis editis, qua manu scriptis ditavit, undique in Aegypto, Syria, et alibi conquisitis, opera praesertim Josephi Simonii Assemani. Vide Petrum Pollidori *in Vita eiusdem Clementis XI. lib. VI. §. XLIV.*

Da sacris saltem libris abstergere sordes,
  Quos audax potuit contemerare manus.
Divinas inter laudes ne perstrepat error,
  Insultetve piis haeresis officiis.
Id cupit, id studiis Clemens ferventibus urget,
  Qui gestit cunctis gentibus esse Pater. (*a*)

13. FEBRUARII.

Ars cum nulla iuvet, nec pellant pharmaca morbos;
  Tu, Mater, nostris sis medicina malis.

1715.

Coelorum splendor, terrarum gloria, Virgo,
  Ecce tuam expectat, qui iacet aeger, opem.

1716.

Cum pietas, qua me immeritum, pia Virgo, tueris,
  Inter tot vitae certa pericla subit;
Lingua haeret, mira dulcedine pectus abundat,
  Ac sensus inter gaudia deficiunt.

1717.

Inter brumales Borea bacchante rigores,
  Fac, ne animus nobis, Virgo, rigescat iners.
Sed per Te sanctis coelesti ab igne favillis
  Ardeat, atque tuo pergat amore frui.

1718.

Insidias stygii, Mater, procul exige monstri,
  Artibus incautas ne male perdat oves.

(a) *Clemens XI. Catholicae fidei vindex acerrimus anno* CIƆIƆCCXIX *emendationem librorum Graecae gentis, qui ad sacros ritus spectabant, in Urbe Roma adornandam suscepit, adhibitis viris doctissimis, Graecarumque litterarum peritissimis, inter quos Carolum Maiellum adnumeratum fuisse liquido constat ex alio Epigrammate.*

Digitized by Google

1721.

O Regina, potenti
Nutu quae regis orbem,
Cuius lumina coecas
Pellunt orbe tenebras;
Tot surgentibus undis,
Petri protege puppim,
Horrentesque procellas,
Turbasque ingeniorum
Praesens comprime; nam quos
Erroris vada mergunt,
Quonam litore tutos
Qua sperare licebit
Laetos luce futuros,
Materno nisi dulcis
Lux affulgeat ore?

1724.

Ne l'età di consiglio e d'anni acerba,
Che forsennata dietro al piacer corre,
E che de la ragione il freno abborre,
Nè de l'origin sua vestigio serba;
Vaghezza di sapere, ancor ch'in erba,
Mio cor da mille error seppe distorre,
Ed or, che i dolci frutti mi fa corre,
Ogni fatica e duol mi disacerba.
Voi, quasi in notte oscura al dubbio piede
Alzaste, o santa Madre, allor la face,
Che lume e lena nel cammin mi diede.
Or che si bel desio più m'arde e piace,
L'umiltade nodrisca con la fede,
E'l ver mi scopra, e'l cor mi tenga in pace.

14. FEBRUARII.

1714.

Eripias tantis si me, pia Virgo, periclis,
  Sanum depulsis incolumemque malis;
Tum Lauretanis sistam me sedulus aris,
  Proque tuo solvam numine vota Deo.

1716.

Succrescunt animo solamina dulcia, Mater,
  Dum tua dona novis haurit epistoliis.
Nec, Tibi quas reddam veniunt in carmina grates,
  Vim tua nam pietas carminis exsuperat.

1717.

Dum campos nix alta tenet, dum tecta, viasque
  Algore insolito cana pruina tegit;
Arce Tu morbos, nostramque tuere salutem,
  Quae de Virgineo numine parta fuit.

1720.

Quam cineres memorant extremam temporis horam,
  Virgineum pavidos cogit ad officium.
Illa inter morbi aerumnas solabitur aegros,
  Leniet et lethi, iudiciique metum,

1725.

Conspersi cineres memorant suprema sepulchri,
  Vitaeque abnormis facta luenda monent.
Iam procul hinc menti atque animis inimica voluptas,
  Et fastus mendax ambitioque procul.
Indulgere iuvat lacrymis, has tempora poscunt
  Aspera; nunc vitae quippe terenda via est.

Digitized by Google

1727.

Quamquam curarum assiduo iactatur ab aestu
Mens par imposito non satis officio;
Non refugit solitas tamen illa ciere Camoenas,
Atque sequi laudes officiosa tuas.
Sic velut emensis portum tenuisset ab undis,
Virgineo cultu et carmine se reficit.

15. FEBRUARII.

1714.

In Te, Virgo Parens, habuit Sapientia sedem,
Virgineoque sinu condidit illa domum.
Fac, nostri e tanto lustrentur lumine sensus,
Et recto haec gressus tramite luce regat.

1716.

Dum memorem, Regina, tui, vigilemque canendis
Carmine vel tenui laudibus Ipsa facis;
Fac etiam virtute tua, meritisque sequendis,
Sic pietate pari mens animusque vigil.

1717.

Insueta obsessos urgent si frigora cives,
Munera si vitae distinet acris hyems;
Pectore non nostro pietas frigescat, et ardor
Virgineo gelidas vincat amore nives.

1718.

Dum pueri doctas affectant Helladis artes,
Tu studio, et coeptis, inclyta Mater, ades.

Digitized by Google

1724.

Non così ai rai del Sol il fior si aggira ,
Che da sì bel costume il nome prende ,
Come il mio core a Voi divoto intende ,
E fiso ognor vostre bellezze ammira.
Se freme il mondo e l' abisso si adira
Da Voi lo scampo e la difesa attende ,
Ed a Voi lodi ed inni e grazie rende ,
E più di farvi onore arde e sospira.
Nè mai cura o fatica mi distoglie
Da sì dolce pensier , che mi accompagna ,
Ne là gioja ugualmente e ne le doglie.
Che se procella sorge orrida e magna
Più a Voi rivolte allora son mie voglie ,
Quanto più sbigottito il cor si lagna.

1729.

Ἧματ' ἐπαγγελίης , θεαθήκης ῥῆμα τελεῖται ,
Καὶ μεγάλοιο λόγου ἄσσον ἐπῆλθε χρόνος.
Ἄγγελος οὐρανόθεν κατέβη τριποθήτος ἀνάκτωρ ,
Θεῖατε σημαίνει μήδεα τ' ἠλυσεως.
Ἐσσομένην ἀσπαζομενος την' Μητέρ Ἄνακτος ,
Μεστὴ τῆς χαριτος χαῖρε , ἔφη , Μαρία.
Παρθενίδος μέγα θάμβος ἔχει φρένας , οὐδε πεποιθε ,
Ἄξια γαρ χθαμάλη ῥήματα μὴ νοεεῖ.
Την' φοβέρην κραδιηντε , διάνδιχα μητιόωσαν.
Πως τάδε πως τελεθη ; τις δε τελεῖν δυναται ;
Θέλγεν μειλιχιοισι παρηγορέων ἐπέεσσιν
Ἄγγελος , οὐδὲν , ἔφη , τῳ Θεῳ ἀδύνατον.
Μὴ φόβου , ἠνορέηθε Πατρὸς , καὶ Πνεύματος ἀλκὴ
Μαρμαριγη σοι ἑοῦ φωτὸς ἐπισκιασει.
Δὴ τότε οὐκ ἀπίθησε Θεοῦ δμωὶς ἠπιόθυμος ,
Χ' ὡ λόγος ἀϊδιος δὴ τότε σὰρξ γενετο.

1730.

Μαίνεται ἀκρατέης θαλίης δέ τε ἄφρονος ὁρμὴ
Εἰς κακίην μαργῶς πᾶσαν ἐποιχομένη.
Οὐ Θεὸν οὔτε νόμους, οὐ θέσμια προσανεουσιν,
Τῶν τερπνῶν δοῦλοι πάμποτε τρισάθλιοι.
Καὶπερ πανταχόθεν συντρύπτει ῥεύματα λαὸν,
Αδρανέης τε πάθεν δώματά πάντα κακον.
Μαργαρυγην χάριτος φέρε τοῖς τυφλοῖσιν Ανασσα,
Ὡς προϊδεῖν ὀλέθρου πήματα ἐσσομένου.

16. FEBRUARII.

1713.

Ave Regina Caelorum etc.

O mihi semper ave, felix Regina polorum,
Aligerùm coetus quam veneratur, ave.
Salve promissae radix, et porta salutis,
Gratia quâ veri luminis orta venit.
Gloria quam decorat, Virgo pulcherrima, gaude,
Virgineosque super tam speciosa choros.
Virgo decora vale, precibusque potentibus ora
Pro nobis Christum, qui tulit esse tuus.

1716.

Auxiliis ut, Virgo, tuis spes tota recumbit,
Utque tuo fiduut vota patrocinio;
Hauriat et nostrum de Te sic gaudia pectus,
Atque in Te noster sic requiescat amor.

1717.

Horrida saevit hyems, gelidis nix aucta pruinis
Algores diri temporis ingeminat.
Sit, precor, haec, Mater, nostris innoxia curis,
Ne nostri officium muneris impediat.

Digitized by Google

1719.

Indulget crapulae qua luce licentia maior,
Liberior tota qua sonat urbe iocus;
Quam Tu Pancratio dictam, Virgo, incolis aedem,
Insanae vacuam gentis adire iuvat.
Dulcia nam pietas et grata silentia poscit,
Sensus germanae quae pietatis amant.
Nec tam, quae vanis permulcent cantibus aures,
Oblectant nostros picta theatra sinus;
Quam pius a turbis populoque frequente recessus,
Ac praesente sacris ara colenda Deo.
Hic invat instaurare preces, perque intima cordis
Quaerere, quae Christus voce latente docet.

1721.

Indulgere epulis dum libet et iocis,
Laxare et facili froena licentiae,
Nobis laetitiam, sanaque gaudia
Laudes Virginis afferunt.
Non quae stultisonis plausibus assonant,
Confertis cuneis plena theatra, vel
Bigis usque frequens Circus ab aureis
Luxu aut veste superbior;
Sic nostra aut studia aut lumina pellicit
Ut cultus Mariae, quo rapior, sinus
Quo dulci exuberant nectare, quo piget
Terris degere longius.
His nobis liceat deliciis dies,
His vitam liceat ducere gaudiis,
Sic Matri superis cantibus aemulas
Laudes reddere nunc iuvat.

17. FEBRUARII.

1715.

Dominica Septuagesima.

Cum mortale genus de noxa crimen avita,
In diri poenas mergeret exitii,
Aeternum pietas excivit ab aethere Verbum
E Matre in terris Virgine progenitum;
Quod pressos tenebris divina ad lumina Patris,
Umbrisque inferni carceris erueret.

1716.

Tu stygios hostes, et daemonis arma retundis,
Et victis famulos protegis insidiis.
Tu decus, atque tuae certa es victoria genti,
Quae per Te, Mater, nulla pericla timet.

1717.

Albicat omnis ager, glacie sata laeta rigescunt,
Nec mihi pro sancta Virgine friget amor.
Temperat illa volens dilectis frigora et aestus,
Et cunctas vitae dirigit una vices.

1720.

Dum tempus lacrymas, gemitus, suspiria poscit,
Da, Virgo, ut feriat pectora nostra dolor;
Qui veteris vitae maculosos deleat actus,
Quique novam reseret sidera ad alta viam.

1722.

Perdita ludentis dum saecli insania cessat,
Ad luctum admissi criminis aera vocant.
Tu, Mater, cordi noxarum fige dolorem,
Qui culpas gemitu deleat et lacrymis,

Quosque pios sensus ieiunia sancta reposcunt,
  Hosce precor nostris insere pectoribus.
Ut quod non patitur languens in corpore virtus,
  Hoc dignis animus suppleat officiis.

1724.

Perchè studio non limi e non consume
  Le forze e i spirti a gran lavoro intenti,
  In varie guise le già stanche menti
  Allentar le sue cure han per costume.
A me non colle aprico, o ameno fiume,
  Nè di erbette e di fior prati ridenti,
  Nè suon di cetre, o armoniosi accenti,
  Nè laute mense, o delicate piume;
Ma sol de la gran Vergine che adoro
  Le sante lodi, e le divote rime
  Recano al faticar tregua e ristoro.
Così parmi lasciar le basse ed ime
  Contrade, e sua mercè, ch' umile imploro,
  Lieto poggiar cantando al Ciel sublime.

1726.

Votis si liceat flectere Numinis,
  Ad nostras animum et consilium preces,
  Addictum Mariae Virgineis velim
        Flammis pectus adurier.
Non ulla vigeam sorte beatior,
  Non si divitiis perfruar affluens,
  Non sive imperii functus honoribus
        Jam late celebris ferar.
Hic me sanctus amor possideat, sinus
  Inflammet rapidis ignibus intimos,
  Ac mundi speciem, falsaque gaudia
        E corde abiiciat procul.
His tantum libeat deliciis frui,
  Quae cives patriae, quae superos beant,
  His desideriis langueat, aestuet
        Ceu vivis animus focis.

Tu, Dive o precibus Spiritus annuas,
Ardoremque parem mentibus ingeras,
Sanctis ut facibus pectora conflagrent
Dulci e nomine Virginis.

18 FEBRUARII.

1714.

Distinet officiis me dudum morbus et aris,
Auxilium, Mater, reddat utrisque tuum.
Ad Mariae nomen febres morbique facessant,
Ut Christi laudes libera mens celebret.

1716.

Quam vellem Mariae nomen mihi dulce canenti
Totos officio carminis ire dies!
Quam saperet cordi Mariae laus iugis et ori!
Quam suavis Mariae cantus in aure foret!

1717.

Per sacros, pia Virgo, dies morientis Jesu,
Christiadis dulces quos facit esse dolor;
Insere germanae pietatis semina cordi,
Ne ab sacro mores tempore dissideant.

1728.

Perdita flagitiis Pharias famosa per urbes
Templa Crucis Satanae vincta puella subit;
Annua cum celebris ligni de more vocaret
Christiadùm populos undique festa dies.
Agmnibus sed mixta piis cum limina tangit,
Vis occulta sacris reppulit ex adytis.
Tum repetit submota fores, iterumque repulsa est
Longius, arcani nescia consilii.
Dum stupet, et causas tacito sub corde requirit,
Tunc animo sordes tot scelerum subeunt.

Digitized by Google

Effraenem sensit quod foeda licentia sacris
Arceat, aspectu quod Crucis eiiciat.
Erumpunt lacrymae, pudor opprimit, ac dolor urget,
Nec spes ut maculas damnaque tanta luat.
His iactata malis caderet ne mersa profundo,
Nacta est in diva Virgine perfugium.
Vestibulo in primo rudioribus illita muris
Intactae extabat Virginis effigies.
Hic largos inter fundit suspiria fletus,
Et gemitu et lacrymis miscet amara preces.
Flectitur his Matris pietas, patuere roganti
Limina, deposcit criminibus veniam.
Atria dein repetit, studiisque ardentibus orat,
Virgo novas vitae monstret ut ipsa vias.
Annuit optatis Mater, nemorumque recessus
Deflendis noxis ut petat, admonuit.
Horrificus silvae tractus Jordanis ad undas
Assidui planctus inde palaestra fuit.
Annorum donec revolutis orbibus, una
Et vitae et lacrymis meta suprema fuit.
Hanc Aegyptiacam Mariam sacra diptycha dicunt,
Et veniam et palmam cui dolor emeruit.

19. FEBRUARII.

1715.

Si me praesidio, Mater foveatque, regatque
Iam procul omne nefas, et timor omnis erit.

1716.

Si de Te, Mater, studium primordia sumit,
Et solitae finem carmine laudis habet;
Tu quoque nostrarum finemque, atque ordia rerum
Caelesti nutu, praesidioque regas.

1721.

Qua coelum exhilaras, homines qua lampade lustras,
Hac mentis tenebras exige, Virgo, procul.
Hac rectos calles, hac veri pande recessus,
Haec praeeant coecis lumina consiliis.
Nam menti atque animo, quae suggeris Ipsa, valebunt,
Sentiet ex illis damna nec ulla fides.

1730.

Ποιμενία τῶν πιστῶν, ῥωμαίων Αρχιερῆα,
Γήραϊ καὶ καμάτῳ παμπολὺ τειρόμενον,
Λῖθος ἀδρανίης, πορετοῖο δὲ φλωξ ἐδάμασσεν,
Κείμενον ἀργαλέῃ πολλὰ καμόντα νόσῳ.
Τῷ ἐλέους βασίλισσα, ὕπερσχον χεῖρα πεσόντι,
Ἤζετο γὰρ σε φίλην Μητέρα ὥστε τέκος.

20. FEBRUARII.

1715.

Reginam Superùm, terrarum spemque decusque
Mens membr officii concelebrare iubet.
Illius in laudes sed cum pia carmina condo,
Heu! mens quod condat non meliora, dolet.

1716.

Ducitur insanis lymphata licentia ludis,
Risuque et plausu plena theatra sonant.
At nobis, Tu sola, Parens, pia gaudia redde,
Veramque in Christi nomine laetitiam.

1717.

Ut rite instituam pueros, rege, Mater, utrosque;
Si de Te veniat regula, certa venit.
Per Te proficiant virtuti verba loquentis,
Ac doctrina piis consona sit studiis.

1721.

Coelestis orbem cum statuit Pater
Firmans profundi numine consilî
Coelumque terramque, ut creatis
Prima daret rudimenta rebus,
Lapsu priusquam concideret genus
Tantis luendo flebile cladibus,
Te legit, insueto futuram
Munere consilii ministram:
Quae damna divo germine solveres,
Et restituti qua generis decus
Maiore cultu post ruinam,
Et miserum repararet orbem:
Et quae paterni nescia criminis,
Ceu luna puro lumine fulgeres,
Et colla calcares colubri
Sidereo redimita serto.

1724.

Quanto a l' udir soave, e al cor mi torni,
O dolce nome di mia cara Madre,
Che di quà giù le forme più leggiadre
Vince, e tutti mi fa sereni i giorni.
Tu la mia mente oscura informi, ed orni
Di quella luce, ove si asconde il Padre;
Ed al tuo suono le tartaree squadre
Dileguansi qual' ombra all' or, che aggiorni.
In Te contento e pace e piacer trovo,
Tal, quando il mondo ancor più rio mi preme,
Ch' altra gioja simil qua giù non provo.
Anche in mirar l' orror de l' ore estreme,
E speranza e coraggio in Te ritrovo,
E invocando Maria nulla il cor teme.

21. FEBRUARII.

1713.

Fac quaecumque fides de me, pietasque reposcit,
  Sit pius, et mundi sit sine sorde labor.
Hoc mihi Virgineo Matris de nomine fas est
  Sperare, et votis iam tenuisse licet.

1716.

Mater in adversis animi Tu dulce levamen,
  Ad tua cum pressi numina perfugimus;
Tu mentis praeses, rebus sublata secundis
  Ne procul a vero se per inane ferat.

1717.

Quae ostendit Christus iustis bona condita coelo,
  Praeque suo specimen splendidus ore tulit;
Haec nobis, Mater, coelesti lumine profer,
  Scilicet has vivas ut sitiamus aquas.

1719.

Temporis insani damnata licentia cedit,
  Vanaque bacchantum somnia diffugiunt.
Gaudia deceptos animos fugientia pungunt,
  Ipsaque quam cordi vana fuere, docent.
Tu, quae coelestes adducis luminis ortus,
  Incautos tantis erue de tenebris.

1724.

Benchè l' aura nè porti le parole,
  Nè ferir possa un suon volante, e leve,
  Pur da queste armi ogni or guerra riceve,
  E di perdite sue virtù si duole.
Non così cade al fulminar più greve
  Di macchina mural battuta mole,

Come sovente reggersi non puole
Viril coraggio a un dir pungente e breve.
Tanto del core uman la tempra è frale,
Tanto legge mondana, error vetusto,
E l' uso in sua ragion trionfa e vale.
Per Voi nostro operar sia forte e giusto,
Ed a l' eterne leggi sempre eguale
Contro un nemico tanto ardito e ingiusto.

1727.

Et crapula et ludis nimium bacchata iuventus,
Queis agitur furiis! queis iacet in tenebris!
Vulneribus ridet de admisso crimine adactis,
Atque excepta iocum deliciasque putat.
Horreat adspiciens materna in luce periclum,
Consilia et referant ad meliora pedem.

1729.

Παρθενίην Μαρίας τάδε λείρια λευκὰ γάμοιο,
Καὶ πόσιος στεφανοῖ δεσμὰ σαοφροσύνην.
Εἷς πόθος ἀμφοτέρων κραδίης ἓν τοῖσιν ἐέλδωρ,
Καὶ μία ἀμφοτέροις ψυχὴ ἓν ἐστι κέαρ.
Οὐ γάνος, οὐδὲ πρέπει τὰ ἀθύρματα, οὐδ' ὑμεναῖοι
Τὸ ζάθεον τόσσης ῥῆθος ἀκηρασίης.

1730.

Κάτθανεν Ἀρχιερεὺς τρισκαιδέκατος Βενέδικτος,
Λαμπρῆς Ὀρσίνων ἐκ γενεῆς γεγαώς.
Ὃν ποτε Γουσμανοῦ νέον ὄντ' ησκησε παλαιστρη,
Κ'αὐτίκα τῆς ἱερῆς δρηστοσύνης κάματος.
Εὐσεβίην ἐφίλει, συνεχεῖς και σφοδρὰ πρόσευχας,
Νωλεμέως δ' ὁσιῆς ἔργα θυηπολίης.
Κάτθανεν ἑκτὸν ἔτος κρατεος μὴ ἑοῖο τελεσσας.
Εὔχεο τῳ, Μῆτερ, πνεύματος ἡσυχίην (a).

(a) *Jure meritoque optimo Poëta Summi Pontificis Benedicti XIII. ex nobilissima Ursinorum stirpe nati interitum deflet, qui summa*

22. FEBRUARII.

1713.

Quantus agit vesana furor praecordia ! quantis
  Indulget Bacchi nomine turba iocis !
Hanc Tu stultitiam nostro de corde facesse ,
  O Virgo , et sacras fac meditetur opes.

1716.

Vincula non patriae , nec sanguinis ulla meum cor
  Vestro obsignatum nomine , Virgo , trahant ;
Sed quo dux fueris , quo me deduxeris , illuc
  Auspice sub tanta tendere non renuat.

1719.

Dies Cinerum.

Effraenis aestus perditae
  Deferbuit licentiae ,
  Quae iura fasque proruit ,
  Pudoris et fregit iugum ,
  Ceu liber amnis aggere.
  Jam serus angit pectora
  Vesana per scelus dolor ,
  Dirisque fixa spiculis
  Opem precatur anxia.
  Tu Mater almi Numinis
  Praebe medelam sauciis ;
  Te namque fusis lacrymis
  Fontem salutis invocant.

---

animi modestia, incredibili tuendae propagandaeque fidei studio, ac mirifica virtutum omnium conspiratione cum sanctissimis prioris aetatis Pontificibus conparari potuit.

1721.

In Te mens pacem dum fracta laboribus ambit,
Tranquillos pacis pande rogata sinus;
Curarum impositos mittant ut pectora fasces,
Et grave de studiis ut relevetur onus.

23. FEBRUARJ.

1713.

Ingenium ad studia sine Te, pia Virgo, fatiscet,
Nec mens absque tuo numine tollet onus.
At si Tu nostris facilis conatibus adsis,
Non unquam ingenii robora deficient.

1712.

In funere D. Horatii Albani.

Quamquam languerent infirmo in corpore vires,
Et brevis urgeret funere dicta dies:
Per Te, sancta Parens, per Te, dulcissima Virgo,
Funereum nulli displicet eloquium (*a*).
Sint Tibi, sint iuges nostro de pectore grates,
Deque tuo semper nomine Musa canat.

1716.

Anglica dum repetit titulis Jacobus avitis
Regna, Petri quondam quae coluere fidem,
Tu regis insidias, inter, Virgo inclyta, puppim,
Ac patriis reddis finibus incolumen (*b*).

(a) *Horatius Albanus Clementis XI. germanus frater, et Cardinalis Annibalis Albani pater, religione, prudentia, modestia, probisque moribus spectatissimus, qui X. Kal. Februarii* CIƆIƆCCXVI *Romae diem supremum obiit, quo in funere Carolus Maiellus publicam tanti Viri habuit laudationem, uti facile ex hoc Epigrammate conjici potest. Vide* Petrum Pollidori *in Vita Clementis XI. lib. IV. §. XII.*

(b) *Jacobus III. Stuardus Mense Octobri An.* CIƆIƆCCXV. *ingenti classe mare traiiciens ad Scotiae litora denuo appulit, ut floren-*

1718.

Te canit insanis quisquis servatus ab undis,
Litora tuta poli, Te miserante, subit.
Te colit Aligerûm, coeli quibus aula refulget,
Assiduis studiis, officiisque cohors.
Sic Te laetitiae fontem, matremque fatentur,
Sic Te Reginam terra, polusque canit.

1729.

Ὥστε συνειληφαῖν' ἐνόησεν τὴν Ἐλισαβὲτ,
Συγγενίης μνήμων, Παρθενὶς, ἠδ' ἀγάπης,
Καρπαλίμως ἐις τήνδε πόλιν, καὶ ὀρεῖα τ' Ἰουδα
Βῆ δ' ἰὲν' ὥστε φίλην ἔγκυον ἀμφαγαπᾷ.
Δὴ τότε πάντες ἔρημοι αγαλλιόωτες ἰούσης,
Πᾶσα τε ἡ χώρη θαυμασιῶς ἐχάρη.
Ἀλλ' εισελθούσης πολὺ φέρτερον εὐφράντησαν
Ἄγλαα τοῦ Ἱρέως ἤθεα Ζακαρίου.
Ὥστε γὰρ εἰσαϊεν Μαρίης ὀπὸς ἔγκυος ἡ γραῦς,
Ἐν τῷ κλειόμενον γαστέρι ἅλτο βρέφος.
Πλῆτο δὲ τῆς Μητρὸς Ζαθεοῦ τοῦ πνευματος ἦτορ,
Καὶ σφοδρὰ θάμβησεν, καὶ μέγαλ' ἐξεβόα.
Καὶ πόθεν εὐτελεῖ θεῖον, τόδε δῶρον ἵκανε,
Ὥστε Θεοῦ Μητὴρ πρός με ἐσελθεμεναι;
Οὐδὲ σέθεν μετὰ τᾶισι μακαρτέρη εστι γυναιξὶ,
Τόσσον γαρ τὸ τεῆς πίστεὸς ἐστι κλέος.
Ἤδειαν Μαρίας τότε δώματα ἔκλυεν αὐδὴν,
Καὶ γλύκιον μέλιτος θεσπέσιον τὸ ἔπος.
Ἐν σωτῆροι Θεῳ τὸ, ἔφη, μευ ἦτορ ἰάνθη,
Κ' ἐν τῷ ἀγαλλόμενον πάμπολυ πνεῦμα χάρη.

---

tissimi illius Regni, quod sub suorum maiorum ditione fuerat, potiretur. At quamvis Christianorum Principum, et praesertim Summi Pontificis auxiliis fretus primo certamine hostes devicisset, postea tamen, belli fortuna mutata, nullo successu in Galliam redire coactus fuit.

Κεῖνος ὑπερφυάλους αἰπείνων κάββαλεν ἑδρῶν,
Κ' εἰς τὰς οὐκ ἀκέων εἶσεν ἄγων χθαμαλούς.
Παῖ δ' ἑὸν οἰκτήρας ὑπεδέξατο λαὸν Ἰακώβ,
Τοῖσι παλαιοῖσιν πατράσιν ὡς ἔλεγεν.
Ταῦτα μὲν ὑμνώσασα Θεὸν λυγυφωνος ἄειδεν
Παρθένος, ἠχώδη ἔγκεα πάντα κρέκει.

24. FEBRUARII.

1713.

Non mihi laude tua, Mater, res gratior ulla est,
Nec sonat in nostro dulcius ore melos.
Sic liceat sacrare dies, sic condere soles,
Sic liceat vitae claudere curriculum.

1716.

Hinc late Odrysiis concussa Europa sub armis,
Hinc gelido clades ex Aquilone timet.
Tu defende Petri, Turris fortissima, sedem;
Ne contra impietas, haeresis aut valeat.

1719.

Cum primum teneris aetas adolesceret annis,
Afflaret mundi nec gravis aura sinus;
Pectoris una mei Sapientia traxit amores,
Curaque quaerendae Virginis una fuit.
Illius aethereas ambivi carmine taedas,
Sponsa nec ingessit gratior ulla faces,
Ergo in Te quoniam fixit Sapientia sedem;
In vota optantis pronuba, Virgo, veni.

1723.

Quos ore, Mater, prospicis aureo,
Illos nec irae territat impetus,
Nec terror insani tyranni;
Nec rapido populi tumultu

Iactantur ; almo nam pia lumine
Fluctus tumenti sternis in aequore ,
Vultuque refraenas sereno
Stella maris tumidas procellas.
Tu corda flectis , pectora temperas ,
Irasque longas imperio domas ;
Mitesque reddis , quos furentes
Coeca diu rabies tenebat.
Iam vota fratri publica laudibus
Immixta plaudunt , et studiis favent ,
Nec iam morantur , quos dedisti
Virgineis meritis honores.

1726.

Quod laudes tenui properamus carmine , Virgo ,
Nec vena par est officii ;
Non est hoc animi , non est leve vulnus amanti,
Infirmitatis quem pudet :
Quique tuo inter miscet suspiria cantus ,
Gemensque musas increpat.
At Tu , quae studium potius , quam carmina laeto
Vultu benigna suscipis ,
Adspice conanti quam sit succensa voluntas ,
Infirma quamvis robora.
Conceptisque poli de sedibus annue votis ,
Neu deprecantem deseras.

1727.

Approperant noxis ieiunia iusta medendis ,
Gaudia quae menti deliciasque parent.
Non quales captis promittit coeca voluptas ,
Aut quales rapidis cursibus hora rapit.
Sed quas de supero manantes fonte , beatae
In terris mentes dulci in amore bibunt.

25. FEBRUARII.

Laudemus Mariam, nobis haec gaudia sunto,
  Atque hoc dent veras tempore delicias.
Cum saecli comites Bacchi furor impius urget,
  Laetitiae puro quos procul amne tenet.

1716.

Quod ludis dederat damnata licentia tempus,
  In Tibi sacratae tempora lucis abit.
Fac Mariam, Mathia, colant, Christumque sequantur,
  Criminis et luxus qui tenuere viam.
Tu qui coelesti delectus sorte, replesti
  Dignus Apostolici mystica iura chori.

1718.

Auxilium praetende, regis quae, Mater, alumnos;
  Ne styx divinum subdola turbet opus.

1720.

Dulcia verae
Gaudia vitae
Quisquis anhelas;
Quisquis amorem,
Praesidiumque
Virginis ambis,
Promite laetas
Carmine laudes,
Pectore iuges
Reddite grates;
Ore salutem
Dicite, et almum
Tollite nomen.
Undique mundus
Terra polusque
Pontus et aër,
Ipsaque coeli

Regia cultu,
Virgineaque
Laude resultet.
Illius ardor
Corda, sinusque
Occupet omnes.

26. FEBRUARII.

1713.

Post mundi curas, et fluxa negotia saecli,
Ad Te, ceu pelago mens agitata redit.
Tu portus lasso, curarum dulce levamen,
Una vales animi pellere tristitiam.

1716.

Dies Cinerum.

Pulvis, et umbra sumus. Sed mens malesana fugaces
Captat adhuc parvo in pulvere divitias.
Obsita tot tenebris splendorem nominis optat,
Spinarumque inter vulnera delicias.
Coelestes Tu, Mater, opes, et lumina pande,
Ultima ne coecos opprimat atra dies.

1718.

Qui subiere novos studio properante labores,
Sacra etiam cupido dogmata corde bibant;
Ut pueri ad vitae cursum vestigia firment,
Ad patriae et tuti limina perveniant.

1721.

Ut sacra contractas tergant ieiunia labes,
Illa tuis ineant, Mater, ab auspiciis.
Tu vires animi, Tu robora corporis auge,
Ut culpa iratum flectat uterque Patrem.

1724.

Alpestri monti e solitarie arene,
Alte foreste e valli erme e profonde,
Che foste un tempo d' alme caste e monde,
Quasi di rose e gigli adorne e piene;
Foste a la Fede voi più colte e amene,
Ed agli Eroi di Cristo più gioconde,
Che gli orti, il di cui nome non asconde
La lunga età, ma chiaro anche a noi viene.
L' ozio, la vanità, l' agio, e 'l diletto
Non fanno in voi soggiorno, e trovan sole
Le virtù in vostro orror grato ricetto.
Beato! da Maria chi scorto puole
D' alta sapienza ornar la mente e 'l petto
In si tranquille e fortunate scuole.

27. FEBRUARJ.

Tempora Virgineos suadent memorare dolores
Haec sint per tristes gaudia sancta dies.
Nunc iuvat et luctu et lacrymis Mariam comitari,
Pro nobis Christo quae pereunte dolet.

1719.

Virgo meas revocat non culta ad carmina musas,
Et rudibus nervis nomina sancta sonant.
Illa modos animi, liquidae non dulcia vocis,
Nec strepitus citharae dulcisonantis amat.

1720.

In laude sanctae Virginis
Noctis tenebras pellimus;
Nos Illa lentos excitat,
Jubetque stratis surgere.
Ad lucis ortum carmina
Haud mente segnes condimus,
Matremque cantu praesidem
Actis diurnis poscimus.

Digitized by Google

Tum sera cum nox ingruit,
Nosque ad quietem provocat,
Dulci Parentis nomine
Diem canentes claudimus.
Sic tota sanctis moribus
Decurret aetas, et dies
Haud ulla tanto pignore
Verae salutis excidat.

1727.

Quis mihi det iuges oculis effundere fletus,
Mergat ut in lacrymis crimina nostra dolor?
Quis dabit, ut domito flectantur corpore sensus
Et fraena ediscant imperiumque pati?
Officia haec poscunt, repetunt has tempora partes,
Quaerendaeque dies apta salutis amat.

1730.

Ὡς ἔθανεν μέγας Ἀρχιερεὺς τρόμος ἔσχεν ἑταίρους,
Λήσσην καὶ δήμου ἐκφυγέειν πόθεον.
Μῆνιν πῶν ὄχλων, φοβεράς τε ἄλυξεν ἀπειλὰς,
Ἀρχῆς ὃς πρότερον πολλὰ κράτησεν ὅλης.
Κευθόμενοι δ' ἕτεροι πότμον φύγεν ἄλλυδις ἄλλοι,
Ζητοῦντες μεγάλης δυστυχίης ἀλεήν.
Μή ποτε δηΐοτης διατρύπτῃ ἱερὸν ἔργον,
Ἤδε ἀναγκαίην νυνὶ ὁμοφροσύνην,
Παῦε διχοστασίην ἀγάπης πόλεως δέ τ' ὄλεθρον,
Τὸν Βενεβεντήων ἄντια μαινομένην.
Τοῖς δὲ, φίλη Μῆτερ, ῥιγοῦσιν σύμμαχος ἔσσο,
Τῇ σευ ὁρινομένοις ἀλκὶ παρισταμένη.

28. FEBRUARII.

1713.

Jam satis insani bacchata licentia saecli
Stultitiae extremam luget adesse diem.

Illi nulla meos adiungant foedera sensus
  Sed per Te soli sint mihi iuncta Deo.

1716.

Fac alacres vitae, et mundi mala cuncta feramus,
  Fac placeant anima gemina sancta Crucis;
Mater, quae merito coleris Regina dolorum,
  Cum Christo pariter quae Crucifixa doles.

1720.

Quae celeri studio chartis mandamus ineptis,
  Mater Apostolico das placuisse Patri.
Sic sunt donorum, Virgo, monumenta tuorum,
  Quae sunt cumque meis condita literulis.

1722.

Ubera sugentem Matris cui cernere Jesum
  Contigit, o quali sorte beatus erat!
Quique est cum puero Mariam comitatus euntem
  Quam felix laetis gressibus ille fuit!
Adstitit et quisquis Christo expirante Parenti;
  Ex ipsa duxit gaudia quanta Cruce?
At qui Reginam coeli supera alta tenentem,
  In patria Christo cum dominante videt,
Delicias quas ille bibit! qua luce redundat!
  Quam capit e gemino lumine laetitiam!

1724.

Qual nave a l'onde, fra mille vicende
  Or trista, or lieta passa la mia vita.
  Or del sapere il dolce amor m'invita,
  E poi mi opprime, e i sensi intenti offende.
Or de' beni del Ciel brama mi accende,
  Or son freddo e di gelo, e chieggo aita;
  L'alma or'in alto poggia, ora schernita
  In terra giace, ed umiltade apprende.

Digitized by Google

Ma in Voi lodar sempre è il desio costante,
Sia pur l'aura seconda, o venga infesta,
Madre pietosa, e più ch'amata amante.
Voi lodando si calma ogni tempesta,
E fra le cure mie sì varie e tante
Tranquilla pace un tal desio mi appresta.

29. FEBRUARII.

1716.

Quot lacrymas dederas, suspiria, singultusque
Insons infanda cum nece Christus obit!
Illa tamen rutilam nectunt Tibi, Virgo, coronam,
Regina in coelis qua super astra micas.

1720.

Laudibus, et ficta sub imagine fallit honoris
Mundus, qui in praeceps pectora coeca trahit.
Pande animis, Virgo, coelestia lumina, veram
Ut laudem affectent, quae sonat ore Dei.

1721.

Quidquid conamur, quidquid sermone, styloque
Aggredimur, Matris sentiat auxilium.
Arceat illa nigras, turbant quae pectora, curas;
Nec neget assueti pignora praesidii.
Sic dabit integrae traducere tempora vitae,
Moribus, et verbis sic placuisse Deo.

1. MARTII.

1713.

B. Virgo Christum supremum sibi vale dicentem alloquitur.

Ergo meis oculis iam Te ultima surripit hora,
  Hora tuis olim, Nate, sacranda malis?
Quam Pater aeternis praefixit legibus unam,
  Ut diris homines casibus eripias.
Te vocat heu! manibus mors infligenda tuorum,
  Suppliciisque tuis exsaturanda fames.
Te vocat ad diri ludibria barbara ligni,
  Probrosamque Adae culpa vetusta necem.
Quantis Te innocuum laniabunt verbera plagis!
  Sanguineos rivos vulnera quanta dabunt!
Quantus eris ludus, Tu, et fabula quanta popelli!
  Asperior talis lingua loquentis erit.
Ah! pereat damnanda dies, quae dira ruentum
  Crimine prima fuit commaculata Patrum.
Illa feris primum Te obiecit morsibus, illa
  Devovit tristi per mea damna neci.
Illa meis Te, Nate, amplexibus abstrahit, et me
  Illa iubet nigros Te sine ferre dies.
Me miseram! frustra Te lumina nostra requirent,
  Diva quibus post hac ora videre negas.
Heu! desolatae mihi gaudia nulla supersunt,
  Te Christe, in terris nil abeunte placet.
Et quocumque meos intendent lumina visus,
  Et quidquid dabitur cernere, luctus erit.
Sola tamen superant confixo gaudia cordi,
  Quod norim summum sic voluisse Patrem.
Allevat hoc miseros tanto in discrimine sensus,
  Vade igitur, quoniam Patre iubente cades.

1716.

Seu parat insidias, seu perfidus irruit hostis
  Seu coniuratis viribus arma movet;
Tu nos, Sancta Parens, de coelo protege inermes;
  Sic tuus ipsa salus nostra triumphus erit.

1717.

Sacratus Christi fuso de sanguine mensis,
Ferrea, qui scelerum vincla resolvit, adest.
Et nos funereos illi solvamus honores
Tecum iungentes, Virgo Parens, gemitus.

1720.

A te quam tulimus precibus lacrymisque salutem,
Illa Tibi officiis, Virgo, dicata redit.
Tu firmam serves, sacrisque laboribus aptam
Gaudeat, atque pari munere, Virgo, nepos.

1726.

Stulta licet volitet, turbetque licentia vulgi,
Optet et omne nefas,
Et verbis fac'isque oculos percellat et aures
Non revocata metu;
Nos procul insanas species vitamus et artes,
Urbeque perfugimus.
Quaerimus et tacitos laetanti corde recessus,
Pax ubi tuta sedet.
Luminibus cultuque nitentia templa subimus,
Panis ubi Angelicus.
Gaudia Christiadiim, sanctum et ferventis amorem
Relligionis alit.
Hic pietas inhiat dapibus, sic munda beantur
Pectora deliciis.
Coeca bonis tantis careat cum turba, triumphat,
Laetaque supplicio
In scelus omne ruit. Tantus furor impius urget
In mala praecipites.

1728.

Imperio Hungaricas Stephanus dum temperat urbes,
Sceptri iure potens, sed pietate magis;
Praesidium gentis pellendis hostibus arcem
Virginis in Mariae relligione locat.

Hanc Dominam, populique ducem regnique vocabat,
Huic aedes passim templaque condiderat.
Quo subit astra Parens, coeloque illata triumphat,
Appellant Dominae subdita regna diem.
Hostibus e domitis retulit sic regia palmas
Dextera, sic late protulit imperium.
Subsidio atque opibus studium cultumque rependit,
Reddit et obsequii Virgo secunda vicem.
Virgineo donec sociatum morte triumpho,
Invexit coelis ipsa dies Dominae.

2. MARTII.

1716.

Subdola quod nostram laudandi oblivia mentem
Virginei immemorem carminis obruerint;
Sancta Parens ignosce gravi placata dolori,
Inque novo facilem crimine da veniam.

1717.

Corde tuos recolit quisquis, Pia Virgo, dolores,
Et tristis gestit funeris esse comes;
Ille aeterna tuae sociabit gaudia sorti,
Laetitiaeque comes non pereuntis erit.

1719.

Turbida quam levibus iactantur pectora curis!
Stultaque quam coeco turbine mens quatitur!
Tu quae luminibus coelum nimbosque serenas,
Tranquillos placido numine redde sinus.

1722.

Quae Vaticanos tutaris, Mater, alumnos,
Inter quos aedem numine laeta tenes;
Queis sacra et Pueri et Matris sub imagine monstras,
Quid coeca et praeceps audeat impietas.

Sanguineis praefers maculis, quae vulnera figat,
Quamque cili excipiat fulmina supplicii;
Ut teneros animos poenarum horrore salubri
A vitiis revoces abstineasque procul.

1729.

Ἐξορίης ὄλεθρον, καὶ πήματα πάντα βίοιο
Ἡμος Ἄνασσα καλὴ παρθενὶς ἐκτέλεσεν,
Τῆμος ἕδος μακάρων ἀνέβη καὶ ἀθανάτων δῶ,
Αἰδιόν τε πόλου ἔλλαχε κοιρανίην,
Καὶ πὰρ τὸν βασιλῆα ἐπὶ θρόνου ἀστερόεντος
Γηγενέων ἀνδρῶν ἔσχετ' ἀνακτορίῃ.
Αὐτόθι αἰνομόρων θνητῶν πολὺ δακρυχεόντων
Ἱμερόεντι νοῳ ἔκλυεν ἱκεσίης,
Ὀρφανικόν τε τὸ ἦμαρ ἑῶν βρεφέων ἐλεοῦσα
Τοῖσι ρυηφενέων δῶρ', ἀγαθῶν παρέχει.

1730.

Ἁρμονίην ἀγάπης, κ' εἰρήνην ὀλβιοδῶτιν
Μὴ δύσεριν ῥῦπτοι αἱρεσέωντε χόλος,
Μηδ' ἔχθρης στυγερὲς κρειώδη τὴν ὁμονόην,
Μηδ' ἀν βουλείας μηδὲ τάραττε φρένας.
Ἄλλα κέαρ πατέρων φιλότης ἔχοι, ἣδ' ἀγαπῶσι
Ἤπια φραζόμενον τοῖς ὀπάσειε νοόν.
Ὡς τῶν μητιετῶν γνώμας σεθεν ἰθυνούσης,
Κρίνειν βελτιστον ποιμενα της ἀγέλης.

3. MARTII.

1716.

Ne Procerum noceant verbis flammantibus irae,
Neu pace excussa mens animusque cadat;
Pectoris, alma Parens, defende potentius arcem,
Temnat ut intentas non tremefacta minas.

1719.

Dum sacra funereo nigrescunt tempora luctu,
  Noenia dum Christi probra crucemque canit;
Et nos virgineos Mariae deflere dolores,
  Singultu, et lacrymis, carminibusque iuvat.
Haec sit luctificis studiorum cura diebus,
  Mentisque atque animae pabula sint gemitus;
Qui simul afflictae Matri solatia praestent,
  Et fidei sensus, ac pietatis alant.

1722.

Qua sedet in Marii praecelso vertice collis
  Et subiecta iugo Quintia prata videt,
Gusmanae genti hospitium sacra praebuit aedes,
  Aedes Virgineis nomine dicta rosis:
Quae pia divinis epulis et pabula verbis
  Dat circumpositis largius agricolis:
Ad quam turba frequens adeunt feriantibus agris,
  Et Mariae auxilium laude sonante vocant.
Felices, quibus illudit non ambitus aulae,
  Nec sitibunda auri torquet avarities.
Illam cum subeas, tranquilla silentia mentem
  E saecli curis protinus abripiunt.
Quis mihi det tacitos tam laeto in colle recessus
  Incolere, et longos posse latere dies?

1727.

Virgineo resonant gemitu, lacrymasque Parentis
  Tristibus officiis tempora commemorant.
Addat nos pietas socios, luctumque sequamur,
  Nam causa haud luctus iustior ulla fuit.
Hoc alitur maternus amor; sic ipsa probatur
  Debita natorum, Matre dolente, fides.

4. MARTII.

1716.

Algores inter brumales passibus aedes
  Sollicitis Mariae dum, Casimire, petis;
Moliris sapiens mansuri insignia regni,
  Affectasque polo clarius imperium.

1717.

Non te regali retinet domus aurea cultu,
  Non quas aula colit regia delicias;
Nocturnas inter tenebras sed templa revisis,
  Membraque praedura lactea sternis humo.
Invisae et Veneri lethi fata aspera praefers,
  Lilia sic purae virginitatis amas.
Virgineas hinc te laudes, Casimire, canentem
  Virgineo lateri mors pia consociat.

1719.

Ut colit aethereae Matris Casimirus amores,
  Et flammas tacito pectore laetus alit;
Sic pia Virgo vicem studio meritisque rependit,
  Nec minus ardorem Mater amantis amat.

5. MARTII.

1715.

Cedunt exactis Bacchi sacra foeda diebus,
  Queis latitasse fuit, vel puduisse nefas.
Ingere nunc, Mater, studii melioris amorem,
  Quo humana excutiant pectora delicias.

1716.

Transfixam Nati praedura sub Cruce flentem
  Solari Matrem tempora sancta monent.

Digitized by Google

Sit iam dulce Crucis comitari probra ferentem,
Nec Matrem sociam deseruisse Crucis.

1718.

Invida non hominum scribentem dicta retardent,
Nec vana sacrum laude feratur opus.
Nomine digna tuo cedant studiumque laborque,
Ac Tibi, Sancta Parens, sit placuisse satis.

1722.

Si quis amat dulcem dulci cum Virgine Christum,
Ille etiam lacrymas Virgine flente dabit.
Nam quod fixa sinus gladiis langueret acutis,
Una fuit Matri causa doloris amor.

1724.

Il dolce tempo a rivestir ritorna
D' erbette e fiori i colli e le campagne,
Serenità e letizia sue compagne
Seco riporta, e l' alme e 'l Ciel ne adorna.
Il mio amore e 'l pensier, ch' in Voi soggiorna,
Sente l' aura novella, e a l' alte e magne
Materne lodi, pur che l' accompagne
Vostro favor, più vigorosa torna.
Di Voi cantando il cor si rasserena,
E 'l tutto parmi che allegrezza spiri
Onde mi è la stagion più lieta e amena.
Senza di Voi parmi che il Ciel si adiri,
Che freme il mare e 'l vento; e in doglia e pena
Tutto mi sembra, ovunque il guardo giri.

6. MARTII.

1715.

Dies Cinerum.

Fallaces hominum curas vitamque sepulchro
  Inspersi cineres deproperare monent.
Sed nisi, sancta Parens, torporem pectoris urges,
  Frustra erit extremam commemorasse diem.

1716.

Sint mihi, sancta Parens, tutamina firma dolores,
  Qui fixere tuos Christo obeunte sinus.
Et Crucis ut sapiat fac nostro in gutture fructus,
  Haec sedent animi dulcia mella sitim.

1720.

Luminibus lacrymas, cordi da, Virgo, dolorem,
  Luctificos verbis carminibusque sonos.
Ut veteres aegro tergam de pectore labes,
  Et Christi caedem suppliciumque gemam.

1722.

Dum fovet antiquos discordia longa tumultus,
  Atque agitur pietas Gallica dissidiis,
Demitte e supero tranquillam cardine pacem
  Quae in prima infensos foedera restituat.
Virgineo illustret lux vera e nomine mentes,
  Quae offusis certum pandat iter tenebris,
Et studiis nostris adsis, et vota secundes,
  Sufficiasque tuo numine, Mater, opem.
Optatos pacis fructus ne nostra retardent
  Crimina, divinum neu remorentur opus. (*a*)

(a) *Hinc facile [erui potest Cl. Auctorem qua scriptis, qua precibus summo animi ardore Deo fusis nullum non movisse lapidem, ut Janseniana haeresis prorsus extingueretur, de qua alibi loquitur.*

1726.

Jam laeti excipimus ceu dulcia gaudia mentis,
  Quam dulcem adducunt tempora moestitiam.
Froena iuvant vitiis et carni iniecta rebelli,
  Edomitique placet corporis esuries.
Nunc demissa iuvat sincera modestia, nullis
  Quae ignari populi laudibus obsequitur.
Jam procul hinc risus et mordax lingua loquentis,
  Non ira aut clamor, rixa nec ulla sonet.
Una sit in cunctis animorum certa voluntas,
  Per domitos sensus temnere delicias.

1727.

Mittamus nugasque leves ludosque iocosque,
  Deposcunt iuges tempora dum lacrymas.
Poscamus veniam, Mater rogat ipsa cietque,
  Ipsius e lacrymis spes redit orta reis.
Dulces cum dulci funduntur Virgine fletus,
  Inde bibunt veras pectora delicias.
Temporis officia et populi pia vota precesque,
  Quaeque inter gemitus edita verba sonant;
Commemorant Mariae dum spicula fixa doloris,
  Vulnera non nobis esse dolenda docent.

1730.

Πᾶσα γόον ῥώμη, πᾶσα Χριστοῦ βασίλεια
  Δάκρυα εὐχομένη ἱκεσίηντε χέει.
Τοὔνομα τῆς Μαρίης καλέει ἐπιθάρροθον αὐτὴν
  Λίσσετ' ἐν ἀργαλέης πήμασιν ὀρφανίης.
Κλῦθι ὀδυρομένων ἀπὸ δείρατος ὀυλυμποιο,
  Παρθένε, ἱμερτὴν δοῦσα παρηγορίην.

7. MARTII.

1715.

Excolere ingenium studiis, evolvere libros,
  Veram tutari per sacra scripta fidem;

Digitized by Google

Hic labor Angelici fuerat celebrandus Aquini,
Sic vitae cunctos duxit et ille dies.
O utinam per Te, Mater Thomaeque magistra,
In studiis vitam ducere sic liceat.

1716.

Angelicos redoles, Thoma, candoris odores;
Angelico scriptor tolleris ingenio;
Angelico flagrat castum tibi pectus amore,
Angelico errores comprimis eloquio.
Hoc dedit Alma Parens, ut moribus Angelus esses,
Atque esses scriptis Doctor ut Angelicus.

1717.

Praesidio praesens foveas, bona Mater, alumnos,
Aetas in praeceps quos puerilis agit.
Ut Te sectentur Matremque ducemque volentes,
Vitaeque arripiant quo melioris iter.

1718.

Jactamur dubii, librique ambagibus urgent,
Maternam erranti tende benigna manum.
Atque ut Te quondam sensit, pia Virgo, magistram
Thomas Virginei gloria prima chori.

1719.

Cui puero Mariae laudes alimenta ministrant;
Quae docet emeritum tanta magistra virum;
Quidni coelorum subeat penetralia, in auras
Lucis inacessis ut ferat ex adytis?
Quis fonte ex illo ductis sapientior undis?
Quis fuerit titulis dignior angelicis?

Digitized by Google

1720.

Quidquid inexhausto de pectore promsit Aquinas
  Fontibus e superis, Matre docente, bibit.
Sunt tua, quae loquitur, tua sunt quae lumina fundit,
  Cui pro coelesti laus tua lacte fuit.
Te celebrat claratque, decus meritumque tuetur,
  Atque tuas laudes vindicat, et titulos.
Deliciis patriae studium nunc, Virgo, rependis,
  Numine cui tandem laurea parta tua est.

1724.

Il dì, che di Tommaso il nome onora,
  Che bevve già vostra pietà col latte,
  Chiude al colpo di lei, ch' ogni opra abbatte,
  Innocenzo fra noi la sua dimora (*a*).
Il grande, il saggio, il forte, e'l giusto ancora,
  Indarno contro lei s'arma e combatte;
  Che l' uom, non perchè machina lo batte,
  Ma per divin decreto uopo è che mora.
Ben ei, ciò che più val, sottrasse a morte,
  E di meriti colmo là su vive
  Ove non cangia più stato nè sorte.
Virtudi eccelse, gloriose e dive
  Non fia, che restin mai dal tempo assorte,
  Anzi avvien, che l' età più le ravvive.

1728.

Primis revinctus fasciis
  Thomas futurus in scholis
  Scriptis et ore et moribus
  Doctor, magister, Angelus.

(a) *Innocentius XIII. Summus Pontifex, antea Michaël Angelus Conti dictus postquam Christi Ecclesiam summa sapientia, et laude gubernasset, omnium luctu, praesertim populi Romani e vivis sublatus est Nonis Martii* CIƆIƆCCXXIV.

Schedam pugillo strinxerat ,
  Arctaque dextra sic tenet ,
  Nullis ut esset artibus ,
  Quid illa haberet , cernere.
Nutricis extorquet manus ;
  Inscripta verba bina sunt ;
  Ave Maria , nec pluribus
  Signis notatur pagina.
Raptam sed infans lacrymis
  Dolet , requirit , obstrepit ;
  Nec ante deflendi modus ,
  Quam charta dextrae est reddita.
Hanc apprehendit gestiens ,
  Novam et rapinam dum timet ,
  Hiante laetus osculo
  Citus receptam devorat.
O Te beatum , Parvule ,
  Qui dulce nectar appetis ,
  Eoque lacte pasceris ,
  Quo vita crescat , et fides.
Ipsis ab incunabulis
  Infans adhuc et vagiens ,
  Quaerenda iustorum bona
  Quae sint , doces et praedicas.
Jam vive coeptis tam bonis ;
  Nam cultus almae Virginis
  Quondam triumphis nobilem
  Gentes Te in omnes efferet.

8. MARTII.

1717.

Da placidos sensus , Mater , studiisque prioris
  Ad solitos aestus exacue ingenium.
Impellas residem , torpentem sensibus urge ,
  Ingestamque animo discute desidiam.
Primaevos ineat ferventi ut mente labores ,
  Queis Tibi et impositis serviat officiis.

1719.

Praesens malorum pharmacum,
Potens medela vulnerum,
Dulcisque poenitentia,
Quae damna sarcis criminum,
Lapsosque iura ad pristina
E morte raptos evocas:
Te cuncta demum pectora,
Solamen unum tristibus
Ac spem salutis naufragis,
Quaerant colantque iugiter.
Ut lacrymarum tempore
Favente Matre Numinis
Labes vetustas eluant.

9. MARTII.

Instituis, mentemque mones, cum, Virgo, vagantem
Intento ad Christum supplicio revocas.
Sic mundi speciem, et fallacia verba potentum,
Oraque sic hominum temnere blanda doces.

1719.

Moestis atra diebus
Coesi funera Christi,
Fixae et vulnera Matris
Lugentes recolamus.
Justum tristia cordis
Luctum tempora poscunt.
Non nos gaudia tangant,
Non insania ludi,
Nec fallacia risus;
Sed suspiria pascant
Ac iuges gemitus, et
Dulcis si lacrymanti
Tristis noenia musae.

Digitized by Google

1724.

Grato a le Muse , e a me dolce soggiorno ,
Che de' più dotti Eroi tante opre serbi ;
Per cui ne sono ancor chiari e superbi ,
A te tue care mura ecco ritorno.
La Regina del Ciel , che mi fa giorno ,
Guidi miei passi , e benchè crudi e acerbi
Frutti del mio lavor per se riserbi ,
Nè di lodarla umil tornimi a scorno.
Di lei cantando ogni tempo , ogni loco
Siami giocondo , e contento mi porti ;
E del suo santo amor più avvampi il foco.
Questi sian miei piaceri e miei conforti ,
Del mondo e sue vicende curin poco
Gli affetti e 'l cor nel ben costanti e forti.

1730.

Ἔιθε ματαίαων ψυχὴ ἀπάνευθε μεριμνῶν,
Εἴθε νοὸς στυγερῶν χωρὶς ἀπαρτὶ πόθων,
Ὡς μὴ μερμήρειν τῶν θνητῶν ἐν φρεσὶν ἔργων,
Ἀλλὰ μόνη μελέτειν μοι Μαρίης φιλότης.
Δὴ τότε μὴ φημὶς , καὶ μὴ σείσειεν ἔπαινος
Ἔμπεδον ἐν στατεροῖς τὴν κραδίην ἀγαθοῖς.

10. MARTII.

1716.

Quae Christum diro sublatum funere defles,
Inque tuos socios , Virgo, cupis lacrymas ;
Flumina me gemino fletus de fonte cientem
Moeroris socium luctibus adde tuis.

1719.

Virgineas laudes ac dulce in carmine nomen,
Musa piis studiis officiosa canat.
Nec sibi phoebeas affectet praemia lauros;
Ipsum pro insigni munere carmen erit.

1720.

Dum nos Graecorum maculata volumina torquent,
Nobis terge oculos, et rege, Virgo, manum;
Vocibus ut puris inter mysteria laudes
Antiquae gentis consona lingua sonet.

1723.

Cum Mariam celebrare novo mens suscipit aestu
Terrarum coelique potentem,
Uranias vellem comites in carmina Musas,
Ne cantus sit laudibus impar.
Ac totum nostris assurgere cantibus orbem,
Et sociis resonare camoenis.
Ut quae per divam reparavit perdita prolem
Exhilaret quoque nomine Mater;
Compleat et tristes eadem dulcedine terras,
Tartareos ac terreat hostes.
Suppleat et mundi cultus quod carmina tentant
Praestet amor, quod vena recusat.

11. MARTII.

1716.

Indomitos aestus, tumidas compescis et iras,
Virtuti indociles cum fera bella parant.
Sic animi faciles adducere pergis habenas,
Et sic ille tuis nutibus obsequitur.

1719.

Quod vinclis Christus, probris, mortique propinquat,
Tabescit tacito vulnere fixa Parens ;
Nec valet in tantis animi vitaeque procellis
Dissociare dolor , quos sociavit amor.

1720.

Inter tot curas studiorum interque labores ,
Laudandae Matris condit amara labor.
Non gravat ille novo defessas pondere vires ,
Nec iactata terit robora , sed reficit.

1723.

Sedes, Virgo potens , quae superùm tenes ,
Ac terras refoves , et mare temperas ;
Obstructas misero quae generi vias
Pandisti , ad patriam queis reditus patet ;
Quae curas animi , quaeque pericula
Avertis facili numine praepotens ;
Jactatos variis adspice casibus ,
Qui Te de mediis fluctibus invocant.
Dispelle ex animo tristitiam et metum ,
Et vires tenuis corporis augeas.
Cocyti rabidam frange proterviam ;
Seu coecas animis insidias struit ,
Insano rapidus seu furit impetu.
Tu nos impositis fac studiis pares ,
Ne morbus retrahat , ne vacuas ferat
Invisas alacri desidies moras.
Tu cunctis praeeas provida gressibus.
A Te coepta fluant , quae gerimus , comes
Sis , Mater , trepidi dum terimus vias ,
Ut sis ipsa meis palma laboribus,
Lumen consiliis , metaque cursibus.

1724.

Or ch' è senza Nocchier la navicella,
E senza il suo pastor di Cristo il gregge,
Perchè non tema di scoglio o procella,
O che non erri senza guida e legge,
Colui, ch' ogni atto, ogni moto, ogni stella
A tue preghiere raggira e corregge,
Ci doni un duce di se degno, e della
Grand' opra, ch'ei dal Cielo indrizza e regge.
Sia tal, ch' umano affetto non l' arresti;
Sol de l' onor di Cristo arda, e s' invoglie,
E di quei ben, di cui la chiave avesti.
Per adornar le Vaticane soglie
La bianca oliva a i verdi allori innesti,
E palme ne riporti e ricche spoglie.

1726.

Saecli valete ludicra
Et falsa vitae gaudia,
Quae coeca dudum pectora
Mundi replestis sordibus.
Squalore quamvis horrida,
Pallens licet ieiunio
Optata poenitentia
Tu munda corda recreas.
Tu culta dulcis advenis,
Utcumque segnes terreas,
Severa contuentibus,
Suavis sed una amantibus.
Tu foeda sanas vulnera,
Labesque tergis criminum,
Collapsa rursus erigis,
Reddens salutem perditis.
Ad astra quamvis asperam,
Tutam tamen tu semitam
Sternis, nec error abripit,
Quos ducis ad vitam et regis.

Digitized by Google

Beatus ille, Virginis
Qui fretus almo lumine,
Hac pergit ad coelum via,
Sensusque fortis edomat.

1727.

Agnus aeterna cadit immolandus
Lege, profuso lavet ut cruore
Inditas olim generi parentum
Crimine labes.
Filio Mater sociata luctum
Auget, et Patri geminata tristis,
Vincla quae noxae pretiumque solvat,
Hostia cedit.
Heu! quibus damnis luitur vetusti
Lapsus erroris quibus ira summi
Numinis cessit meritis, piante
Morte reatum.
Figitur clavis reparator orbis;
Fixa sed Mater iaculis acutis
Vulneris portat gemini dolores
Pectore adactos.
Nos quibus fructus veniunt salutis,
Luminum fusos sociemus imbres;
Jugis ut manans oculis rependat
Unda cruorem.

12. MARTII.

1716.

Assidua incursant quamquam Te incommoda morbi,
Non ardor sacro in corde tepescit iners.
Sed vigili populos studio, clavumque gubernas;
Utque lupos abigas de grege, voce tonas;
Atque piis doctisque inflammas pectora scriptis,
Intentoque datur nulla labore quies.
O me per Mariae nomen tuus excitet ardor,
Ne temere morbos cor metuens iaceat.

1717.

Gregorii studium, Regina, imitemur, et actus,
Ut placeat vera pro pietate labor.
Utque illum nunquam mundi excussere procellae,
Sic nos non ullo tempore deiiciant.

1723.

Mater aeternis decorata sertis,
Terra quam supplex veneratur, et quam
Omnis in coelo chorus Angelorum
Pronus adorat:
Cuius invictam tremefactus horret
Dexteram coeci dominator orci,
Cuius ad nomen pavitant gemuntque
Agmina Ditis.
Cerne commotas pelagi procellas,
Et quibus tristes agitemur undis;
Adspice instantes Erebi catervas
Bellaque mundi.
Comprime excitos, bona Virgo, fluctus
Ac notos praesens inhibe furentes,
Redde primaevam famulis potenti
Numine pacem.

1730.

Νῆα Πέτρου φοβερὴν διὰ λαιλαπα κινηθεῖσαν,
Ἀιψα κυβερνητου δεινὸν ατεμβομενην,
Μῆτερ, ὁρα πελάγους ὡς κύματα λυγρὰ σαλεύει,
Ὥστε βίῃ πνοίων αργαλέων φέρεται.
Τῇδ' ἔσο σὺ πλωτὴρ, νεῦσινθ' ἴθυνε πλανώσαις,
Ὡς εὑρεῖν ἀδὲους ἡσυχίην λιμένος.

13. MARTII.

1712.

Dominica Passionis.

O Crux, divino Christi quae sanguine fulges,
Et Maria Christum quae comitante micas:
Et Christi et Mariae sis certo munere praesens
Tutela infirmi corporis, atque animi.

1716.

O qui transitis Mariam spectate dolentem,
Et, si qua est pietas, congemere haud pigeat:
Pro noxis hominum Natum dolet illa peremtum,
Ast homo tam diram non dolet ipse necem.

1720.

Quis mihi det gemino de lumine ducere fontes,
Dum tua configit viscera, Virgo, dolor?
Insons humano pendis pro crimine poenas,
Amissa ut nobis gaudia restituas.

1723.

Jactet se tumidis alter honoribus,
Alter divitiis aut studiis potens,
Aures ut vacuas impleat, et ferat
Cassae praemia laudis.
At nos una tenet cura, potentiam
Et Matris meritum tollere laudibus,
Illud si officio carminis assequar,
Nemo hac sorte beatior.
Haec summis etenim sedibus inserit
Mentem sidereis cantibus aemulam,
Terrenasque docet sollicitudines
Celso temnere pectore,

Tu, Regina, choros aethereos super
Quae iugi coleris carmine, patriam
Ore et nomine quae dulcisono beas
Laudes inter amabiles;
Conantis studium suscipe, et impares
Ad laudem numeros auxiliis iuva,
Ut Te digna sonent carmina Virginem,
Natoque placeant tuo.

14. MARTII.

1712.

O crux dulcis amor, dulcissimus unde pependit
Fructus Jessaea Virgine progenitus.
Quae Mariae tam dulcis eras, ut vellere de te
Nec lethum posset, nec fera barbaries.

1717.

Qui Christi referunt in funera dira dolores,
Ad luctus revocant munera, Virgo, dies.
Hos tecum in lacrymis iusti moeroris agamus,
Dulcia nam sanctus gaudia moeror habet.

1720.

Promeritis Tibi pro tantis dum pauca reportat
Munera deducto nostra Thalia sono;
Excipe vel gratos animi, Virgo inclyta, sensus,
Nec pia, pauca licet, carmina despicias.

1722.

Super astra, quo recessit
Celebri Parens triumpho,
Amor urget. O volucres
Mora nulla tardet alas!
Liceat serena Matris,
Quibus ardet aula coeli,

Precor , ora contueri ,
Oculos beant quae amantes.
Domitis sinus procellis
Studiisque longe abactis
Requiescat in amore
Specieque lucis , alma
Ubi cingitur corona
Choreisque filiorum
Marie potens olympi,
Generis salus iacentis ,
Hominumque perditorum
Nova spes , et his futura
Pretium , decus , voluptas

1723.

Cui planctus addit nomina , Virginis
Aedes dolorem quae memorat , pedes ,
Cum nos vocat tempus , feramus ,
Et Mariae lacrymas gementes
Ritu colamus funeris asperi ,
Dum Christus inter probra Crucis Patri
Culpae luit poenas vetustae
Flebilis heu ! generis redemptor.
Illic amoris fletibus ultimas
Voces sequamur ; nam docet , e Cruce
Dum pendet , et callem salutis
Hic sapiens aperit magister.
Sit dulcis atro tempore noeniae
Luctus , Parentis quem dolor advocat ;
Ac dulce sit fletus amanti
Virgineo sociare planctu.

15. MARTII.

1714.

Virginea sine laude dies mihi nubilus exit ;
Si Mariam celebrem carmine , laetus abit.

Digitized by Google

1717.

Pastorem exiguo fidum da, Mater, ovili,
Virtutum sacro ut munere proficiat.

1719.

Felix, qui teneros Mariae puer ambit amores,
Virgineoque dicat tempora servitio.
Tam laeta fuerit non sorte beatior alter,
Nec fuerit cordi dulcior alter amor.

1720.

Cum Maria largos deducite lumina fletus,
Tristia dum moestum carmina tempus amat.
Dulce est cum tristi coniungere Matre dolores,
Fletum et maternis iungere cum lacrymis.

1722.

Virgineam Mariae laeti properemus ad aedem,
Orphana qua sentit turba Parentis opem.
Hic alitur, studiis et prima hic fingitur aetas
Artibus, atque piis moribus excolitur.
In praeceps teneris ne devia currat ab annis,
Pauperies miseros neu malesuada premat.
Largius his Matris pietas et cura, regendis
Consuluit, sors quam laeta iuvare solet.
Profuit amissos illis gemuisse parentes,
Felici est melior queis data sorte Parens.

1724.

D' ombre e di sogni e di notturne larve
Più lieve si dilegua ogni grandezza
Qualunque più tra noi si cerca e prezza,
E pur si stima, quando anche disparve.
Già polve egli è chi più onorato parve,
Nè passato piacer punto si apprezza,

Saggio egli è ben chi tutto abborre e sprezza
Ciò che non è di poi qual pria comparve.
Voi, bell' Aurora, che portaste il Sole,
A chi giacea ne l' ombre de la morte,
Scotete agli occhi miei la notte intorno.
Onde quel ben, che sol mancar non puole
Sospiri, e le vicende de la sorte
E gl' inganni rimiri in chiaro giorno.

1730.

Πολλάκις εὐσεβίης πόθος ὑψόθεν εἰς ἐμὸν ἦτορ
Ἦλθε, καὶ ἀγχιθέου Μητέρος ἡδὺς ἔρως.
Δὴ τότε τῶν θνητῶν ἀγαθῶν ἀνόρεξις ἐτύχθη,
Μηδὲ με τοῦ κόσμου τέρψις ἄγειν δύναται.
Ἀλλ' ἄφαρ ἀιῶνος παλίνορσον νεισσετ' ἔελδωρ,
Τὸν νοὸν εἰς δειλὴν ἕλκον ἀθασθαλίην.
Εἶδε μευ ἀδρανίην, κραδίης σθένος ἄστατον εἶδε,
Μῆτερ, κ' ἀρρήκτου δὸς κράτος ἡνορέης.

16. MARTII.

1717.

Grates quas referam, incolumen quod, Virgo, nepotem
Romuleis clemens finibus appuleris?
Ille sit ut socius vitae studiisque colendis,
Aemulaque in studiis crescat utrique fides.
Sic Tibi devotos tua dextera protegat ambos,
Ac reddat meritis et pietate pares.

1720.

Principium, nostrae, spes et bene fida salutis,
Excipe materno pectore, Virgo, preces;
Concita ne parvam submergant aequora puppim,
Auriga indomitis ne rapiatur equis.

Digitized by Google

1721.

Cum valet ingenium, cultus pietasque vigescat,
Queis Matrem grati pangimus et colimus.
His careat si vita bonis, pietasque tepescat,
Nec vis ingenii, nec placet ipsa salus.

1723.

Virgo, quae coeli residens in arce
Despicis quisquis rapitur procellis,
Cuius et nutus superumque et imum
Temperat orbem:
Cernis ut sanctos pavitans ad actus
Aegra virtutis refugit labores
Mens, bonis ardens inhiansque fictis
Nescia veri:
Fac potens lentos procul esse somnos,
Et leves coelo properare cursus,
Fac sit ut nostris studiis cupido
Una salutis.
Horreat saecli speciem fugacis,
Nec verba vulgi, nec inanis aura,
Splendor aut vani teneant honoris
Vincula pectus.
Ad tuas sedes et amoena coeli,
Virgo, fac totis studiis anhelet,
Et premat fastum, pedibusque mundi
Splendida calcet.

1728.

Septeno fixam celebremus vulnere Matrem,
Admittat tristis carmina si gemitus.
Ora madent lacrymis, suspiria crebra remittit,
Suffusa et coelum lumina suspiciunt.
Ambitio hinc regis suspecta oracula volvens,
Virgineos fodit caede furente sinus.
Exilii trepidaeque fugae, labor et metus urget,
Et pueri et mundi fervidus urget amor.

Temporis hinc Simeon pandens arcana futuri,
Amissus sacris hinc Puer in Solymis.
Tum Synagoga furens regi Christoque rebellis,
Cum parat insonti vincula, probra, necem.
Saevior ille tamen gladius praecordia findit,
Ad Crucis exitium cum furibunda rapit.
Cum clavis fixus lacerato corpore pendet,
Cumque libens Patri victima caesa cadit.
Transadigunt tenerae Matris fera spicula pectus,
Mors una et Christum conficit, et Mariam.
Nec levior, cum depositi pro funere Nati,
Materno excepit membra cruenta sinu.
Ultimus ille fuit suscepti vulneris ictus,
Cum Jesus tacito conditur in tumulo.
Sola vices Christi morientis sola sepulti
Excepit, iugi fida dolore comes.

17. MARTII.

1716.

In Cruce pro nobis pendenti, Mater, adhaeres,
Funus et exequeris fida comes lacrymis.
Illius atque tuos luctus fac, Mater amoris,
Assiduo gemitu pectora nostra colant.

1720.

Cum lingua laudes Virginis
Grato celebrat carmine,
Mens laeta, cordis et sinus
Veris replentur gaudiis.
Oblita curas pectora
Laetantur almo nomine;
Tantaque fulta Praeside,
Spes corda nostra sublevat.
Tristes recedunt noeniae,
Morbi facessunt et dolor;
Vox nulla luctum personat
Parentis inter carmina.

Hoc lingua gestit cantico,
Ora et beantur nectare;
Hoc vitae amara temperat
Nomen calendum iugiter.

1721.

Virgineum nomen, nos maternique dolores
A morbis valida contueantur ope.
Haec sive adversis agitur, seu vita secundis,
Et studia, et cursus, actaque cuncta regant.

1724.

La gran Città, che sette colli abbraccia,
D' Innocenzo già pria lieta e superba,
Geme or trista di lui la morte acerba,
E par che tutto in pianto si disfaccia.
Tal, ch' opre di lui degne e simil faccia,
Invoca, e modo in sospirar non serba.
A la speme, che il duol le disacerba,
Ed a' suoi voti ardenti il Ciel compiaccia.
Fornito di saper, senno, e coraggio
A voi divoto e caro, o santa Madre,
In pascere il pio gregge accorto e saggio,
Volto ad imprese eccelse, alme, e leggiadre
Del Redentor difenda il gran retaggio,
Qual prode duce de l' elette squadre.

18. MARTII.

1714.

Praeteriere novem vitae mihi lustra, diei
Cui dederunt huius lumina principium.
Reddimus en iustas Tibi, Mater provida, grates,
Plena etenim meritis illa fuere tuis.

1716.

Virgo tuam spectamus opem, dextramque potentem,
Quae nos ex utero matris amica foves.
Ex quo etenim primus vitae mihi contigit ortus,
Jam tum nascenti, Virgo, patrona data est.

1718.

Jam quater undenos et quinque exegimus annos,
Nec fuerunt ducti pro pietate dies.
Ergo novos, Mater, melioris temporis ortus
Largire, ut meritis tempora plena fluant.

1719.

Haec me lux quondam lustralibus abluit undis,
Ac natum coecis eruit e tenebris.
Haec signum, nomenque dedit, pignusque salutis
Cum veste ardentem candidiore facem.
Militiae haec Christi docuit rudimenta beatae,
Ac dedit aeternae sortis inire vias.
Josephi auspiciis, Virgo, quo coniuge gaudes,
Haec mihi tunc coepit lux reserare diem.
Sit, precor, et tanto non impar vota patrono,
Quique fuit vitae Dux, sit et ille comes.

1721.

Lethali Clemens dum morbi languet ab ictu (a),
Communes audi Virgo rogata preces.

(a) *Clemens XI. Pontifex Maximus XVI. Kal. Aprilis anno* CIƆIƆCCXXI. *febre correptus fuit, cuius morbi tanta vis extitit, ut frustra omnibus Medicae artis praesidiis adhibitis biduo tantum Virum ad sepulchrum duxerit.*

Digitized by Google

1729.

Ἀτρεκίης φάεσστε θύρας ἀνέωξεν Ἰωσήφ
Ἧς ὅτε τῆς τελετῆς ἤματι ἐκηέγαα.
Τὸν δ' αὐτὸν ζωὴν ἔσχον διὰ πᾶσαν ἀρωγὸν,
Τὸν παρεχοντ' ἀρετὴν, ἐχθρὰ δ' ἀμυνομένον.
Παρθενὶς αγχιθεος περὶ πάντων ὃν φίλ' αμωμον
Ὄντα πόσιν, βιότου πιστὸν ὁμωρόφιον.
Ὃν φυλαὶ μερόπων, ὥσπερ βασιληᾶ σεβουσιν,
Χ' ὥστε φίλον χθάμαλαι τὸν πατέρ' ἐκκαλεσαν.
Αὐτὸν δ' εἶχον ἀει κρυερῶν ἰήτορα νούσων,
Ἀυτοῦ μοι ἔλθη φάρμακ' ἀκεστορίης.
Συν τούτῳ καὶ ἡ Μαρίη ἐμοὶ ἤπιος ἔσται,
Καὶ φόβον ὠθήσει, τάς τε νόσους σκεδάσει.

19. MARTII.

1712.

In festo S. Josephi.

Haec lux, quam bonus auspiciis sacravit Joseph,
Haec mihi baptismi mystica sacra dedit.
Hanc recolam memori per tempora postera cultu,
Numine et in caelis hanc miserante canam.
Haec tum prima tulit mihi perpetis ordia vitae,
Cum primum Christi fulsit amica fides.
Tu iusti pia Sponsa viri firma omina Sponsi,
Josephi et Mariae nomina sancta petam.

1714.

Ecce novum reserat vitae mihi luminis annum
Sancto Josephi nomine sacra dies.
Ille Tibi casto, Pia Mater, foedere iunctus,
Clamanti obtineat commiseratus opem.

Et me de longo descrimine servet uterque,
  Quae mala sub tantis praesidibus timeam ?

1715.

Virginis intactae celebremus carmine Sponsum,
  Ut mens languenti in corpore fracta valet.
Illius auspiciis lucis prospeximus auras,
  Hoc teneat cursus auspice vita suos.

1716.

O Christi obsequiis, et Virginis inclyte taedis,
  Et sponsi titulo nobilis, atque patris.
Lux tua me quoniam aspersum lustralibus undis
  Mundatum patriis prima tulit maculis;
Da vitae puros transmittere criminis annos,
  Ut Christi, et Mariae dignus amore ferar.

1717.

Josephum, Mariae casto quem foedere iunxit
  Aeterni Patris munere sanctus amor,
Cum primum lucis vitales hausimus auras
  Patronum nobis mens Patris alma dedit.
Vita igitur tanto sit nobis auspice digna,
  Claudere sub tanto Praeside quam liceat.

1718.

O Sponse intacta non impar coniuge Joseph,
  Quique Dei merito diceris esse Pater;
Auspiciis sacrata tuis exordia vitae,
  Si mihi felici ducere sorte datum est;
Ingenium, moresque tuere benignus, et annos,
  Currat inoffenso quo mihi vita pede.

Digitized by Google

1719.

Si sacra connubii leges et iura reposcunt,
Ut iungant animos foedera firma pares:
Quae Tibi coelesti virtutum stemmate, Joseph
Quae meritis inerat fulgida nobilitas;
Cum Mariae te Summa Trias castis hymeneis,
Virgineusque sacro foedere iunxit amor.

1720.

Quod Joseph vitae conspeximus auspice lucem,
Patronum nobis, Virgo Patrona, facis.
Quem meritis puraque fide, et virtutibus aequis
Sortita es Sponsum virginitate parem.
Qui summi regis nostrum cum viseret orbem
Dulce patris nomen gessit et officium.
Ipse precor, nostram tueatur numine vitam,
Vitaeque egressos finibus excipiat.

1721.

In obitu Clementis XI.

Post longas hyemes, post bella exhausta serenas
Est Tibi fas, Clemens, pacis adire plagas.
Vicisti excitas Erebo turbante procellas,
Teque sedente Petri tuta carina fuit.
Sive armis totum quateret Mars efferus orbem,
Sive instructa dolis haeresis infremeret.
Late per Sinas, perque avia regna salutis
Victrix Relligio Te duce signa tulit.
Saxona suscepit reducem, Romanaque sedes
Regibus hospitium, perfugiumque fuit.
Bistones Hungaricas ferrent cum bella per oras
Luxere auxiliis agmina fracta tuis.
Pauperies opibus non unquam aut vindice mores,
Aut pudor aut pietas subsidiis caruit.
Auspiciis crevere tuis virtutis honores,
Et collata sacris praemia sunt studiis.

Erepta interitu saecli monnmenta vetusti ;
  Et sensere tuam templa Tonantis opem.
Ornatu illustras intactae Virginis aedes ,
  Virginis et cultum legibus amplicas.
Ergo illa emeritas post tot bella aspra coronas ,
  Illa aerumnarum proemia digna dedit (*a*).

1724.

Di questo giorno fu la prima luce ,
  A cui nascendo le pupille apersi ,
  Più gioconda , e più lieta da vedersi ,
  Che de rai d' altro sol s' orna e riluce.
Nacqui il dì di Giuseppe , e in quanti adduce
  Il gir degli anni casi aspri , e diversi
  Sempre ver me pietosi gli occhi fersi ,
  Di sì buon Padre , e così fido Duce.
Al suo cenno e potere anco si accoppia
  Quel di sua sposa, e d'ambi il nome e'l merto
  Difesa e sicurezza mi raddoppia.
Al dolce figlio oh qual gradito serto
  Formano i gigli di sì pura coppia !
  A i cui prieghi ogni favore è certo.

(a) *Jure Auctor summis laudibus Clementem XI. Joannem Franciscum Albanum exornat , qui quum difficillimis temporibus Christi Ecclesiam gubernasset, nihil antiquius habuit , quam ut Christianorum Principum concordiae consuleret, Petri Cathedrae iura sarta tecta servaret, Catholicam fidem in remotissimis regionibus propagaret, haeresum errores extingueret , omnium animos ad pietatem incenderet , pravos mores coërceret , Turcarum Tyranni audaciam retunderet , pauperum aegestatem tum amplissimis collatis subsidiis , tum publicis hospitiis ad eos alendos apertis sublevaret , Romanam Urbem magnificentius exornaret, litteras ac bonas artes foveret , litteratosque homines opibus et honoribus pro merito augeret. Sed de hoc Pontifice optimo maximo , qui sanctitate , doctrina , prudentia, animi liberalitate immortalem existimationem sibi comparavit , vide eius vitam a* Petro Polidori *latine conscriptam.*

1725.

Gli occhi a la luce in sì bel giorno apersi,
Ch' il tuo nome, o Giuseppe, orna e rischiara,
E benchè in mille cure aspra ed amara
Provai la vita, e tanti casi avversi;
Tutti, vostra mercè, soffrendo fersi
Lieti e giocondi; e torna al cor più cara
La memoria, onde l' alma sempre impara
Di gir a Te ne' tempi aspri e diversi.
Tu con l' alma tua sposa alli miei voti
Benigno sempre fosti; e per Voi vinto
Ho l' armi de' nemici occulti e noti.
Dal vostro ajuto ancor difeso e cinto
Abbia fra tante insidie i sensi immoti,
Ed à buon porto il legno sia sospinto.

1728.

Vita Tibi Joseph coelestibus inclyta donis,
Mors tamen his donis ditior illa fuit.
Hinc Mariam cernis famulantem, cernis Jesum,
Pacisque aeternae pignora certa tenes.
Non tua supremo trepidat mens icta periclo,
Judicii aut pavidus damna futura times.
Quin quae aliis summo sunt condita proemia coelo,
In terris mira sorte beatus habes.
Jesus et Marie, fuerunt quae gaudia vitae,
Te ad vitam emittunt morte favente novam.

1730.

Ἦμαρ ἀπ' ἀντολῆς ἐφάνη μεγα κῆρι ποθητόν,
Ἦμαρ του Ἰωσήφ εἰδαλιμον τελεταῖς.
Ἄισιον ἡμετέρῃ τῇ πρωτ' ἐπεφηνε γενέθλῃ
Εὖθ' ἱερων Χριστῷ ἐξ ὑδατων γενυόμην.
Δὴ τότε τῆς χάριτος καὶ ἠελίου φάος εἶδον,
Καὶ κρατερῆς ἔτυχον τοῦδε συνηγορίης.
Ἀυτὸς ὁμοῦ Νύμφης τῆς παρθενίδος Βιότοιο
Εἴη καὶ θανατου ἐσθλός ἀλεξίκακος.

20. MARTII.

1714.

Quid Tibi terrarum, Joachim, non debeat orbis,
  Exoptata salus quo genitore sata est?
Quid Tibi coelorum felix non debeat aula,
  Felici partu cui dederis Dominam?

1716.

Felix, qui cupido, Mater, te protulit orbi,
  Sorte tuum tribuit cui Deus esse patrem.
Laetetur fructu tam sancti germinis auctus,
  Atque Dei nobis munera conciliet.

1719.

Haud quisquam, Joachim, te prole beatior alter,
  Ditior haud quisquam foedere coniugii.
Gratia cui Dominam peperit, quae ferret in ortum
  Aeternum veri luminis una diem.

1721.

Virgo novas aedes, quas Bibliotheca paravit,
  Dignare auxiliis visere laeta tuis.
Ut quas extincto tristes Clemente subimus,
  Auspiciis sancti nomini exhilares.

1722.

Septena tollit colla ferocior,
Iraque serpens saevior aestuat,
  Quem pura labis Puella
    Virgineis pedibus repressit.
Hic vel superbo vertice tollitur,
Vel ora pallent sicca pecuniae,
  Lasciva vel torpent, inerti aut
    Apta joco reprimit voluptas.

Illic cruentis vulneribus minax
Sagitta tamquam lingua movet; iacet
Hic prono in escas, et guloso
Esuries inhiat palato.
Tabescit illic et furit invidis
Livor venenis; ultima subsidet
Pertaesa curas, et supino
Desidies premitur veterno.
Haec monstra in uno consita corpore
Puella vitrix sub pede conterit;
Nosque haud sinit timere
Doemonis insidias et iras.

1723.

Quis scelus et labis noxam metiatur avitae,
Quae mala tanta tulit?
Haec potuit regem coeli terraeque potentem
Subdere suppliciis;
Vulneribus lacerum probroso et figere ligno
Criminis in pretium;
Innocuae et potuit quae viscera figere Matris
Ac sociare Cruci.
Illius ut partam detergat sanguine labem
In Cruce Christus obit;
Suscipit et Mater languentis vulnera, consors
Supplicii ac meriti.
Ah! pereant lethi ac dirae mala semita culpae,
Quae peperere necem,
Corpore quam Christus, quam sensu et pectore Mater
Saucia sustinuit.

1724.

Or che del Ciel l'alta clemenza implora
Fin da le più rimote erme contrade,
E ricorre a la vostra alma pietade
La gente, che di Cristo il nome adora;
Voi sovrana di lei, dolce Signora,
Cui de le grazie son conte le strade,

Nè mai priego fervente a terra cade,
Volgete il guardo a chi sospira e plora.
Al gregge un Pastor Santo, accorto e fido,
Contro nemici un valoroso Duca
Un' esperto nocchier nel mare infido
Voi l' impetrate; ch' al sentiero adduca
Le pecorelle erranti, e al patrio lido
La scossa navicella al fin conduca.

21. MARTII.

1712.

Haec me prima dies sanctas admovit ad aras,
Teque favente sacris, Virgo, ministeriis.
Haec eadem primi defert Custodis honores,
Quae Vaticanas regia servat opes.
Haec Tibi debemus, tua sunt haec munera, Tu me
Redde simul studiis, officiisque parem.

1716.

Alma dies, quae me sacris operarier aris
Prima dedit, votis auspiciisque redit.
Quae, Benedicte, tuo pulcherrima nomine fulget,
Quaeque tuis renovat gaudia de meritis.
In Mariam haec nobis accendat cordis amorem,
Urgeat haec resides, excitet et tepidos.

1717.

Quae tractare dedit Christi mysteria primum,
Inque sacris Mariae concelebrare decus;
Ipsa pares addat tam sancto in munere flammas,
Ne indignus tantis arguar officiis.

1719.

Nos quondam admovit Benedicti lux bona sacris,
Lux semper votis concelebranda meis.

Digitized by Google

Ad divas memorare tuum tunc coepimus aras
  Nomen, et in Mariae nomine ferre preces.
Da, Mater, sancto similes in munere mores,
  Ut cor sit nostrum victima digna Deo.

22. MARTII.

1712.

O quam dulce Tui, Mater, meminisse doloris;
  Felix ille tuas, qui recolit lacrymas.
Ille beatus erit, possit qui flere, patique
  Passa Crucem quondam quo fueras animo.

1713.

Abstractos nido pullos ceu luget Aëdon,
  Virgo dolens Christo sic abeunte gemit.
At non ille, Parens, sine Te tormenta subibit;
  Mortis eris socio vulnere fida comes.

1719.

Non mihi Pegaseis carmen descendat ab undis,
  Nec mihi Musa modos ex Helicone petat.
Flebilis at tristes repetet mihi noenia cantus,
  Inque modos tristes Golgotha praestet aquas.
Pro modulis gemitus, lacrymas pro carmine poscis,
  Debita qui nobis funera, Christe, subis.
Et tua singultus Mater gemebunda requirit,
  Supplicia et caedem, quae comitata tuam est.

1720.

Virgineos memorat sacris luctuque dolores,
  Officiis moerens tristibus atra dies:
Tristia lugentis Musae quae carmina poscit,
  Jugesque ad lacrymas lumina nostra vocat.

1730.

Τῆς Βατικανῆς ἡγήτωρ Βιβλιοθήκης
Σήμερον ἀχνυμένοις ὤλετο Παμφίλιος.
Ἀφνειὸς κτεάνων, καὶ εὐσεβίης πολύολβος,
Μουσάων ἑταρὸς φίλτατος οὐρανίων.
Ὤλετο· τὸν δ' ἡμεῖς πρὸς Παρθένον αἰπὺ βοωντες
Λισσομεθ' εἰς δόξην αἴδιον ἴεναι (a).

23. MARTII.

1712.

Jam viduata sacro squalent altaria cultu,
Undique funereis vocibus ora sonant.
Justa Redemptori lacrymans quae Ecclesia solvit,
Serus ubi extremo in lumine vesper adest.
Haec, Pia Virgo, tuis singultibus occinit echo,
Moerorisque tui tristis imago sonat.

1713.

Quae Te conficiunt, tristissima Virgo, dolores?
Nostra heu! declinans lumina Christus abit.

1714.

Quae Tibi, Virgo, pium configunt spicula pectus,
Sunt ea criminibus spicula facta meis.
Ipsa doles Natum tam dira morte peremtum;
Quique necis causa est, non tamen ille dolet.

(a) *Benedictus Pamphilius Cardinalis amplissimus Innocentii X. pronepos humanarum litterarum, in primisque Poëseos cultor assiduus, quem Clemens XI. anno* CIƆIƆCCIV. *Vaticanae Bibliothecae praeficiendum curavit. Vide* Philippum Renazzi *in Historia Gymnasii Romani, quod Sapientiam appellant* Tom. IV. p. 162.

1721.

Virgo doles, nostroque doles pro crimine, nec nos
  Ullus habet nostro e crimine, Virgo, dolor.
Ah! pereant, Matri feriunt quae crimina pectus,
  Et nostros feriant spicula adacta sinus.

1723.

Salve o septenis gladiis transfixa doloris,
  Sub cruce quae Christi flumina larga cies,
Virgo gemens, nostro meritas pro crimine poenas,
  Quae immeritis lacrymis vulneribusque luis.
Qui Tibi nunc sensus, fureret cum perditus aestu
  In Domini populus damna necemque sui?
Cum regem infanda languentem morte videres,
  Angelicis praeerat qui super astra choris?
Eheu! nos siccis spectamus vulnera Matris,
  Cernimus et Christi funera luminibus.

24. MARTII.

1712.

Coena Domini.

Impia tartarei mysteria cedite regni,
  Queis habuit dudum gens malesana fidem.
Cedite Mosaicae promissi luminis umbrae,
  Promissa en Christus mystica sacra parat.
Pinguior Angelicus demisso est Mannate Panis,
  Christique in sancto dulcior ore cibus.
Hunc aluit Virgo, coelesti hunc ubere pavit
  Et vitae nobis haec alimenta tulit.
Scilicet ex animi quae virginitate coruscant,
  Ad coenam Christus fervida corda vocat.

1719.

Quid Tibi, Sancta Parens, inter lacrymas singultusque
Exanimi sensu promere Musa potest?
Te vox, Te sensus, Te lux prope deficit ipsa;
Lux vox et sensus nos quoque deseruit.

1721.

Dum pavidi fungiunt, Christus quos legerat, ipsa
Impavida adsistit, nec timet una crucem.
Dulcia sunt illi, sociant quae vulnera Christo,
Est illi in Christi nam Cruce dulce mori.

1724.

Le caste verginelle, e li devoti
Cori del sacro popolo per tutto
In questa de la Chiesa affanno e lutto
Mandano al ciel sospiri, e prieghi, e voti.
De l' eterno consiglio benchè immoti
Siano i decreti; da la fede istrutto
Crede il pio gregge, che l' orar può tutto
Appresso Lui, che regge i sensi, e i moti.
Pieno di speme il vostro nome adopra,
E col vostro favor tal duce aspetta,
Ch' abbia pari il valore a la grand' opra.
Vostra pietà le preci ardenti ammetta,
E de' Padri la mente di là sopra
Da lo spirto divino sia diretta.

25. MARTII.

1712.

Parasceve.

Sancta dies, recolenda dies, et funere summi
Numinis, ac Mariae sacra dolore dies:
Quae magnum pietatis opus testata, simulque
Magnum testata est impietatis opus.

Ultra nil potuit pietas, ubi victima Christus
  Et luctu et lacrymis Virginis aucta cadit.
Nil tamen impietas inter fera saecula maius
  Edidit, aut gravius conscelerata nefas.
Quae Christi innocuum confixit stipite corpus,
  Et sensus una Virginis atque animam.

1713.

Te dicit Patris divino munere plenam
  Angelus, et pacis nuncius inquit Ave.
At Tu delicias inter fera tempora spectas,
  Addictumque neci iam crucifixa geris.

1714.

Eva venenato infelix quod credidit angui
  Felici cecidit culmine lapsus homo.
Angelicis didicit Virgo quod credere dictis,
  Damnati generis stat reparata salus.

1715.

Coeli repleta gratia
  Cum Te salutat Angelus,
  Afflante Patris Spiritu
  Matrem futuram Numinis:
Cum Te beatam caeteris
  Praestare tradit foeminis
  Tecumque coeli e sedibus
  Adesse Regum Principem;
Demissa tantis laudibus
  Te confiteris imparem,
  Elata nec praeconiis
  Te Regis ancillam vocas.
Contunde Tu superbiam,
  Nostro tumentem in pectore,
  Dignamque virtutis tuae
  Nos edoce modestiam.

1716.

Inter laetitiam et pia gaudia, Virgo, iacemus,
Carmina nec digna promere laude licet.
At licet Angelicam Tibi voce referre salutem,
Atque Tibi crebro dicere, Mater Ave.

1717.

Coena Domini.

Proditur ecce Tuus damnatus crimine Jesus,
Heu! diris Nati casibus icta Parens;
Postquam divina pastos recreasset ab esca
Supremo in vitae munere discipulos.

1719.

Suscipe coelestis mandata et munera Patris,
Quae roseo profert Angelus eloquio.
Nec remorare hominum primordia laeta salutis,
Assensum expectat, quae, Pia Virgo, tuum.
Ut quam laetifico Missus Tibi nunciat ore,
Propter Te nobis sit quoque missa salus.

1724.

Alma Regina, i cui candidi gigli
Furo sì grati al Redentor del mondo,
Che ne fu tratto in questo orror profondo,
Quando a sottrarci venne da' perigli.
Tu, ch'al chiaro splendore un Sol somigli,
Quando più rende il dì lieto e giocondo,
Tergi le macchie, di cui tanto abbondo,
E reggi con tua luce i miei consigli.
Di Cristo il gregge ancor pietosa mira,
Ch' il tuo favore implora, e un Pastor degno
Dal gran Padre del Ciel prega, e sospira.
Sia di fortezza pari, e d'alto ingegno,
E qual nocchiero, quando il mar si adira,
Difenda e scorga l' affannato legno.

Digitized by Google

1730.

Ἄγγελος ἀθανάτου κρυφίης μυστήρια βουλῆς
Δεικνύμενος, Μαρίης μιγνύμενα κλέεσιν,
Δείματι παρθενικὴν χθαμαλῆς κραδίην ἐτάραξεν,
Καὶ χαλεπὰς θυμῷ φροντίδας ἐσέβαλεν·
Πῶς λόγος Ἀγγελικὸς, πῶς θέσκελα ῥητὰ γένοιτο;
Πῶς δε δύναιτο τεκεῖν υἱὸν ἀπειρόγαμος;
Κήδεσιν ἐν πυκινοῖς πολυμέρμερον Ἄγγελος αὐτὴν
Θαρσυν', οὔτι ὅλων δυσχερὲς, εἶπε, Θεῷ.
Πείθετο τοῖς ἔπεσιν, θείαις δέ τε εἶκεν ἐφετμαις
Δμωΐς ἁπασαων κῆρι ταπεινοτέρη.

26. MARTII.

1712.

Heu! necis infandae, Mater, lux atra propinquat,
Quae Te cum Nato vulnere conficiet.
Tunc Christo sociata comes mortisque, Crucisque,
Saucia corde Patri victima iuncta cades.

1716.

Virgo, salus prohibet suetos quod fracta labores,
Officio et studiis quodque vacare negat;
Abstergant culpas tam iusta piacula, fructus,
Et dulcis per Te sit, precor, iste Crucis.

1717.

Parasceve.

Atra dies, Mariae quae extinctum funere Natum
Spectasti horrendum per scelus Isacidûm;
Laeta tamen, duras quod fregeris una catenas,
Et mortem Christi sanguine sustuleris;
Non unquam memori nobis de corde recedas;
Te lingua, et grato carmine mens recolat.

Digitized by Google

1719.

Quam laetam nuper divino germine Matrem,
Officio laeti carminis extulimus.
Hanc divae Prolis crudeli caede dolentem
Carmine luctisono concelebrare decet.

1723.

Christus obit, languet Mater, natura fatiscit
Et nigro luget funere mersa dies.
Terra tremit, scissa et testantur saxa dolorem,
Ipsa adyta e tacitis indoluere sacris.
Non dolet illa tamen, fuerat qui causa doloris,
Cuncta quibus lugent, ac Deus ipse dolet.

1729.

Μῆτερ ἐμή, ἔλεου Μῆτερ, τ'ἔρκοσθ' ὑγιείης,
Τῶν ὀδυνῶν παῦσις φάρμακον ἀρτεμίης,
Ἱμερόεντι νόῳ στοναχῶν ἄϊουσα, καὶ εὐχῶν,
Θελγουσα θρῆνον καὶ φόβον ἀμφιπόλων·
Γηραλέῃ ἐμέθεν φίλητε τοκῆι βοήθει,
Ἡ δὲ ἀδελφοῖσι, πᾶσι τε συγγενέσιν.
Τῶντε ἐμῶν πάθέων τὴν ἀδρανίην οικτείρουσα
Σαρκὸς καὶ κραδίης, Μῆτερ, ἔρυκε νόσους.

27. MARTII.

1712.

Pascha Resurrectionis.

Luce nova rutilans, et sole micantior ipso,
In vitam e mortis carcere, Christe, redis.
Ipsa, quibus toto conscissus corpore, dirae
Supplicium tuleras, ludibriumque necis,
Vulnera coelesti radiantia lumine gestas,
Vulnera, queis hominum vita, salusque viget.

Haec primum ostentas spectacula dulcia Matri,
Illa resurgenti in corpore prima videt.
Prima Crucis consors, comes et suprema sepulti,
Prima capit reducis munera laetitiae.
O perfunde tua, Mater, de aspergine pectus,
Per Tua sit nobis gaudia festa dies.

1713.

Cum Te languentem, Mater, mea lumina cernunt,
Septeno et gladio vulnera adacta sinu;
Solvitur in lacrymas heu! singultusque meum cor,
Atque tuis gestit planctibus esse comes.

1719.

Quem gremio tuleras, pavisti atque ubere natum,
Dulcia, Virgo Parens, oscula cui dederas,
Vulneribus fixum, manantem sanguine cernis;
Quam diras pariunt crimina nostra vices!

1723.

Lacrymas, luctus, dolores
Vulneratae Virginis
Sub Crucis Christi probroso
Ingementis stipite,
Jugium fuso colamus
Lacrymarum flumine.
Illa Nati dum Cruorem
Exhalantis adspicit,
Et furentes cernit hostes
Innocenti illudere,
Corde iam sub alto acutis
Fixa languet spiculis.
Utriusque par doloris
Par et ictus vulnerum;
Alter auget, dum rependit
Lacrymas alterius,

Ille contuens Parentem ,
Haec miserta filium ;
Nostra sic luunt uterque
Foeda culpae crimina ,
Ut reposta sempiterni
Damna solvant carceris ,
Et parent Crucem sequenti
Digna coeli praemia.

28. MARTII.

1713.

Regina de' dolori ,
Che sotto l' alta Croce
Spieghi con flebil voce i tuoi martori ,
E con dolenti lai
Compagna di Gesù languendo stai ;
Se non fosser sì duri i sensi miei ,
I tuoi lamenti accompagnar vorrei.

1716.

Undique perturbant mentem curaeque pavoresque,
Et pacem insanis fluctibus exagitant.
Imperiis iam , Virgo , tuis , et numine destro ,
Pristina turbato in pectore pax redeat.

1717.

Pascha Resurrectionis.

Cum Christus tumulo superata morte resurgit ,
Sanctaque dum Matri gaudia congeminat.
Et nos in vitam meliorem surgere , culpas
Et veteres , fletus tergere rore iubet.

1719.

Ite procul risus hilares, lususque, iocique,
  Non vos haec poscunt tempora, sed lacrymas.
Largos Virgo ciet gemino de lumine fletus;
  Quis locus in tanto funere laetitiae?

1720.

Coena Domini.

Quem Crucifixa sinu gessisti, Virgo, Crucique
  Obtuleras, noxam solveret ut patriam;
Perfidus heu! manibus tradit, studiisque nocentum
  Discipulus Christi proditor atque sui;
Qui dum saeva parat divino vincla Magistro,
  Perniciemque sibi comparat, et laqueum.

1724.

A le fatiche il tardo ingegno, e stanco
  Chiede la vostra aita e si rincora
  Con la speme, che 'l nutre, e lo ristora,
  Cui debbo, ch' al gran peso pur non manco.
Con tal fiducia e tal difesa al fianco
  Sento le forze invigorite ogni ora,
  Onde il mio cor senza cessare implora
  Vostro favor per travagliar pur anco.
Per Voi, che date a l'opra e corso e lena
  Dritto a la meta guardi il buon desio,
  Che tante carte a rivoltar mi mena.
Fate che il pensier sol sia volto a Dio;
  Che se altro cerca, mole su l'arena,
  Fa, che la pioggia abbatte, o 'l vento, o 'l rio.

Digitized by Google

29. MARTII.

1712.

Pax vobis, coeli demisa e cardine verae
  Excipite o pacis munera, Christus ait.
Non hanc turbatis qui fluctuat orbis in undis
  Nec dant fallacis gaudia laetitiae.
Hanc nos per Christi Matrem quaeramus ovantes,
  Namque novi pacem foederis illa tulit.

1713.

In Cruce dum Christus confixo corpore pendet,
  Stat moerore gravi sub Cruce fixa Parens;
Crux habet una duos, et clavis pendet uterque,
  Alteri ab alterius crescit amore dolor.

1715.

Jugibus ut votis optemus dona salutis
  Non vitae suadent commoda, sancta Parens.
Sed, duce Te, ut liceat sanctis intendere curis,
  Atque animum sacris excolere officiis.

1716.

Incursant morbi, iactat timor, opprimit angor;
  Sueta malis nostris, Mater, adesse, veni.
Te fugient veniente metus, et corporis aegri
  Morbus, et ingestae pondera tristitiae.

1717.

Christus io! victor domita de morte triumphat;
  Mater io! laeta voce canamus io!
Omnia laetitiam referant elementa Parenti,
  Cui prius ad luctum congemuere simul.

Digitized by Google

30. MARTII.

1712.

Quae prius amisso iacuit tristissima Nato,
  Hunc reducem e tumuli carcere laeta videt.
Conversus Matri dolor est in gaudia, luctus
  Virgineo procul e pectore pulsus abest.
Filius occurrit Mariae redivivus amanti;
  Ultra quod cupiat nil pia Mater habet.

1713.

Qui stantem spectas in fracto pectore Matrem,
  Hic ubi crudeli funere Christus obit,
Disce quibus nostram studiis cupit illa salutem,
  Cui diram auxilio gaudet adesse necem.

1714.

Crimine pro generis probrosa de trabe pendes
  Matremque in Christi funere, Christe, vides.
Per quos Tu moriens, per quos tulit Illa dolores,
  Me quoque fac socium, participemque Crucis.

1718.

Mentre di Voi favello, e scrivo, e canto,
  Ed a le vostre lodi umil mi aggiro,
  Tergete, o Madre, a l'alma afflitta il pianto
  E l'aspra amara doglia, onde sospiro;
  E fate, ch' in Voi trovi
  Quel verace piacer, ch' alletti e giovi,
  E che porti a quest' alma
  Vero contento e calma.

Digitized by Google

1720.

Discerptas Christi exuvias quae marmora claudunt
Illa simul Mariae vota, animamque tenent.
Hic vivit, totis hic anxia sensibus haeret,
Et Nato hic Mater contumulata iacet.

1729.

Ρωμαίων μέγας Ἀρχιερεὺς, μηλωντε καὶ ἀρνων
Ποιμὴν, ὁ Χριστοῦ τῆς αγελῆς προφύλαξ
Εἰς προτέρην φιλῶν, Σαυνιτῶν γαῖαν ἀπῆλθε,
Κ'ἀιθρία πομπεύει ἧματ' ἰόντι πατρὶ.
Σοῦ, Μῆτερ, τελεταὶ, ἀνὰ ἱερὰ μακρὰ θύοντα,
Η' βόσκοντα λέων τοῖς ἁγίοις ἔπεσιν,
Καὶ ὀλιγοδρανίη και γήραϊ πολλὰ δαμέντα
Δυστυχίης κ'ἔργων σῶσον ἀπὸ σχέθλίων (a).

31. MARTII.

1712.

Cum scelus eluimus sacris baptismatis undis,
Caepimus et Matrem dicere Te Mariam.
Natorum dignis igitur pia pectora flammis
Virgineaeque pari de pietate flagrent.

1713.

Nunquam, Virgo, tui nostro de corde dolores
Labantur, semper vulnera fixa gerat.
Illa oculis lacrymas, animo lamenta ministrent
Illa etiam Musis carmina sufficiant.

(a) *Benedictus XIII. Pontifex Maximus anno* CIƆIƆCCXXIX. *Beneventum petiit, cujus cives magno, mirificoque amore prosequebatur, atque in illa Metropolitana Ecclesia Sacra Maioris Hebdomadae sollemni ritu peragere voluit. De hoc Pontificis itinere loquitur auctor hoc carmine.*

1716.

Non hominum verbis, medicae nec fidimus arti;
Abs Te sed certam, Virgo, rogamus opem.
Sola etenim famuli nec voces despicis unquam,
Nec de materno munera corde negas.

1723.

Laudemus almam, sic amor imperat,
Non usitato carmine Virginem,
Cui non Lesbia certent
Claro nomine barbita.
Non dicta quondam Maeonio seni
Casus resultent bella per asperos,
Non illata Latinis
Arvis Aeneadum sacra.
Sed fracta duri vincula supplici,
Et clausa mortis limina personent,
Dona et reddita pacis
Intentae ad numeros fides.
Partam celebrent munere Virginis
Orbi salutem post lacrymas Patrum,
Atque ad sidera stratam
Exemplo et meritis viam.
Tu dona larga quot dederit manu,
Vitamque duris eruerit malis,
Haec sit grata Camaenis
Semper materies meis.

1730.

Τῷ σταυρῷ ὑιοῖο παραστατέει κταμένοιο
Ἄρραγος ἡ Μητὴρ καίπερ ἀχοῦσα λίαν.
Ἄλγεα νίκησεν σθένος ἤτορος ἀστυφέλικτον,
Ἀρραγέος δ'ἀγάπης κάρτος ἀπειρέσιον
Τόσσος ἔρως φθιμένων νοὸν αὐτῆς ἔφλεγεν ἀνδρῶν
Καὶ τόσσος κραδίην Μητέρος οἶκτος ἔχει

1. APRILIS.

1712.

Si precibus Regina meis non defuit unquam,
  Nec facilem oranti prompta negavit opem;
Si pia respexit, studiisque faventibus aurem
  Praebuit in votis saepe vocata meis;
Cur non certa meam teneat fiducia mentem?
  Nec spes virgineo sit rata praesidio?

1713.

Virgo dolens, septemgeminus quam conficit ensis,
  Cogit et ad Christi funera deficere;
Sit mihi sola, precor, tecum lugere voluptas,
  Sitque tui socius gaudia nostra dolor.

1716.

Quisquis Te Matrem Christi de caede dolentem
  Quaerit amans, Christi sub Cruce Te inveniet.
Ac simul inveniet moeroris dulce levamen,
  Omnis enim dulcis, Te comitante, dolor.

1722.

Da sensus humiles, hominum da temnere laudes,
  Exemplisque tuis pectora proficere.
Nam pudet, ingratae gentis ludibria Christus
  Dum tolerat, falsas quaerere honoris opes.
Ille Crucis tormenta sitit, probrisque triumphat;
  Fallere quem tentet laudis inanis amor?

2. APRILIS.

1712.

Ad S. Aedem Lauretanam.

Sancta domus, rutilo quae splendes aemula coelo,
  Quae pretio cunctas divite vincis opes:
Sancta domus, temploque mihi sacratior omni,
  Et Christi, et Mariae nobilis hospitio.
Te mea vota petunt, animus tua limina lustrat,
  Sit cupidos tandem fas quoque ferre pedes.

1713.

In luctum citharae, Musae in lamenta facessant,
  Cum gemitu et lacrymis luctus ubique sonet,
Nostra sinus diro Mater transfixa dolore est;
  Saxeus an quisquam contineat lacrymas?

1716.

Caro Gesù nell' Orto
In cruda doglia atroce,
Maria sotto la Croce
Senza ajuto e conforto,
Le vostre aspre agonie
Sian le speranze, e le difese mie.

1719.

Virgo tuos animo metiri, et nosse dolores
  Qui cupit, et lacerent vulnera quanta sinus;
Ille tui flammas penitus dignoscat amoris,
  Namque e materno crescit amore dolor.

3. APRILIS.

Ad S. Aedem Lauretanam.

Ite mei propere suspiria conscia voti,
  Ac flammata meos vota praeite pedes.
Lambite virgineos optato in limine postes,
  Et sancta augustae tecta subite domus.
Prona rogate meam, placidamque o reddite Matrem,
  Ne mihi sacratum praepediatur iter.

1713.

Virgo dolet, cum Matre simul doleamus amantes,
  Virgo gemit, gemitus pectora nostra decent,
Solvitur in lacrymas Mater tristissima; cur non
  Fontibus assiduis lumina nostra fleant?
Sub Cruce transfixam dulci cum prole Parentem
  Moerentes tristi carmine dum colimus;
Fletibus illius lacrymas sociemus amaras,
  Dilectae languet vulnere quisquis amat.
Sic decet ad sociam Matris pertingere palmam,
  Maternumque diem sic celebrare iuvat.

1719.

Heu! qualem quantumque rapit mors effera natum,
  Heu! Tibi quem mergunt funera nigra diem:
Quo nec iustitia melior, nec pulchrior alter,
  Nec Matri proles carior ulla fuit.

1729.

Τιὸν ὀδυρομένῃ κλαίοντες ἐπώμεθα Μητρὶ,
  Η'ν διὰ τῶν μερόπων πταίσματα πένθος ἔχει.
Νῦν χρόνος αἰάζειν μεγάλοιο Θεοῖο θανόντος,
  Καὶ Μαρίης Χριστὸν πολλ' ὀλοφυρομένης.
Θρῆνον ἀπειρέσιον καὶ δάκρυα ἦμαρ ἀπαιτεῖ,
  Μνῆμα ἰουδαϊκῆς ἦμαρ ἀτασθαλίης,

Ἀλλὰ κ' ἀπανθρώπου γενεᾶς θνητῶν ἀχαρίστων,
Σχέθλιον ἀρχαίης μνῆμα παραιβασίης.

1730.

Τὸν θεὸν ἀθάνατον, πανυπέρτατον, ὑψιμέδοντα
Μαίετ' ἀναιδεστον πᾶς ὄχλος εἰς θάνατον;
Φευ! τῆς δυσσεβίης μανίην παιδων ἀχαρίστων,
Ως εὐεργεσιῶν αἰφνιδιως λάθετο!
Ἀλλὰ τίς ἦ Μητρὸς τότ' ἀπιστων ἔχθος ἰδούσης,
Ἢ πόση ἐνδομυχων τῶν ὀδυνων πικροτης;
Τιέα μὲν γοερῶς ὠδυρατο, ἀλλὰ τῳ ἐχθρῶν
Ἐσσομένης δίκης δακρύχεεν θανάτῳ.

4. APRILIS.

1712.

Ad S. Aedem Lauretanam.

Coelestis superâ properat qui Nuntius arce,
Affert divini qui sacra consilii;
Non petit aurati splendentia limina tecti,
Atria nec praepes regia missus adit.
Ille tuos visit, domus o veneranda, penates,
Virginis exiguo laetior hospitio.
Excipis angelicae coelestia verba salutis;
In Te facta Dei est numine Virgo Parens.
Te colit, aetherei quem non capit aula recessus,
Laetitiae, et vitae munera prima tenes.
Oscula si liceat sacris dare plurima muris,
Haec mihi perpetuae pignora pacis erunt.

1716.

Virgo gemens, Regina dolens miserere dolentis,
Qui tua dum poscit munera, corde gemit.
Tristitiam dispelle, metum compesce, serena
Pax animum exhilaret, membraque firma salus.

1719.

Conficiunt Christi morientis vulnera Matrem,
  Augescit Christi, Matre dolente, dolor.
Alterius visis languet languoribus alter;
  Sic par alterno vulnere saevit amor.

5. APRILIS.

1712.

Ad S. Aedem Lauretanam.

Auroque et gemmis renitentia tecta valete,
  Quaeque hortos cultu vincitis Hesperidum.
Non mihi delicias aspergunt fontibus undae,
  Non quae perpetuis floribus arva virent.
Una meos rapuit domus inclyta Matris amores,
  Parva, sed hospitio regia facta Dei.
Illa trahit nostri suspiria pectoris, atque
  Una mihi votis quaeritur assiduis.
Jactato pacis sedes dabit illa quietas,
  Illaque in adverso turbine portus erit.

1713.

Transadigit gladius pia viscera Matris, et una
  Cum Christo Mariam cogit obire dolor.
Illum sed perimit servandi amor iuclytus orbis;
  At Mariam nostra ad munera servat amor.

1716.

Quem populi regem puerorum turba salutat,
  Ad caedem poscet mox populi rabies.
Consilium Tu, Virgo, superni Patris adoras,
  Dum miras cernis, Patre volente, vices.

1722.

Surrexit orbis Conditor,
Victae triumphator necis;
Regina Caeli nobilem,
Laetare palmam concinens.
Intacta quem olim viscera
Desideratum fuderant,
Nunc e sepulchro ceu nova
Nativitate suscipis.
Complexa mundi judicem,
Et conditorem saeculi,
Servata cernens vulnera,
Jam terge, Mater, lacrymas.
Nobisque per paschalia
Quae festa laeti ducimus,
Largire, Mater, copiam
Parem superni gaudii.

1727.

Summe qui regnas Deus, et ministras
Ordinem rerum, scelus o parentum
Mitius prole in misera requiras,
Damnaque solvas.
Cerne, quo noxam pretio rependat,
Qui Tibi aequalis, decorisque compar,
Imperat caelo, parilique mundum
Jure gubernat.
Stipite ex alto rogat, et cruento
Commadet rivo, titulis probrisque
Luditur, clavi terebrant, foditque
Lancea pectus.
Infremit coram populus, Sacerdos,
Miles, insultat Synagoga, et ipse
Aggeras poenam, Pater, invocanti
Deque relicto.
Addit et Mater miserata luctum,
Quae gemens Nato sociat dolenti
Vulneris longe gravioris ictus,
Quos amor infert.

Adspice ut paret facilis, necemque
Ut libens urget, piet ut vetustae
Labis et culpae maculas, tuamque
Leniat iram.
Ergo detractis miserum catenis
Alleva, Rector, genus, et serenis
Victimam cernens oculis cadentem,
Parce redemtis.

6. APRILIS.

1712.

Ad S. Aedem Lauretanam.

Adspice, Virgo Parens, quantis mihi viribus Orcus
Optatum toties claudere tentat iter.
Comprime tartareas, Regina potentior, artes
Serpentis stygii frangere docta caput.
Fac repetat nigras ad dira incendia portas,
Nec famuli studeat ludere vota tui.
Promta per obstantes armis flammantibus hostes,
Pande iter, et facili Numine sterne viam.

1713.

Inter terrificas Christo moriente procellas
Discipuli trepido cum pede diffugerent;
Stabat nec verbis, nec territa Virgo periclis,
Fida necis Christi facta, comesque Crucis.

1716.

Heu! pavitans animus morbis turbatur, et horret,
Nec medici verbis anxia corda levant.
Jam Tu, Virgo dolens, famuli miserere paventis,
Ut Tua secura Numina mente colat.

Digitized by Google

1717.

Tu mundi splendor, generis Tu gloria nostri,
Tu spes iactatis, Tu miseris requies.
Tu infestas Erebi vires in damna ruentes
Christiadûm, nutu, Virgo benigna, domas.

1719.

Coena Domini.

Luctificas inter, Christo patiente, procellas,
Quae Matris quatiunt, Prole dolente, sinus;
Laeta dies Christi de munere clara refulget,
Angelicas homini lecta parare dapes.
At nobis praebet vitae dum pabula Christus,
Heu! Christo caedem, perfide Juda, paras.

7. APRILIS.

1712.

Tempora depulsis rediere serena procellis,
Atque iter ad sacrum vere nitente vocant.
Promissi ingeminant recolendae Matris honores,
Quae nova tranquillum gaudia tempus habet.
Sic mihi splendescunt insueto lumine soles,
Atque haec me vere spes redeunte fovet.
Si Lauretano dabitur succedere templo
Laetitiam referent tempora nulla parem.

1713.

Dum sacra Virgineos memorant hodierna dolores,
Et mihi cum tristi Virgine flere libet.
Illa dolet nostrae non unquam obnoxia culpae,
Nostra at culpa suis causa fuit lacrymis.

1715.

Languentis sacra dum canimus praeconia Regis,
Pangimus et sanctae celsa trophaea Crucis;
Fac alacri tantum sectemur corde magistrum,
Et nos, Sancta Parens, adde Tibi socios.

1716.

Ad Tua turbatis properamus numina rebus,
Virgo potens miseris ferre salutis opem.
Dignare o tenebris effundere lumen abactis,
Praesta et securae pignora laetitiae.

1719.

Parasceve.

Illudit miles, populusque insultat et audet,
Regales Christi perfidus in titulos
Pontifices diro gaudentes crimine plaudunt,
Pessundat leges et sacra iura nefas.
Terrarum quatitur moles, natura fatiscit,
Clara dies nigras conditur in tenebras.
Discipulos notosque fugat luctusque metusque
Sola cruci adsistit non tremefacta Parens.
Cumfixus probroso inter ludibria ligno,
Victima placandi Numinis Agnus obit.

1723.

Virgineas laudes et carmina digna paremus,
Sunt namque Matri debita.
Unde fluunt vitae quae gaudia cumque tenemus
Illuc canendo refluant.
Incolumem duxit quae ad Romula moenia fratrem
Solata cursus asperos.
Illa det alloquii caelesti munere fructus,
Quos corde et ore poscimus.

Allevet illa etiam gravior quos urget egestas,
Affecta vel tardat salus.
Quaerere det pacem studiis concordibus, atque
Fraterna firmet vincula.
Jura tamen carnis violant ne scita sacrorum,
Neu vera virtus excidat.
Arceat atque suo bona Mater numine morbos,
Atque ad labores excitet.
Omnis maternas laudes domus, omnis amorem
Matri rependat debitum.

1730.

Φῦλον τοῦ μεγάλου πεφιλημένον Ἀβραάμου,
Ο σφοδρά κοσμοκράτωρ ἀμφάγαπαζε Θεός.
Ηγεμόνες, πρόεδροι, σεσοφισμένοι Αρχιερῆες
Ὅν δόκασαν Χριστόν, φευ στυγος! ἐκτένισαν.
Αὐτὸς δ' ὡς ὄϊς εἰς θυσίην ἀυθαίρετος ἦλθεν,
Καὶ ὑπὲρ ἀνδροφόνων τὸν θάνατον δέχετο.
Ὄυ θάνεν ἀλλά μόνος, τοκέως γὰρ κηρὶ παρούσης.
Συμπαθὲς, εὐώδη ἤυξανε τὴν τελετήν.

8. APRILIS.

1712.

Ad S. Aedem Lauretanam.

Οὐρανίοις μεγάροισι δόμος πανομοίιος, οὐ σευ
Μαρμαρυγὴ προφέρει δώματα τῶν Μακάρων·
Ἔνδοθί σευ κόλπων ὑψιβρεμέτης ναίεσκεν,
Καὶ ἅμα παρθενίας τὸ κλέος ἡ Μαρία.
Τυτθὸς ἐεις βαιός τε, σε δ' Ἄγγελοι ἡδέσσαυτο,
Καὶ φιλέουσι τεὸν οἱ μεροπες τ'εδαφον.

1713.

Qui lacrymas inter Te consoletur amaras,
  Nullus adest, plagae nulla medela tuae est.
Dura tuos etiam cumulant mea viscera luctus,
  Nescia tam tristes flectier ad gemitus.

1715.

De la madre e del Figlio
Amor le pene accoppia,
E d' ambi il duol addoppia
Ella dolente il ciglio,
Mentre pende il figliuol dal legno atroce
Langue sotto la Croce.

1717.

Quam Tibi caelesti fert Angelus ore salutem,
  Tam Tibi, quam nostro, Virgo, refert generi.
Per Te etenim aeternae cessit sententia mortis,
  Pulsaque iam dudum vera salus rediit.

1718.

Ferreus ille fuit, Christo moriente Parentem
  Qui large vidit flere, nec ingemuit.
Hanc quoque luminibus potuit qui cernere siccis,
  Cum diro gemeret fixa dolore cruci,
Cum Natum immiti laniatum caede doleret
  Latrones inter, ferreus ille fuit.
Et qui non luxit gladiis immanibus ictam,
  Ille fuit pelagi cautibus asperior.

1728.

Judaea de stirpe puer, cui nulla paternae
  Afflarunt pectus crimina perfidiae;
Aequales inter divinis adstitit aris
  Gestitet oblatas sumere relliquias.

Eulogias, patrio Graeci quas nomine dicunt,
Hausit et arcani deliciasque epuli.
Exultans simplexque domi dum singula narrat,
Abstulit immanem protinus ira patrem;
Clibanus ut flammis tum forte horrentibus ardet,
Ignes arreptum propulit in medios.
Ardentisque specus saxum iugens obdidit ori,
Nec domus insani gnara furoris erat.
Amissum puerum quaerenti tertia matri
Lux aderat, gemitu quem resonante vocat.
Abdita dum repetit, totas dum lustrat et aedes,
Emissa e latebris vox pueri insonuit.
Obstupuit, pendensque intentis auribus haesit,
Excipit et noto verba remissa sono.
Mox et sublato patuerunt ostia saxo,
Et puer e tenebris integer exiluit.
Unde salus, fuerit quae custos ordine pandit,
Et Mariae prodit commiserantis opem.
Quam picta instantem sub imagine viderat arae,
Verbis ac dapibus se recreasse refert.
Protinus hanc flammas nutu extinxisse furentes
Tutelam vitae praesidiumque suae.
Quae gens non Mariae suffulta est numine? vel quis
Non vitam Dominae speret ab auxilio (*a*)?

1719.

Sabatum Sanctum.

Aethereas sedes quem linquere mirus adegit,
Cuique imas terras visere suasit amor;
Qui Mariae in gremio mortales induit artus,
Humanas renuit nec subiisse vices:
Abdita qui Patris caelique arcana viasque
Gentibus exemplo pandit et eloquio:

(a) *De hoc puero ab incendio divinitus liberato vide* Caesarem Cardinalem Baronium *in An. Eccles. an.* 552. *qui ex auctoritate* Evagrii lib. IV. C. 35. *rem Constantinopoli gestam, Justiniano imperante, et Menna Patriarchalem Sedem occupante, satis luculenter narrat.*

Debita qui nobis pro crimine solus avito
Et poenas generis suppliciumque tulit :
Quique suo nostram prostravit funere mortem ,
Certa salus hominum conditur hoc tumulo.

1729.

Αἰ αἰ τὴν Μαρίην , Θεὸς ὤλετο καλὸς Γησοῦς ,
Καὶ σὺν τῳ καλλους ὤλετο πᾶσα χάρις.
Ὤλετο τῆς ποίμνης ὁδὸν ἄσφαλ' ἡγεμονεύσας ,
Ἔκπεσε καὶ τὰ ὅλης ἄνθεα γηθοσύνης.
Ο στράτος οὐρανίων αἰάζει , νὺξ ἐρεβέννη
Ηλιακὴν αἴγλην καὶ τὸ φάος κάλυβεν ;
Σειομένη καὶ γαῖα καὶ ἀγνύμεναι ταὶ πέτραι
Φαίνουσ' ἀργαλέας σήμασιν ἃς ὀδύνας.
Πάντα ἐπαιάζει σῳ πένθεϊ κ'ἄλγεσ' ἔπονται ,
Σοῖσιν ἐὸν δάκρυσιν δάκρυ συναπτόμενα.
Αἱ δὲ φίλης θυγάτερες πολλ' ὠδύραντο Σιῶνος.
Ἄγριον ἡγεμόνος καὶ πατέρος θάνατον.
Ἄιτιος ἀλλὰ μόνος γοεροῖο ἀλίθρος ὀλεθρου ,
Μή ποτε τοῖς λαΐνοις ὄμμασι δακρυχέει.
Τὸν δ' ὑιὸν κτάμενον καὶ κλαίουσαν γενέτειραν
Οὐδὲν ἂν οικτείρων , φείδεται οὐ νεκύος ,
Ἀλλὰ τεθνηῶτι νέα τραύματα πληρὸς ἰάπτων
Ὀυταν μὴ λήγει σὴν ἀπάλην κραδίην.

9. APRILIS.

1712.

Ad Aedem Lauretanam.

Οὐ διὰ τῶν κτεάνων ὄσσοις μέγα λαμπρὰ φαείνεις ,
Ὀυ διὰ τοῦ ναίου μαρμαρα λαμπομένου.
Αλλὰ σε εὐάγεως ποθέω ἱερὸν θεόκλητον ,
Καὶ περὶ τῶν ἄλλων δῶμα σέθεν φιλέω.
Μητέρα παρθενικὴν Χριστοῦ παλαὶ ὅττι κάτειχες
Καὶ κοῦρον Χριστὸν μειλιχίως ἔτρεφες.

1713.

O Regina dolens, o fons et Mater amoris,
Conficiat sanctus fac mea corda dolor.
Consortem lacrymis me perfice, Virgo, crucisque,
In diro Christi funere fac socium.

1715.

Cum Vaticanas Clemens commigrat ad aedes,
Ac tractura breves Principis aula moras.
Tu serva incolumem cum sospite Principe gentem,
Optatamque tuis adde salutis opem.

1716.

Coena Domini.

Quam dulcis nobis per Christum mensa paratur
Dum populus nectit perfidus insidias!
O Virgo, angelica prae cunctis dignior esca
Fac epulas caeli sedulus esuriam.

1717.

Effice sacrorum dignum me, Virgo, ministrum,
Quem regere invicto numine non renuis.
Sit mihi firma fides, pietas sincera valescat,
Mensque minas mundi temnat, et illecebras.

1719.

Merge nigras libithina faces, et frange sagittas,
Jam tua regna ruunt, visque superba cadit.
Quem malesana tuis aggressa procacibus armis,
Stravisse extremo funere laeta putas;
Ille novam eduxit tumuli de carcere vitam,
Luce novum referens candidioredíem.
Mortis ab imperio, lucis redivivus in auras,
Eruit, et victos carcere solvit avos.

Ille tuis spoliis praedaque augustus opima
Afflictae Matri gaudia restituit.

10. APRILIS.

1712.

Ad Aedem Lauretanam.

Ἐυοδίην πόρε, Μῆτερ, οἴμης Αγγελον ἐσθλὸν
Ηγεμονῆα φίλης φίλου ὁδοιπορίης.
Ὡς τελέσας χαιρων ἱερην ὁδὸν, οἶμον ἀνύσσας,
Ασπασίως τὸ τεὸν χείλεσι δῶμα κύω.

1713.

Edite funereos tristissima carmina luctus,
Virgo dolet, socio Musa dolore canat.
Non citharae mihi laeta sonent, sed tibia moestos
Reddat cum tristi Virgine moesta sonos.

1716.

Parasceve.

Aspice probroso confixum stipite Christum,
Fallacis mundi gaudia quisquis amas.
Aspice et hac hominum confractas morte catenas,
Mansura in caelis praemia quisquis amas.
Aspice languentem tam diro in funere Matrem,
Illius quisquis filius esse cupis.
Aspice dent quantas nostro pro crimine poenas,
Pro tanto et grates munere promtus agas.
Nec renuas Nato et Matri sociare dolores,
Pignora sic verae certa salutis habes.

1717.

Mater ades pueris, nutrit quos Petrus alumnos,
Ne vitia incautos subdola decipiant;

Utque colant puro virtutem pectore, quaerant
Et veram assiduis in studiis sophiam.

11. APRILIS.

1712.

Ad Aedem Lauretanam.

Ὄλβιστοι μάλα παντες, ὅσοι περιναιετάοντες
Ἀγχίμολον μέγαρον παρθενικὸν λάετε·
Ἡ Μαρία ὅθι ναῖεν, ὅθι Χριστον τ' ἀτίταλλε,
Καὶ ἅμ' Ἰωσήφῳ εἶχεν ὁμωρόφιον.

1715.

Da mihi sancta Parens, vestigia celsa Leonis,
Et paribus studiis inclyta facta sequi.
Quaeque nova celebrat cineres in sede repostos,
Romula gens, validum sentiat auxilium (*a*).

1716.

Sabatum Sanctum.

Quam Cruce prostravit, quam sanguine vita peremit,
Hoc fractis armis mors iacet in tumulo,
Examine hic iacet assumtum de Virgine corpus,
Quod Summo potuit Patre iubente mori.
Expectat moerens, et luctu saucia Mater,
Cernat ut ora novo splendidiora die.
Hac spe solatur fixos sub corde dolores,
Et queritur longas temporis ire moras.

(a) *Inter egregia facinora, quae Clemens XI. Romanorum Pontificum longe clarissimus praestitit, illud quoque adnumerari debet, quod solemni ritu, ac celeberrima pompa tertio Idus Aprilis Anno R. S.* CIƆIƆCCXV. *corpus S. Leonis Magni in Vaticana Basilica ab Ara Beatae Mariae de Columna, ubi post auctum novum Templum Paulli V. iussu fuerat collocatum, in proprium sacellum ab Innocentio X. nobili opere structum transferendum curavit. De hac translatione sermonem hic Auctor instituit. Vide* Petrum Polidori in *Vita eiusdem Clementis XI. lib. IV. §. LVII. p. 313.*

12. APRILIS.

1712.

Ad Aedem Lauretanam.

Οἰκίον ἱμερόεν κραδίῃ πολὺ φίλτατον ἡμῶν
Παρθενίδος ζάθεον δῶμα διοτρεφέος.
Ἄξιον ἐλθοντ' ουρανόθεν Σωτῆρα δεχεσθαι,
Ημέτερον τὸ γένος σεῦ χάριν ἐστὶ σαόν.

1713.

Pectore fac memori Christi sacra vulnera servem,
Atque tuis lacrymis tristitiaque fruar.
Nil mihi, Sancta Parens, iucundius accidat, haec sint
Quaerenda in votis gaudia digna meis.

1715.

Tu famulis, Bona Virgo, faves; Te dante Sacrorum
Excepit Summum Bibliotheca Ducem.
Auspiciis, Tu Mater, ades praesentibus, atque
Laeta haec sit cunctis Te quoque dante dies.

1716.

Mitte, Parens Christi, tristes de corde dolores,
Par est funereis luctibus esse satis.
Mors devicta jacet, primaeque piacula culpae
In nova cesserunt carmina laetitiae.
In vitam Christo aeternam redeunte, polorum
Exulibus miseris nam patuere fores.
Undique laetitiae circumsonat Alleluia,
Quod Tibi dulcisono carmine concinimus.
Quod per Te nunquam nostro discedat ab ore,
Promissa in caelis gaudia quod referat.

1717.

Ne lupus insidias tenero subtendat ovili,
Neu rapiat parvas, et male perdat oves;
Tu vigil accurras, Mater dulcissima, noster
Et labor, et clamor Te sine cassus erit.

1727.

Nova Virgini paremus,
Nova Filio dicemus
Monumenta grati amoris;
Hilares melos canentes,
Quod in aetheris resultat
Choreis, Paeana Christo;
Nece corporis subacta
Domitaque dum triumphat.
Resonet salutis hymnus,
Celebret redemptus orbis
Mariamque, Filiumque.
Veteres procul recedant
Lacrymae, dolor, querelae:
Rediit salutis auctor
Stygis inferis ab umbris.
Reseravit antra mortis,
Animas Patrum reduxit.
Geminant, triumphe! coeli,
Simul assonant et ima.
Sociemus ergo plausus,
Dominaeque gratulantes,
Celebremus orta vitae
Bona firma sempiternae.

1729.

Ὡς εἶδεν κτάμενον καλὸν ὑιέα πότνια Μητὴρ
Ἀι ἀι ὠτειλαῖς πλήρεα ταῖς ὀλοαῖς,
Πένθεος ἠδ' ἄχεος τυφθεῖσα πικροῖσιν ὀϊστοις
Τήκετο τὴν κραδίην Χριστὸν ὀδυρόμενη,

Εἴβετο ἁιμα μέλαν λευκῆς κατὰ σαρχὸς Ιησοῦ,
Αλλὰ κὲαρ Μαρίης ἄγριον ἕλκος ἔχει.
Χριστῶ συνθανέειν μεγ' ἐέλδεται ἀλγίῳ ἔστη
Τῶ σταυρῶ γόμφοις ἦτορ ἰαπτομένη.
Δάκρυα θερμὰ χὲει, γοεροῖς πύκα καὶ στοναχῆσι
Αἰάζουσα, φίλον τέκνον ἑὸν κάλεσεν.
Τίς μὴ δακρύσειεν ἰδὼν τάδε; ἢ τίς ἀκούσας
Οὐκ εἴσοι δακρύων ὄμβρόν ἀπὸ βλεφάρων;

13. APRILIS.

1712.

Ad Aedem Lauretanam.

Παμφανόοντα ἐπὴν τὸ τέλος προσέβησαν ὄλυμπον
Ἤδε Λογος Πατρὸς, παρθένος ἥδ' ἁγία.
Ἐνθαδ' ὀδυρομένοισι τὸ φάρμακον ἄλγεος ἱρὸν
Κάλλιπον, ἀμφοτέρου τὸ γλυκερὸν μέγαρον.

1713.

La gran Vergine Madre a piè del Figlio,
Che trafitto da l'alta Croce pende,
Due fiumi in lagrimar pietosa rende,
Vedova e desolata in duro esiglio.
Consolarla non sa speme, o consiglio
Ne d'udire, o veder cura si prende,
Tanto ai sospiri, e al duol la mente intende,
Poi rapito ha suo ben feroce artiglio.
Morte per lui seguir sospira e chiama,
Ha la vita in orror, la luce abborre,
Altro ristoro al suo dolor non brama.
Questa pregando al morto Figlio accorre;
Degno desio di chi tant' arde, ed ama,
Che per trovar suo bene a morir corre.

Digitized by Google

1715.

Dum repetit Summus librorum tecta Sacerdos,
Atque ibi prisca Pater dum monumenta locat,
Tu studia, et faciles animos, bona Mater, adange,
Hoc duce quo crescant relligionis opes (*a*).

1716.

Mens, quae Te Matrem comitata est moesta dolentem,
Sit risus etiam laetitiaeque comes.
Gaudia ne tristes turbent Paschalia morbi,
Neve redux agitet, concutiatque timor.

1717.

Fluctuat incertis animus, Virgo inclyta, curis,
Tu rege ne in praeceps subdolus error agat.
Et rectam tu sterne viam, quam currere certis
Passibus, et studio deproperante cupit.

1730.

Ημέτερον θάνατον θάνατός νίκησεν Ἰησοῦ,
Ον μετὰ τῶν νεκύων οὐκ ἔτι τύμβος ἔχει·
Τὰς στυγερὰς ἀΐδου διέρηξε πύλαστε βιηντε,
Τὰς ἁγίας ψυχὰς ρυόμενος πατέρων.
Ωδε τροπαιοφόρος, νέος ἥλιος ὥσπερ ἀναστὰς
Τεύχεα τῆς ἀγρίου κηρὸς ἐλκϊσατο.
Αγγελίην δ'εὐημερίης σοι, Μῆτερ, ἰάλλει
Κοσμος, παγχὺ τεὴν εὐφροσύνην κελαδῶν·
Σοὶ δ' εὐφημήσας ἁγίην τὴν μοῖραν ἀείδει,
Τοῖς σεθεν ἠγαθέοις χαρμασι τερπόμενος.

(a) *Clemens XI. Bibliothecam Vaticanam insigni Graecorum voluminum numero, quae olim domesticae Pii II. Romani Pontificis Bibliothecae erant addicta, nec non quamplurimis antiquis codicibus variarum linguarum, quos ipse ab Octavio Marchione de Bubalo dono acceperat, auxit. Vide* Petrum Polidori *in Vita eiusdem Clementis XI. lib. VI. §. XLIV. p. 472.*

14. APRILIS.

1712.

Ad Aedem Lauretanam.

Ἄνθεσιν οὐ τόσσον λειμῶνες τηλεθάοντι,
Οὐδ' ἀπαλοῖσι ῥόδοις, οὐδε γελῶσι κρίνοις,
Ὅσσον παρθενικὸν Μαρίας μοι δῶμα τέτηλε
Καλλεῖ τὰ προφέρει κ'αλλος επιχθονίων.

1713.

Parasceve.

Haec olim nocti lux concolor, horrida vidit
Funera, confixi funera dira Dei.
Haec vidit Mariam Christi de morte dolentem,
Vidit et obscuris horruit in tenebris.
Atra dies, hominum quam nigra piacula mergunt,
Sed de placato Numine laeta dies.

1716.

Quam dat discipulis Christus laeto omine pacem,
Hanc trepido atque aegro, Virgo beata, refer.
Ut positis animus, quae turbant pectora, curis,
Pacem virginei numinis obtineat.

1723.

Mariae decus supernum
Celebrare quisquis optas,
Age solis a sereno
Radios die refusos
Capitis comas adorna
Rutilantibus sed astris
Pedibus solum refinge:
Niveaque luce Phoebes
Tege candidos amictus.

Oculos sed ad serenos
Nihil est, quod ex Olympo
Repetas volens colores.
Superant nitore quotquot
Radianti ab axe fulgent
Vaga sidera, et beatis
Geminant faces choreis.
Quid ad ora diva Matris
Jubar est micantis astri?
Chorus omnis Angelorum,
Superûmque coetus omnis,
Pater ipse conditorque
Nihil adspicit decora
Specie, magis supernae
Triadi quod appropinquat.

15. APRILIS.

1713.

Et gemit, et queritur supremo affixa sepulchro,
Quo lacera extincti condita membra iacent,
Et geminat viduata Parens pia nomina Nati,
Lux sua de tenebris, dum redit, opperiens.

1716.

Festa vocant Mariae dignas Paschalia laudes;
Dicamus Mariae laude sonante melos.
Dulce melos laeti sit temporis Alleluia,
Quod Mariae supplex terra polusque canit.

1730.

Μελπόμενος κλέος ἀγχίθεον, καὶ κῦδος Ἀνάσσης
Καὶ λιγυροῖς Μαρίην τοῖς μέλεσιν κελαδῶν,
Ἀφνειὸν βίοτον τερπνὸν δέ τε νόσφι μεριμνῶν,
Καὶ δίχα πάντοίων τῶν συνοχῶν διάγω·
Εὐλογίης θνητῶν οὐ κήδομαι, οὐχὶ δε νείκης,
Μη δέ μ' ἔρως ὄλβου ἀστατέοντος ἔχει·

Τῆς δὲ βίου στάδιον μελέτης φίλος ἐξανύσεια,
Καὶ ὅδε μ' ἀθλεύοι ἤματα πάντα πόνος.

16. APRILIS.

1713.

Dominica Resurrectionis.

Sat gemitu et lacrymis dedimus, redivivus ab umbris
Nostra triumphator gloria Christus adest.
Jam laetare poli felix Regina, tuisque
Impertire paris munera laetitiae.

1714.

Sub Tiburtino faveant tua munera coelo,
Viresque in lasso corpore firmet iter.
Et Mariae numen sit nobis duxque comesque,
Tuque domum, Mater, restitue incolumem.

1716.

Surrexit Christus, laetatur Virgo, serenet
Nobis turbatos pax utriusque sinus.
Linquamus mores Christo surgente vetustos,
Jungamus Mariae gaudia laetitiae.

1717.

Dum timet, et sacros optat mens nostra labores,
Perque odit vernos otia lenta dies;
Virgineam suspirat opem, quae vota secundet,
Quae mentem lustret, firmet et ingenium.

17. APRILIS.

1713.

Multiplici lacerum iacuit quod vulnere corpus,
  Phoebaea cernis lampade splendidius.
Dulcia vulneribus rutilantibus oscula figis,
  In Nati amplexus et studiosa ruis.
Quaeque prius fuerant materni causa doloris,
  Nunc Tibi larga ferunt flumina laetitiae.
Ergo age, laetare Parens, atque ore sereno
  Auge inter laetos gaudia sancta dies.

1714.

Laudabo Mariam, quamquam pro Tibure lecto
  Detineat reducis vis malefida mali.

1716.

Te Mariam si dulce fuit cecinisse dolentem,
  Dulce sit et laetam carmine concinere;
Quique fuit luctus nuper sociusque comesque
  Per tua fac risus gaudia participem.

1718.

Dominica Resurrectionis.

Quam diri Christo fuerunt obeunte dolores,
  Tot, redeunte, sinus gaudia Matris habent.
Supplicia in claros Nato cessere triumphos,
  In laeta et Matri gaudia luctus abit.

1723.

Flecte maternos, bona Virgo, celsis
  Quae sedes astris, oculos roganti,
  Impera ventis, rapidas coërcens
    Voce procellas.

Tu domus, Mater, columen salusque
Sueta depulsis placido periclis
Ore speranti famulo serenam
Reddere pacem.
Addis et dono titulos recenti
Laeta queis large cumulas priores,
Parta cum iuris datur utriusque
Laurea fratri.
Quae tuas dignis numeris celebret
Lingua, vel laudes referat canendo?
Quae pares tantis meritis rependant
Carmina grates (*a*)?

1729.

Παῦσον Ἄνασσα φίλη τὰ σα δάκρυα, παῦσον ὀδύνας,
Οὐλήσεν Χριστὸς τεύχέα τοῦ θανάτου·
Τάς τε πύλας ἐρέβους καὶ κοιρανέην κατεάξας,
Τάς πατέρων ψυχὰς ῥῦσε τροπαιοφόρος.
Ἐκ δὲ καταχθονίων ἀϊδαότε νυκτὸς ἀναστας
Τὴν ὑπὲρ ἠριγενῆ λάμψε καὶ ἠέλιον·
Ἤχεῖ πανταχόθεν ζαθεὸν μέλος ἀλληλουία
Ἀ' ὕμνοι τῆς ἁγίης τέκμαρα χαρμοσύνης.
Χαῖρε σὺ ὄυν μάλα πολλὰ, Θεοῦ Μῆτερ, περὶ πάντων,
Σοὶ γὰρ τοσσ' ἡμὸν χαρματ' ὄφελλε γένος.

18. APRILIS.

1716.

Extende o dextram coeli terraeque potentem:
Ingestumque animo disiice, Virgo, metum.
Nam mens deiicitur trepido turbante timore;
In Te ni tutum perfugium inveniat.

(a) *Loquitur Auctor de ejus fratre Januario religione, doctrina, prudentia, comitate spectatissimo, qui ex benignitate Innocentii Papae* XIII. *in loco Caroli inter Neap. Metrop. Ecclesiae Canonicos adnumeratus est.* VI. *Kal. Martii An.* CIƆIƆCCXXIII. *atque Romae, ut suspicor, utriusque Juris lauream adeptus est.*

1720.

Illa venit mihi laeta dies et candida·, signat
Quae culto laudes carmine, Virgo, tuas.
Illa mihi soles revehit servatque serenos,
Tristitia atque atris nubibus illa caret.
Aethereas afflat puri quoque luminis auras,
Aeternae et praefert ordia laetitiae:
Qua Christi pariter, tua, Mater, et ora licebit
Cernere, et ex ipso fonte lavare sitim.

1727.

Vitae iam monet innovare mores
In lucem rediens Redemptor orbis.
Abscedat vetus error; orta fulget
Discussis tenebris dies salutis.
Purgemus veterum nefas dierum,
Fermentum sceleris nefas paterni.
Sinceris, decet, azymis refecti,
Pasti deliciis et Angelorum,
Nil terrae sapiant ut inquinatum.
Sensus candidior fides reformet,
Ac morum novitas refingat actus.
Quae pacem foveant, loquamur omnes.
Nectat pax et amor procul fugatis
Hinc mentes odiis. Serena tempus
Sacris otia proferat Camaenis.
Vitam dum sibi gratulatur orbis,
Almae gaudia nunciet Parenti,
Fructum quae dedit, unde laeta mundus
Vitae munera restitutus hausit.

1730.

Ἠϊθεος προτέρης θαλέθων ποτε γήθεσιν αἴθρης,
Εὐδιος ὅττε νέῳ ἔπλετό μοι βίοτος,
Πολλάκις οἰοπολος καὶ ὁμήγυριν ἐξαλέεινων
Αστυος ἐξεμόλουν φίλος ἐρημοσύνης·

Παρθενικὴν δὲ τοκῆα Θεοῦ κατὰ θυμὸν ἀγαπῶν,
Ἐν τῆς ἴχνευον δώμασιν ἡσυχίην.
Ἐνθάδ' ἔρως αὐτός μοι φάρμακον ἦεν ἔρωτος
Πρηυνων κραδίης τὴν φλόγα τῆς στοναχῆς·
Ἐνθ' ἁγίης φρονέων ἀρετην καὶ κῦδος Ἀνασσης,
Ἄγκεσιν ἐν χθονίοις οὐκ ἔτι ναιέταον.
Αὖταρ ἐμοὶ μετὰ ταῦτα βάρος χαλεπῶν μελεταων.
Τόσσην εὐφροσύνης μευ ἐνόχλησε χάριν
Ἡσυχίης γλυκερῶντε μελῶν δὴ καιρὸς ἀπῆλθε,
Ἤδυς ἐμοίγε λίαν εἰσέτι μνησαμένῳ
Οὐ θέμις ἀργαλέας ἀποβάλλειν νυνὶ μεριμνὰς,
Οὐ ῥίπτειν ἔργων νῦν θέμις ἐστὶ πόνον.
Ἥδε πόθον Μητὴρ κραδίης ὀδύνην δὲ δέχοιτο,
Καὶ τάδε πλήθοιεν τὸ χρέος εὐλογίης.

19. APRILIS.

1715.

Parasceve.

Quos genus infelix meruit pro crimine poenas,
Christe volens summa pro pietate subis.
Probroso pendes inter ludibria ligno
Diris emittens suppliciis animam.
Atque tuis languet poenis innoxia Mater,
Supplicio et probro dum dolet illa pari.
Ne pereat partus pretioso sanguine fructus,
Virginis atque tuus me iuvet usque dolor.

1716.

Navifragis portus, mediis Cynosura periclis,
Aegris certa salus, Virgo benigna, fave.
Quaeque audis humiles, famulos nec deseris unquam,
Languenti ac trepido confer amoris opem.

Digitized by Google

1719.

Assiduis quamquam trepidat mens sedula curis,
  Corda licet quatiat sollicitata metus ;
Excubet ad coecos quamtumvis pervigil artes,
  Hostiles animus pellat ut insidias ;
Imbecillis adhuc per lubrica defluit aetas,
  Nec timet abnormes criminis ire vias.
Ora nec imprudens venturi Judicis horret,
  Carceris inferni nec pavet igne puer.
Tu quae sola potes, nutantes dirige gressus,
  Et curis nostris, Virgo, secunda veni.

20. APRILIS.

1712.

Adventu fratris per pectora nostra recurrens
  Laetitia, e Mariae munere tota venit.
Eripuit lethi tua dextera faucibus ambos:
  Ergo tua incolumen servet utrumque manus.

1713.

Funere devicto domitaque e morte revisit
  Christus, et e lacrymis exhilarat Mariam.
Nec minus exultat tanta inter gaudia Mater,
  Quam casto quondam cum peperit gremio.

1716.

Per Te pax Christi sensus et corda serenet,
  Laetitiamque ferat, Virgo, fugetque metum ;
Ac doceat sanctis mortalia temnere curis,
  Solumque edoceat quaerere mente Deum.

1717.

Tu caeptis, bona Mater, ades, Tu dirige gressus,
  Tu faveas trepidis provida consiliis.

Ut duce Te nullus vestigia devius error ,
Aut studium falso lumine decipiat.

1721.

Ablutos sacris caelestis fluminis undis ,
Labes ne , Mater , criminis inficiat.
Candida sed purae rutilent insignia vitae
Et referat sanctis moribus illa facem.

1727.

Ad laudes intenta tuas dum solvimus ora
Musa refert humiles nil nisi moesta preces.
Sic tumidis animis inflata superbia mentem
Concutit, elatam sic per inane rapit.
Nunc vacua insanae mentitur murmura famae
Armaque conficto nunc ab honore movet.
Bella quidem vanis falsisque cientur ab umbris ,
Vera tamen pectus vulnera adacta gerit.
Assiduis igitur votis lacrymisque rogantes ,
Implorare tuum cogimur auxilium.
Hinc venient aderuntque pares in praelia vires ,
Et valida impositis pharmaca vulneribus.

21. APRILIS.

1713.

Dominica Resurrectionis.

Diffractis Erebi portis redivivus , et ipso
Pulchrior e tumulo spes tua Christus adest.
Undique victori voces et vota resultant ,
Teque Dei Matrem carmina laeta sonant.
Felicem reduci Mariam Te Prole salutant ,
Deque tuo ingeminant nomine laetitiam.

Digitized by Google

1716.

Dum trepidat, pavitatque animus, turbatur, et horret,
Ac miser humana fidere nescit ope;
Praesidium, Regina, tuum suspirat, et optat
Te medicas aegro tendere, Virgo, manus.

1719.

Quos regimus pueros, mundique a labe tuemur,
Ut dignis tractent sacra ministeriis;
Tu sancto compesce metu, stimulisque futuri
Torpentes animos concute supplicii.
Insidias coecasque Erebi Tu discute fraudes.
Ardentesque aevi comprime, Virgo, faces;
Mollis caelestes aetas ut combibat undas,
Ac stygii tristes horreat amnis aquas.

22 APRILIS.

Inter languores in Te spes tota recumbit,
O famuli, Mater, vita salusque tui.
Quidquid enim nequeunt homines promittere, et artes,
Praestare auxilio, Virgo benigna, soles.

1717.

Virgineas alacri pangamus pectore laudes,
Et Mariae nomen dulce melos referat.
Tristis de nostris luctus concentibus absit;
Laetitiae Matrem carmina laeta decent.

1720.

Frustra laboris improbi
Mens se fatigat pondere,
Ni Tu, Parens, ad lauream
Cursus secundos dirigas.
Tu pande recti semitas,
Quas tuta currat caritas;

Tuere vires corporis
Morbosque nutu disiice ;
Ne nos sacris laboribus
Tuo vacantes numine
Avertat antiquis malis
Aestus recurrens efferus.
Non ulla nos incommoda
Tibique laudes debitas
Turbent, sed omni tempore
Te mens celebret libera.

1728.

Gusmani proles Hyacinthus barbara quondam,
Atque infesta sacris agmina cum fugeret ;
Ferret et e mediis mysteria rapta periclis,
Impia ne auderet contemerare manus :
Marmoreo effigies Mariae quae reddita signo
Extabat media, qua fugit ille, via.
Haec saxo emissa properante voce moratur,
Seque velit probris eripuisse rogat.
Non cursus, non cura fugae, non pondera terrent
Quin miris signum viribus arripiat.
Pluma velut leve fertur onus, nec gressibus obstat,
Mox tamen oppositi fluminis unda tenet.
Non cymba effugium, vada nec dabat obvia fluctus ;
Firma viam stravit, qua calet ille, fides.
Transmeat immunis, rabidos et ludit in hostes,
Sospes et in tuto mystica dona locat (*a*).

1729.

Παρθένε παμβασιλισσα, ἀεθλὴρ Χριστὸς ἀνέστι,
Σαρκὸς νικήσας ἄλγεα καὶ θάνατον·
Το πρῶτον μεγα πένθος ἔδω νυῶ χάρμα ποροῦσιν
Ὠτειλὴ, λόγχη, σταυρὸς, ἄκανθα, κιών.

(a) *Vide Joannem Michaelem Pium* in Vitis illustrium Virorum Dominicanae familiae. *Bononiae* CIƆIƆCVII. *Tom.* I. pag. 273.

Γηθοσύνην πάντα προφέρει, καὶ πάντ' ἐχάρησαν,
Αθλοφόρου τὸ τεὸν τέκνον ἀειδόμενα.
Μητρὶ δ' ἀναστάντος σοὶ, Παρθένε, συγχαίρουσι
Κ' ὠδαῖς καὶ μέλεσιν σὸν μακάριζε λαχος.

23. APRILIS.

1714.

Laude in Virginea mihi sunt solamina morbi,
Temperat illa omnem dulcis amaritiem.
Virgineum Nomen densa inter nubila lux est;
Atque inter vitae crebra pericla salus.

1716.

Adde fidem, spe, Virgo, pavorem comprime, morbi
Nulla in languenti corpore vis noceat.
Certa etenim affulget trepidis fiducia rebus,
Ad tua cum pavidi Numina perfugiunt.

1720.

Aspice nos studiis, Mater, iactantibus actos,
Ne cadat infelix, intereatque labor,
Gloria nam votis si, Virgo, obrepit inanis,
Intentas curas heu! levis aura feret.
Ad Christum tendat, Christum labor ambiat omnis,
Unus divinae sit mihi laudis amor.

1723.

Virgo, quae tutos ad amoena caeli
Dirigis calles, liquidumque lumen
Inter offusas tenebras refundis
Ore sereno:
Cerne qui cursu patrias ad arces
Te duce, o Mater, properant secundo,
Arceas ventos, pluviasque nutu
Laeta coërce.

Sterne praeruptos iuga celsa tractus,
Et per anfractus dubios viarum
Ipsa securos tueare, pellens
Damna, metumque.
Dumque fidentes patriae propinquant,
Sentiant dulcem reduces parentem,
Cuius ad nutum licet udus imbri
Paruit aër
Post iter caros adeant parentes,
Gaudium frater referens, neposque,
Ac tua affines hilarent domumque
Dona salutis.
Nos preces dudum studiis calentes
Qui Tibi, Mater, tulimus, supernis
Debitas tandem meritis paramus
Carmine laudes.

24. APRILIS.

1716.

Quae spes? qui pateat portus turbante procella,
Pandere si renuas, Virgo benigna, sinus?
Ad Te confugimus Dominam Matremque vocantes,
Hoc trepidi angorem pectoris excutimus.

1719.

Dum repetunt serae Tibi debita carmina curae,
Nostraque Virgineo nomine plectra sonant;
Tu studia atque actus obsignes, Virgo, diurnos,
Sitque tuae in laudis munere nostra quies.

1720.

Pangamus Mariae pia carmina, sera priusquam
Nox fessis curas linquere praecipiat.
Officia haec inter nobis sopor occupet artus,
Dulcis ut e Mariae numine proveniat.

Digitized by Google

1723.

Quos prius Matris memores honores,
Musa, quos plectro recines triumphos?
Quasque postremas celebrabis almo
Carmine laudes?
An potens caeli superumque numen
Tota quod Patris veneratur aula?
An decus, quod sola tenet per aevum
Virgo Parensque?
An quod eiectis reditum paravit,
Et vias stravit, quibus ad supernos
Morte depulsa domitisque monstris
Est iter orbes?
Gratias illi potius canamus,
Ac prius nostram referamus uni
Debitam Matri superasse lethi
Arma salutem.

1730.

Χριστιαδῶν μητὴρ οὖ χηρωθεῖσα ποσηος,
Ωστε κυβερνήτου νηῦς δέχα ποντοπόρος,
Ουρανόθεν στοναχοῦσα κάλει νέον Αρχιερῆα,
Τὸν πατέρ' ορφανικοῖς ὑιεσιν ἐσσόμενον.
Κλῦθι ἐπευχομένης, ἐλέουσ Βασίλισσα, καὶ αὐτῆς
Δέχνυσο ἱλάοις ὄυασιν ἱκεσίην.
Δὸς πινυτὸν διδαχῆς βιότοιότε ἡγεμονῆα,
Κ' ἄγρυπνον ζαθέης ποιμένα τῆς ἀγέλης.

25. APRILIS.

1712.

Languet iners dudum iactato in corpore virtus,
Nec tamen ardenti in pectore languet amor;
Hospitium qui, Virgo, tuum, tectumque requirit,
Et queritur longas febre gravante moras.

1713.

Non Tu falsa vides Christi phantasmata, Virgo;
Nec ludunt mentem somnia vana tuam.
Surrexit vere, vera sub imagine veri
Splendida surgentis Numinis ora vides.

1716.

Tentare incertas quamtumvis cogimur artes,
Scilicet et medicis fidere consiliis:
Tu tamen o nobis, Mater, spes firmior adsis,
Quae ferre auxilium certius una potes.

1717.

Cura novum nobis dum pastoralis in annum
Protrahitur, pueros quae pietate colat;
Tu renova in nobis, Mater, pietatis amorem,
Illorum studium noster ut ardor alat.

1723.

Te Matrem colimus, Te prece supplici
Laudantes, Te humili carmine praesidem,
Interque insidias ad tua numina
Fidenti et propero confugimus pede.
Cura et sollicitus tum pavor aufugit,
Pectusque exhilarat parta serenitas.
Tunc dulce est meritis plaudere honoribus;
Atque in Virgineis quaerere laudibus,
Veram quae relevat laetitiam sinus.
Haec curas animi gaudia temperent,
Ac reddant alacres ad nova praelia.
Nequidquam stimulat vanus honor, cito
Parens umbra velut, qui fugit impetu
Frustra deliciis, frustra opibus struit
Fallax insidias mundus, et allicit.
Flammis Virgineus quos amor occupat,
Et quae casta tenet pectora vinculis,
Vis nulla e stabili robore dimovet.

Digitized by Google

1726.

Arce furentes a grege electo lupos,
Intenta quae servas oves;
Et per salutis laeta deduc pascua,
Vitent ut herbas noxias;
Ac sancta vitae, quae resurgit, gaudia
Novis reportent moribus.
Fraudes, et artes hostis, atque criminum
Venena cuncta nesciant.
Votis anhelent ad superna, saeculi
Et falsa declinent bona.
Tuis adustos mente tota ab ignibus
Ducat regatque caritas.
Aetas reposcit, ne repellas parvulos
Pietas, ames ut filios.

1727.

Quae paritura foret nova per miracula Verbum
Dum Mariae tacitis consiliis repetit;
Adstitit aetherea Gabriel de sede, propinqua
Apparet summo qui statione Patri.
Ingressus, priscis mysteria condita saeclis
Pandit, et aeternae fert pietatis opus.
Ignaram primum caelesti voce salutat,
Gratia quam replet Numinis, inquit, Ave.
Tecum caelorum Dominus, benedicta per aevum
Femineum una potes sorte praeire genus,
Namque tuo optatus veniet de germine fructus,
Humana exsurget quo veniente salus.
Turbatur titulis, delata et laude pavescit
Virgo; salutantis quid sibi verba ferant,
Sedula dum recolit, trepidoque in corde volutat,
Angelico pellit nuntius ore metum.
Ne timeas, Marie, rerum quae grata potenti es,
Concipies, et eris prole beata parens.
Filius Excelsi de Te nascetur, et ipse
Isacidae, et Jacob sceptra, domumque reget.
His Virgo obstupuit, fieri mox posse negavit;
Lilia sic purae Virginitatis amat.

Digitized by Google

Mortales superat vires opus, Angelus infit.
  Cuncta sed aeternus Spiritus exsuperat.
Sensus ille tuos afflabit lumine, partus
  Illa opifex virtus Omnipotentis erit.
In cana Elisabeth utero gerit ecce senecta,
  Sexta propinquanti est luna puerperio.
Omnia prona Deo parent, nil nutibus obstat;
  Quod libet ut faciat cui voluisse sat est.
Tunc submissa Patris mandata et numen adorat,
  Ut iubet, ancillae sic, ait, eveniat.
Protinus ergo subit mortalia membra vicesque
  Omnipotens, stabili foedere factus homo.
Angelus officio, quo non praestantius ullum,
  Matre salutata Virgine, functus abit.

1730.

Εἴ τις ἁλὸς ψάμαθον καὶ κύματα οἶδεν ἀριθμεῖν,
  Ἢ τῶν ἐυπετάλων μύρια φύλλα δρύων,
Αὐτὸς ἀπειρεσίους ἀνακρίνῃ Μητέρος αἴνους,
  Καὶ Μαρίης ἀρετῶν τὸ κλέος ὀυρανίων.
Ἢ δ' ὅσα παμβασιλεὺς πόρεν ἀγλαὰ δῶρα τεκόυσῃ
  Τῆς καλὰ δ' αφθαρτων ἄσπετα τῶν κτεάνων.
Χ' ὡυτὸς ἀνηρίθμους, φέρε, ἀτρεκὲως καταλεξῃ
  Τῆσδε ἐυεργεσίης εἷς ἐμε τὰς χάριτας,
Πάντα τὰ κουροτέρῳ δωρήσατο, πάντα δ' ἐφήβῳ,
  Ὀσσα πόρεν θνητῷ σώματι, Χ' ὅσσα νοῷ.
Ἄμετρα μετρέιτω, εἴ που θέμις ἐστὶ, τα δέκτῃ
  Ἤρκεσεν ἡ Μητὴρ δῶρα χαριζομένη.

26. APRILIS.

1712.

Admonet approperans iam voti tempus euntes,
  Emissa et compar vota secundat amor.
Te praebe, ut solita es, votis studiisque faventem;
  Et facili longam tramite sterne viam.

1713.

Qui portas Erebi, mortis qui vincula rumpis,
Ut nostro referas laetitiam generi;
Per Matrem da, Christe, tuam de morte redemptis,
Ut vera e puro gaudia fonte bibant.

1715.

S. Mariae ad Montes.

O quae montana Romam e regione tueris,
Cuius imago potens signa corusca dedit.
Inter tot fluctus iactatam protege puppim,
Ac nos tartareis, Mater, ab insidiis.

1716.

Ad eandem.

Deficiunt vires animum turbante pavore,
Morbique insultus moestitia ingeminat.
Tu misero succurre, Parens, praetende timenti
Fortia, namque potes, numinis arma tui.
Tu, quae Romanos montes de nomine signas,
Quos inter cultu splendida templa tenes,
Defende et pueros, sacra Tibi luce regendos
Quos tradis, tuque o Mater utrisque veni.

1719.

Sit studiis, quamquam laudandis, sitque labori,
Sit zelo, o Mater, Te cohibente, modus.
Ne recti species, ne iusti illudat imago;
Nam bona non Christo, ni bene facta placent.

1729.

Εἴπωμεν Μαρίης φίλου ὑιεα Σταυισλᾶου,
Λευκάτε τῆς αὐτοῦ λείρια παρθενίης.

Ον ζαθέου, καὶ κοῦρον ἔτι, φλέγε πυρσὸς ἔρωτος,
Ὡς τ' ἄλλων σοφίῃ γηράσεως προέχειν.
Τοῦ κῆρ ἀμπλακίης οὐδεν ποτ' ὄμοργμα πάλασσεν,
Καὶ μηδεὶς χραῖνεν μῶμος ὑπερβασίης.
Λύπησεν χαλεπὸς τὸν ἀθῶον αδελφὸς ἔφηβον,
Γνήσιος οὐκ ἐθέων, ἀλλὰ μάλ' ἐχθρὸς ἔων.
Πολλὰ νοσῶν καὶ πολλὰ φυγὼν πάθε, πολλ' εμογησεν,
Ατρεκέος ζητῶν τὸν λιμέν' ἡσυχίης.
Εὗρε τελευταῖον χ' ἑτάρων σύσσιτος ὁμοίων,
Αγγελος ὡς διάγει οὐράνιον βιότον.
Αλλὰ μινυνθάδιον ταχὺ ὤλεσεν οἰστὸς ἔρωτος,
Κ' ἀϊδίων ἀγαθῶν παρθενίδος τε πόθος.
Τὴν αὐτὴν ἐκάλει βυθίουτ' ἐκ κηρὸς ὀρέχθει
Τῆς ἄνευ οἱ βίοτος δύσφορον ἄχθος ἔην.
Νίκησεν δ' ἄρα θεῖος ἔρως, κ' ἐνδέσματα ῥήξας,
Φίλτατον αντιθέῃ Μητρὶ σύνηψε τέκος.

27. APRILIS.

1713.

Alleluja sonat, nos Alleluja canamus;
Hoc etenim aeternae cärmen erit patriae.
Hac etiam Mariae dicamus voce salutem,
Sic et laetitiae nuncius ore sonet.

1716.

Ingemimus, nomenque tuum, pia Virgo, vocamus,
Tristitiae corpus pondere dum premitur,
Erige tu famulum morboque, metuque iacentem,
Pristinaque aegroto robora restitue.

1717.

De Te, Virgo, fluant nostris exordia curis,
Sic erit e multo germine laetus ager.
Sic et virtutum venient, Te praeside, fructus,
Sic aberunt vitii damna timenda procul.

Digitized by Google

1721.

Virgo Nepos patrias dum laetus pergit ad oras,
Te precor ut felix auspice perveniat.
Sterne vias faciles, ventorum siste procellas,
Nutibus adspiret lenior aura tuis.
Laetitia et pacis splendor comitetur euntem,
Impediatque metus, Te duce, nullus iter.
Per Te candidior referat lucemque diemque,
Atque serenus iter Cinthius exhilaret.
Sic per Te notos adeat, visatque propinquos,
Totam ut laetificet Te reserante domum.

28. APRILIS.

1712.

Angelicis humeris Italas trans aëra terras
Aedes, quae coeli numine vecta petis;
Sis mihi perfugium, sis et spes certa roganti,
In Te praesidium Virginis experiar.

1714.

O utinam Christi matrem vidisse liceret,
Virgineique animi gaudia quae fuerint;
Cum redivìva sui post horrida funera Nati
Cerneret ora sudo splendidiora die.

1716.

Perfugium misero, solamen dulce roganti,
Audi clamantis, Virgo vocata, preces.
Nulla etenim afflictis reliqua est fiducia rebus,
Quam quod languenti, Mater, adesse soles.

1717.

Felices, Pia Virgo, dies redeuntque caduntque,
Quos mihi virginea condere laude licet.

1723.

Divinum servet Puerum studiosa cubantem,
  E niveo et removet corpora vela manu,
Sedula ne dulci turbentur somnia nato,
  Intento et pendet lumine Virgo Parens.
Sic Matrem effigies oculis sub imagine reddit,
  Artificisque manus illitus aere color.
Quae nobis vitamque metitur, et indicat horas,
  Praecipitesque vias temporis esse monet.
Sic agitare dies, mentisque intendere curas,
  In Christi vitam pauperiemque docet.

29. APRILIS.

1713.

Dulcia quot Mariae fixerunt corda dolores,
  Tot nunc perfundunt gaudia laeta sinus.
Tristitiae vis sancta vicem sic reddit amoris,
  Ut caeso ingemuit, sic redeunte canit.

1716.

Clamor maternas cum fervidus urgeat aures,
  Atque tuam, dulcis Virgo, precetur opem;
Exaudi festina preces, solare rogantem,
  Qui valuit tanto semper ab auxilio.

1717.

Ad coelum, Mater, demissas erige mentes,
  Flammisque aeterni Numinis ure sinus;
Ut veram quaerant inter coelestia pacem,
  Adversa et mundi murmura despiciant.

1723.

Quid laude, quid tollant prius
  Devota sacris carmina?

Parente Christi Virgine
Quid Musa cantu praeferat?
Quidquid placere cordibus
Quidquid beare spiritus
Mentesque coelestes potest
Complexa Virgo continet.
Hic candor, hic splendet fides,
Hic pura farvet caritas;
Hic nulla foedat pectoris
Flores vel umbra criminis
Illius inter lilia
Orbis Redemptor pascitur,
Quem Matris ardor Virginis
Attraxit e Patris sinu.

30. APRILIS.

1712.

Arx me celsa vocat, quondam quae dicta Quirini;
Ordia sint sacrae haec auspiciumque viae.
Hinc Lauretanam contendere protinus Aedem.
Annue, Teque, Parens, fas sit habere ducem.

1713.

Dilectam Tibi, Virgo Parens, colimus Catharinam,
Pro qua rite Deo debita sacra damus.
Nostra etiam huic paribus fervescant pectora flammis,
Atque pari studio Te, obsequioque colant.

1720.

Virgineis sese mens sedula laudibus addit,
Sero nos quamquam tempore torpor habet.
Torporem fac vincat amor, pia Virgo, resultet,
Ut strepitus inter dignus ab ore sonus.
Sic cultus, nomenque tuum laudesque repellant
Quae studia et curae pectora nostra terunt.

Digitized by Google

1721.

Vena licet laudesque tuas et nomina versu
Deterat, Alma Parens, ne Tibi displiceat.
Nam magis ardet amor, valeat quam lingua, tuumque
Nomen cor servat, si minus ora sonant.

1. MAII.

1712.

Appetit optatum vota in ferventia tempus,
Proque salutanda Virgine tempus adest.
Instat iter, via sacra vocat; Tu, Virgo, secundes,
Qui sanctas sedes hospitiumque petunt,

1716.

Expectatae aegris Maiae rediere calendae,
Signat Apostolici quas sacra palma paris.
At sine Te, Mater, neque tempora verna iuvabunt,
Nec dispellendis ulla medela malis.
Quod si Tu faveas praesenti numine, corpus
Suscipiet vires vere vigente novas.

1717.

Excipe, quos teneros tradis, mihi, Mater, alendos,
Quosque tui cultu nominis obtulimus.
Incolumes inter mundi discrimina serves,
Ferveat in cunctis ut pietatis amor.

1721.

Temperies dum laeta redit, dum terra polusque
Gaudia vere novo post hyemem referunt;
Solve gelu, Regina potens, animumque rigentem,
Et resides cieat iam nova flamma sinus.

1724.

La stagion lieta, in cui l' aria e la terra
Di nuova gioja si abbellisce e veste
A i prati, a' monti, a' mari, a' le foreste
Di calma e fiori e frondi il bel disserra.
Non più turbini e venti ci fan guerra,
Ma torna il dì sereno in lieta veste,
Ne l' orrido furor de le tempeste
Fra le capanne il gregge e 'l pastor serra.
Or tempo è ben da rinnovar le spoglie,
E di nuovo costume ornar la vita,
Deposte al fin dal cor l' antiche voglie.
Così piaccia a colei, che a gir m' invita
Per più diritte strade a l' alte soglie,
E a i lenti passi porge lena e aita.

1730.

Προς ἀνερχομένου καὶ νοστήσειαν ἀοιδαί,
Τὰς ποτεοιντο φίλῃ αἱ χαριτες Μαρίῃ.
Πάντῃ ἠθοσύνην πολυανθεμον ἦμαρ ἀνάπτει,
Ηδε νέου κοσμος χαρματος εκπροχέει.
Τὸν νέον οὖν Μοῦσαι μέλεων τροπον, ἡδύον ασμα
Αρχέσθων ερατῶ ὡς επεοικε χρόνῳ.
Θεσπεσίους Μάρίης ἡλύκυον κλεΐσειαν ἐπαίνους,
Τῆσδε ἀει θαλερὸν τὸ κλέος ἀνθοφοροῖ,

2. MAII.

1713.

Ite ad divinam cordis suspiria Matrem,
Et petite abiectis viribus auxilium.
Implorate animo coeli nova robora, diro
Agmine deiectum quem mala tanta premunt.

1716.

Ite mei cordis suspiria, ferte polorum
  Reginae afflicti fervida vota sinus.
Robora languenti, vires, pacemque rogate,
  Respuit haud pavidi pectoris illa preces.

1720.

Judicis aeterni ardentes fugiamus ut iras,
  Virgo, salutari concute corda metu.
Nam securus erit, pavido qui corde futuri
  Horrida prospexit tempora iudicii.

1722.

Dal suo splendor primiero, e da l' antico
  Impero, in cui fu già nascendo accolto,
  Caduto in servitude, e in lacci avvolto
  Preda l' uomo giacea d' aspro nemico:
Quando il gran Dio, ch' è di pietade amico
  Celando in servil forma il lume e 'l volto
  Di nascer pargoletto fu risolto
  In vil capanna debole e mendico.
A' sì grand' opra ha per ministra eletta
  L' umile Verginella, in cui gli piacque
  Far del tiranno rio giusta vendetta.
Vittima al Genitor per Lei si offerse,
  Per Lei dal Ciel discese, e da Lei nacque,
  Per Lei dopo l' esiglio il ciel ci aperse.

1723.

Dilecta Matri Crux bona Virgini,
  Quam Christus almo sanguine consecrat;
      Ornata prae gemmis et auro
        Perpetuae pretio salutis:
Te quisquis alta tendit iter via
  Coelique anhelat limina tangere
      Vestigiis vitae magistram
        Sollicitis sequitur ducemque.

Occulta coecis seu ciet agmina,
  Seu Marte bellum signaque Tartarus
    Infert aperto, seu nocendi
      Mille struit furibundus artes.
Seu vita per duras agitur vices,
  Ac saepe vitae toedia suggerit
    Infirma luctus ac dolores
      Corporibus animisque nectens:
Solaris aegros, frangis et impetus,
  Stygis latentes insidias premis,
    Atque in tuo virtutis hostes
      Lumine diffugiunt trementes.
Post Te volentes currimus, et tua
  Laeti sub umbra vivimus, ac piam
    Matrem sequentes, sempiterni
      Participes erimus triumphi.

1728.

Virginis ardentem fovet Antoninus amorem,
  Et flammas miris doctus alit studiis.
Expressos Mariae quavis sub imagine vultus
  Exornat dictis sedulus appositis.
Dependent commissa schedis circumque supraque
  Verba ciere piis sensibus apta sinus.
Dum relegit, Mariae ceu verba audire loquentis
  Visus, coelesti nectare perfruitur.
Utraque nam mentem, seu scriptis pagina signis,
  Seu vario effigies picta colore docet.
Virgineo uberior sapientia fonte scaturit,
  Quaeque velut divae Matris ab ore fluit.

Digitized by Google

3. MAII.

1712.

Crastina lux aegros post longa incommoda fratres,
Committet sacrae, Te opitulante, viae.
Audi supplicibus votis Te, Virgo, rogantes,
Atque refer patriis sedibus incolumes.

1713.

Inventio S. Crucis.

Optatas pietatis opes tellure repostas
Sollicitis studiis officiosus amor
Quaerit, et exultat inventis; esse sed illas
Communes Helene, laetitiam iubet.
Affunde hanc nostro, Mater dulcissima, cordi,
Ut mihi dulcescant gemina Sancta crucis.

1714.

O vitae lignum, iactatis anchora, pressis
Subsidium, moestis, Crux bona, delicium.
Ducere quam tecum vitamque et tempora vellem!
Atque comes Mariae Te excipiente mori!

1715.

Tellure obruerat pietatis nobile lignum
Invida Christiadûm cultibus impietas.
Divina inventum testantur signa, coruscant,
Quae latuere diu, pignora laetitiae.
Da, Mater, nostris in sensibus illa vigescant
Dulcemque inveniant pectora nostra Crucem.

1716.

Felix illa fuit tellus, quaecumque salutis
Et vitae lignum protulit atque aluit.

Sanguine quod Christus superata morte sacravit ;
  Cui Matrem cordis vulnere iunxit amor.
Quod colit, et studiis certantibus undique fervens
  Christiadûm sequitur consociata cohors.
Quod mihi sit certum divini pignus amoris,
  Ac servet morbos inter, et insidias.

1717.

Salve perpetuae volvenda in saecula pacis
  Signum, de Christi sanguine quod rutilas.
Quod complexa Parens Nato moriente tenebat,
  Cui stetit impavido pectore fida comes.
In Te animus portum, curae solatia poscant ;
  In Te delicias spiritus inveniat.

1719.

Quem legimus pueris studiorum, Virgo, magistrum,
  Redde precor curis officioque parem.
Pabula qui teneris innoxia praebeat annis,
  Arceat atque animis otia lenta procul.

1720.

Arcta licet, superum via quae perducit ad orbem
  Gressibus infirmis saepe moretur iter ;
Quae tamen aeternae praeeunt pia signa salutis,
  Sanguine quae Christi condecorata micant ;
Et quae virginea de luce exempla coruscant,
  Nostris illa viam cursibus expediunt.

1722.

De Christi plagis, probrosa ac de Cruce fructus
  Dulcis sit nobis, ut Tibi, Virgo, fuit.
Hoc lignum aeterni sit nobis pignus honoris ;
  Quod nostri generis sustulit opprobrium.
Tartareas acies hoc et nigra agmina signo
  Infracto atque alacri temnere corde licet.

Illius optatam votis properemus ad umbram,
  Dulce ubi cum diva ducere Matre moras.
In Cruce vita, salus, pax, et victoria, nulla
  In Cruce qui vivit damna, minasque timet.

4. MAII.

1712.

Jam terimus dulces, licet aspro in tramite calles;
  Nil triste, ad Mariam quae via ducit, habet.
Et quamquam adversi descendunt largius imbres,
  Nobis Sancta Parens stella serena venit.

1716.

Te prece, Te votis, gemitu, lacrymisque rogamus,
  Una meis semper, Virgo, vocata malis.
Erige spes animi, robur virtutis adauge,
  Pelle metum, et famulo firma salus redeat.

1717.

Non nos aut hortos canimus, vel bella, ducesque,
  Inficit Idalius nec mihi carmen amor.
Mellifluum Mariae resonant sed carmina nomen,
  Nostraque virgineis laudibus ora sonant.

1730.

Σεῦ κῦδος, Βασίλισσα, πολὺν χρόνον εὐφημήσας,
  Ανθεα παντοχόθεν εὐλογίης δρεπόμην
Ελλάδος ἐκ κήπων καὶ Αυσονίης ἀφ' ἁλωῶν,
  Τῶν διαλεκτοισιν σὸν κλέος ἐκμελέτων.
Αλλά σοι οὐδετέραι μόλπην ἐπάοιδον ὁμοίην,
  Ουδὲ τέης ἀρετης ἄξιον ἄσμα χέον·
Μηδέτε ἐντεῦθεν θυμοῦ κόρος ἐστιν ἐμοῖο,
  Μείζων δ' αμφοτέρων μοι πόθος ἐστι χόρων.
Ειθέ σε οὐρανίοις κλείων ἐρίηρ ποτ' ἀοίδοις,
  Εμμορος ἂν γενόμην τῶνδε χοροστασίης.

5. MAII.

1712.

Ad Te, Sancta Aedes, dum fervida corda propinquant,
  Laetitiam capiunt de propiore novam.
Fidimus inde tui sacrato in limine tecti
  Hausturos facili numine Matris opem.

1718.

Maeonios alius iactet seu carminis haustus,
  Jactet Apollineas sive Maronis opes.
Nobis Virgineae tenui vel arundine laudes
  Maeonidenque super, Virgiliumque sonant.

1720.

Nocturnas signet curas claudatque diurnas
  Impensum Matri carminis officium.
Dirigat hoc vitae cursus, hoc finiat actus,
  Hoc caeli reseret, Patre vocante, fores.

1721.

Incertos inter commota per aequora casus,
  Te sequimur cursus, stella serena, ducem.
Tu praesta occultas vitare pericula syrtes,
  Jactatae et dubium Tu rege puppis iter.
Ne recti species rapiat, neu criminis aestus,
  Ac tacitas nectat ne dolus insidias.

6. MAII.

1712.

Jam licet optatos tandem contingere postes,
  Oscula liminibus figere prona licet.
Erumpunt lacrymae, vox et singultibus haeret,
  Relligio atque pavor pectoris ima tenent.

Digitized by Google

Fervida dum dulci de Virgine vota requirunt
  Principium vitae subsidiumque novae.

1716.

Quamquam nulla levat longos fiducia morbos,
  Matris adhuc certus fidere suadet amor.
Illa potest nostri suspiria fervida cordis
  Solari, vires reddere et illa potest.
Ne pressi fractique diu iaceamus inertes,
  Cogamurque aris abstinuisse sacris.

1717.

Ascensio Domini.

Laeta Parens caeli subvectum ad limina Christum,
  Inter Caelicolûm carmina festa vides.
Discipulos etiam solaris voce dolentes,
  Discessusque putent ne mala damna facis:
Ardentique doces abeuntem mente sequantur,
  Et stratam ad superos corde tenere viam.

1718.

Ornabunt alii partos per bella triumphos,
  Et Sophiae laudes, imperiique canent.
Nos Mariam colimus, cordi nec gratior ulla est,
  Dulcior aut sacro in carmine materies.

1729.

Μαρναμένων ἀνέμων ὡς πλωτὴρ λαίλαπι πολλῇ
  Ἄσσονα ναυφθορίης φρικτὸν ὄλεθρον ἴδεν·
Ὡς καὶ εμεῦ κραδίη παθέων διὰ ἧδε μεριμνῶν
  Ηματος ὑστατίου πολλάκι τάρβος ἔχει.
Σὺν δάκρυσιν φοβεροὶ τότε, Παρθένε, πρός σε βοῶντες,
  Ηὶ ἀπέραστος ἔχει οἶκτός ἀτυζομένων,
Καὶ σε μάλ' εὐχόμενοι τεὸν ὄυνομα μακρὰ καλοῦμεν,
  Σὺ γὰρ τῶν τεκέων ἐλπὶς, ερέισμα, μένος.

Digitized by Google

7. MAII.

1712.

Hic ubi promissus de caeli Filius arce
  Factus homo est castae Virginis in gremio :
Hic ubi Virgo sata est, ubi sanctos duxerat annos,
  Duxisti et longas hic ubi, Christe, moras :
Laetantes tandem augustas accessimus aras,
  Solvimus et Summo debita vota Patri ;
Et fusis Matrem lacrymis oravimus, ut se
  Praeberet fidam per vada coeca ducem.

1719.

Quotquot Vergineo sacrantur nomine templa
  Pes licet immensis optat adire viis.
Optat, sed patriae teneant cum vincula sedis,
  Tu cupidi, Mater, suscipe vota sinus.

1720.

Madre, ch' in Ciel godendo a noi pietose
Volgete le pupille,
E le care materne preziose
Grazie quà giù versate a mille a mille,
Ove l' uopo è maggior, dove la tema
Più c' ingombra la mente,
E che fate sovente
Più prode l' alma di valor più scema :
Ne la vostra difesa
S' appoggia nostra speme,
Nè danno, o scorno teme
Quando più d' ira accesa
L' oste infernal minaccia e sfida e freme.
Voi scudo all' armi, e Voi fra l' onde il porto,
Voi fra l' angoscie e 'l duol dolce conforto.

1730.

Ποιμένα τῶν Χριστοῦ οἴων, ἄρχοντε βοτήρων
Δηρὸν ἐπ' ὀρφανίης μίμνομεν εὐχόμενοι·
Χεῖρας ὀρέξαντες καὶ πρὸς Θεὸν αἰπὺ βοῶντες,
Νωλεμέως χθαμάλην βάλλομεν ἱκεσίην·
Οὐδ' ἔτι λισσομένων ἄϊεν, μηδ' ἔκλυεν ἀρῶν,
Μηδέ τε εὐχωλὰς εἰσέτι προσδέχετο.
Σεῦ δ' ἔσεται κῦδος, Μῆτερ, τάδε ἔργα τελέσσαι,
Μή τι γὰρ ὑψιμέδων σῆσι λιτῆς απέφη·
Αθανάτῳ δύνασαι παρὰ υἷεϊ πάντα ἀπότμων
Ταῖς μερόπων ἄταις εὖτε συνηγορέῃς.

8. MAII.

1712.

Quo Te, Virgo, sequar, quo Te, Regina, requiram?
Nam ratio atque via est iam mihi nulla super.
En sanctis tandem recolendae altaribus Aedis
Procubui effundens cum gemitu lacrymas.
Ergo malis nostris sit meta haec ultima, vitae
Sint quoque nunc nobis ordia prima novae.

1716.

Agmina qui Superûm sacrata in praelia ducis,
Praecipuo Mariam qui colis obsequio;
Aligerûm Princeps, tam longa incommoda morbi,
Si Pater annuerit, praesidio releva.
Atque etiam adventum fratris bonus omine firma,
Inque Dei laudes omnia nostra cadant.

1717.

Aligerûm Princeps, gaudet quo Praeside tellus,
Et quo Cocyti vindice stagna pavent:
Qui Mariae obsequiis cunctos et laude perenni
Ceu Titan inter signa minora, praeis;

Digitized by Google

Frange Erebi vires, ne dissipet hostis ovile,
Neve gregem occultis artibus excipiat.

1721.

Quem regis, ac Sancto Michaëlis nomine signas,
Hac per Te Petri culmina luce subit (*a*).
Da, Virgo, auxilium, quo forti munera tractet
Pectore, quo crescant relligionis opes.
Auspice Te revocet, coecos quos haeresis urget,
Ac densis mersos obruit in tenebris.
Oppressos relevet, propulset crimina, Petri
Jura tuis, Mater, ductibus amplificet.
Virgineo facilis doceat pro nomine cultus
Flammisque incendat pectora cuncta tuis.

1724.

Jactatur ventis navis viduata magistro,
Et queritur longas numinis esse moras.
Insultant hostes, gliscunt mendacia vulgi;
Larvatus siblos Momus ubique serit,
Fluctuat incertis Patrum sententia votis,
Ni caelo effulgent lumina consiliis.
Ergo piis studiis animorum pelle tenebras.
Pacati ut videant suscipiantque Patrem.

9. MAII.

1712.

Cogimur ecce tuis Mater decedere tectis,
Vix bidui in sancto limine ducta mora est.
At nunquam decedet amor, quo iugibus Aedes
Cor nostrum flammis ardeat ante tuas.

(a) *Michaël Angelus e pervetusta, ac nobilissima familia Comi: VIII. Id. Maii* CIƆIƆCCXXI, *sub nomine Innocentii XIII, Summus Pontifex renunciatus est, cuius fidem, integritatem, comitatem, animi magnitudinem, caeterasque dotes merito omnes admirati sunt.*

1719.

Fluctuat incertis, haeretque improvida passim
Consiliis, coeco mens agitata metu.
Quid iuvet, ignorat, quid quaerat, quidve sequatur,
Tu certo, Mater, lumine pande viam.

1720.

Ad superas Christus victor cum tollitur auras,
Deliciis Mater non viduata dolet;
Sed sequitur studiis, animo comitatur euntem,
Regnaque caelorum mente beata colit.
Sic quos dissociant loca corpore, iungit amantes
Nunquam divulsi pectoris alma fides.

1723.

Caelorum vigiles pandite limina,
Ac tota aligerûm prodeat obvia
Acclamans reduci curia Principi,
Vires qui domuit stygis.
Sedes ille potens sidereas subit,
Terrarumque memor dat Mariae vices,
Ut nostris alacris prospiciat malis,
Et solatia suggerat.
Illa et discipulis exilium levat,
Tristantesque monet, sedula provocat,
Urgetque impositis corda laboribus,
Lucem ut gentibus inferant.
Illa dulce fuit sub duce congredi,
Christique in Maria cernere imaginem,
Matrisque eloquio prendere gaudia,
Quae astris Filius intulit.

1726.

Assiduis mentem curis labor improbus urget,
Nullaque contentis hora vacat studiis.
Quae tamen una diu fuerat mihi cura canendae
Virginis, illa animo pressa dolente silet.

Digitized by Google

Hinc quae subsidio vires animumque levabat,
Tempora nunc inter dira caremus ope.
Durior haec penitus miserum me poena remordet,
Quae ad cumulum luctus adiicit et lacrymas.

1730.

Μῆτερ ἐπιχθονίης ἀλκήθ' ἕρκος τε γενέθλης
Ηδε κ' ἐπουρανιων σκῆπτρον ἔχουσα χόρων,
Δάκρυα τοὺς λαοὺς ἀρὰς τ' ἐλέαιρε χέοντας,
Αἰροῦντας γοερῆς φάρμακον ὀρφανίης.
Δὸς φρεσὶν ἁρμονίην, ζήλου τ' ἀποέργαθε θωην,
Τὰς γνώμας σεμνῶν καὶ συνεεργε πατρῶν.
Ὡς ἄφαρ ἡγεμονῆα δεχώμεθα οἶμον ἰόντες,
Ενδὲ κυδοιμοῖσιν τὸν κρατερὸν πρόμαχον.

10. MAII.

1712.

Aede in Parthenia sacris ter rite peractis,
En cursu petimus deproperante lares.
Auspiciis sed, Virgo, tuis sic cuncta ministras,
Ut propria excipiat iam domus incolumes.

1714.

Ascensio Domini.

Morte triumphata sua Christus regna reviset;
Abscedensque gregis est tamen ille memor.
Te nobis etenim linquit Matremque ducemque,
Tristia quae terris damna levare potes.

1720.

Jugibus a studiis dum robora pressa fatiscunt,
Praesentem clemens suffice, Mater, opem.
Ne vigiles turbent pacata silentia noctes,
Otia lenta sequens imperet unde dies.

1723.

Angelico reseras aditus quae nomine porta,
Nostris propinqua sedibus,
Quam felix addit titulis tibi gratia faustum
Et dulce nomen Virginis!
Proxima quod Mariae nomen despondet, et aedes,
Gressusque iterque sospitat.
Tu seu vicinis libeat spatiarier arvis,
Curasque longas solvere,
Juncta piis studiis aperis solatia, Matrem
Adesse promittens viae:
Seu mens affectet longas properare per oras
Nomen periclis obiicis.
Sic Vaticano cum Te de colle propinqua
Et templa Matris cernimus;
Spes animo et lux exoritur, cui certa salutis
Et laeta profers omina.

1727.

Postquam supernas Angelus
Regressus ad caeli plagas
Reliquit auctam gaudiis
Verboque foetam Virginem:
Exurgens illa, nec moram
Caelestis ignis sustinet;
Montana, quo salus vocat
Johannis ardens adpetit.
Domum salutat hospitam
Salutis optatae Parens,
Et prole foecundam senem
Foecunda Virgo amplectitur.
Tum virginalis germinis
Occulta virtus emicat;
Et verba pacis nuncia
Domum replerunt gaudio.
Exultat infans et Deum
Agnoscit, ardet, subsilit,
Mirisque promissam modis
Venisse lucem praedicat.

Digitized by Google

Afflata sancto Spiritu
  Elisa vocem sustulit ;
  Et unde tanta servulae
  De Matre Christi gratia ?
Emissa nam salus tua
  Nostras ut aures impulit
  Laetatus infans , saltibus
  Adesse testatur Deum.
Beata , quae dictis fidem
  Praebere docta , senties
  Impleta promissa , et decus
  Sortemque laudari tuam.
Tunc ora solvit , ac melos
  Modesta Virgo reddidit
  Ventura quod non saecula
  Oblivione deterent.
Non me , sed altam praedicant
  Summi Dei potentiam ,
  Quae magna nutu perficit ,
  Collata servae munera.
Exultat , et laudat meus
  Fontem bonorum spiritus
  Et conditorem saeculi ,
  Qui parva clemens respicit.
Cum me beatam concinent
  Donis bonisque divitem
  Tunc nationes gentium
  Laudes Datoris efferent.
Benignus ille subditis
  Justisque se timentibus ,
  Pressit potentes , ac throno
  Superba corda depulit.
Plenis abundat aedibus
  Auroque pauper affluit ,
  Sed luget absumtas opes ;
  Fameque dives esurit.
Suscepit Israël genus
  Lectumque semen Abrahae
  Suae memor clementiae
  Pactique quondam foederis.

Digitized by Google

Plausere dictis Caelites
  Et celsa respondent iuga,
  Silvaeque circum de novo
  Late resultant carmine.
Vox o beata, gratiae
  Quae tanta promis munera,
  Nostris, precamur, auribus
  Ac mente dulcis insones.

1728.

Perfida Pragensem pervaserat haeresis urbem,
  Frangere qui Christi, et Caesaris ausa iugum,
Insultat sacris, altaria deiicit, atque
  In sanctis probro ludit imaginibus.
Virgineos Mariae vultus gens perdita foedat,
  Ac fodit inflictis lumina vulneribus.
Effigiem tam dire habitam cum filius almae
  Teresiae aspiceret, protinus ingemuit.
Perque pia arreptam circum tulit agmina, flammis
  Ut sacra Romulidum concitet arma novis.
Horrescunt acies, fremituque ad bella ruentes,
  Ardent Virgineum iam reparare decus.
Fulmina ceu crebris insistunt ictibus; hosti
  Non vires armis effugiumque patet.
Haud similis clara fuit unquam palma triumpho,
  Nec clade afflicta est haeresis icta gravi.
Ergo triumphalis Romam defertur imago,
  Quam colat effuso carmine posteritas.
Conditur alma aedes, cui dat Victoria nomen;
  Suffixa exornant perfida signa tholum.
Quisquis adis, Christi venerare in Vergine dextram,
  Victricem et Maria vindice pange fidem.

1729.

Φάος κλέος τε γαίης,
Καὶ οὐρανῶν Ἀνασσην,
Τοκῆα τὴν Θεοῖο
Ὅλης κρατοῦσαν ἀρχῆς,

Digitized by Google

Βοῶμεν εὐλογοῦντες·
Εἡς τε κῦδος ἀγλῶν
Μέλεσσι, καὶ ἀοιδαῖς
Πρὸς ἀστέρας φέρωμεν.
Μέλισμα μηδὲν ἄλλο
Χέαρ νοούντ' ἔπλησεν
Οσον τὸ τῆς γλύκιστον
Μέλος κλέος καὶ εὖχος.
Οταν τὸν αἶνον αὐτῆς
Χλύων, λέγων, ἀναγνοῦς
Μάθον, τὸ κῆρ ἰάνθη,
Τὰ δυσχερῆ μερημνῶν,
Αχος, φόβος, γόοστε
Φυγεν, μακραντ' ἄπεστιν.
Μεταξὺ τῶν ὀδυνῶν,
Πικρῶν τ' ὅλης βιώνης,
Δηνεκὲς τὸ χάρμα
Τοιοῦτο μοι γένοιτο.

11. MAII.

1712.

Cum terras liquit superas evectus ad oras
Patris deliciae Christus, et orbis amor;
Patronam miseris Mariam, Matremque reliquit;
Nec tristes aliud, quo relevaret, erat.

1716.

Tempora da, Mater, pellendis prospera morbis,
Et praesens medicis prospice consiliis.
A Te etenim nostrae veniat si cura salutis,
Quod tenui petimus carmine, certa dabit.

1720.

Cum Christi pugiles per vulnera dira necemque
De Patris tulerint laurea serta manu ;
Cum tot per silvas perque avia perque columnas
Captarint longo praemia martyrio ;
Quis labor , aut clari quae gloria parta triumphi
Aeternas nobis , Virgo , parabit opes ?
At si in Te fuerit certe spes nixa salutis ,
Dives erit meritis pauper inopsque tuis.

1723.

O tanta nostri si foret ingeni
Vis , et canenti par melos , ut tuas ,
Regina , tam laudes decusque
Quam famulis data dona possem.
Efferre gratis ad superos modis ,
Quam dulce nostris esset amoribus ,
Horas , laboresque stylumque
Virgineo decorare cantu.
Seu bella priscis condita vatibus ,
Seu versa flammis moenia , fortium
Seu res virorum , tot per omnes
Carminibus celebrata linguas.
Affectet alter. Nomine Virginis
Quid dulcius nostris sonet auribus ?
Aut quid sacratas iam Parenti
Fortius alliciat Camaenas ?
Valete ducta e Pegaseis iugis
Et fabuloso carmina flumine ,
Carmelus et Thabor , amatae
Virginis et Libanus canenti.
Musis secundis afflet amabilis
Auras et altum det decus assequi ,
Ne lingua pertendat stylusque
Materiem tenuare cantu.

Digitized by Google

12. MAII.

1716.

Da Mater ; nam servorum Tibi cura tuorum est,
  Non intermisso quod petimus gemitu.
Da vires animo , da membris robur , et omnem
  Disiice praesenti numine tristitiam.

1717.

Sis mihi , sis pueris morum , Pia Virgo , Magistra ;
  Discitur a cunctis nam cito , quod doceas.

1720.

Virgineas revocant nocturna silentia laudes ,
  Quas Tibi consueto pendimus officio.
Praebueris pronas , Mater , si cantibus aures ,
  Felici dabitur condere sorte dies.

1721.

Tranquillam cum , Virgo , dares dulcissima pacem ,
  Hoste procul , palmas mens agitabat iners.
At cum turbatis instarent praelia rebus
  Robur et audaces tum cecidere minae.

1723.

Laudamus Mariam , tristes abscedite curae ,
  Non patitur curas haec pia cura leves.
Nunc humiles cantus , mundique oblita tumultus
  Sidereis studiis corda vacare decet.
Puris virgineas laudes ut vocibus ornent,
  Sensibus et puris numina sancta colant.

Digitized by Google

1724.

Fin ora del Senato il gran consiglio
Pende dubbiando, e fra di se discorde,
Il volgo ignaro intanto esclama, e morde
Anche chi è puro qual candido giglio.
Di rabia ardendo col feroce artiglio
L' orecchie al vero e al dritto avendo sorde,
E con le voglie di calunnie ingorde,
Lacera, e mette l' eresia scompiglio.
A voi rivolge le sue preci intanto
Vedova e afflitta la Chiesa di Cristo,
Perchè pietà vi muova del suo pianto.
Voi fate, o Madre, ch' in sì duro e tristo
Stato la fede trionfi, ed il santo
Nome faccia di gloria nuovo acquisto.

1730.

Νείκεα σιλλογράφων καὶ σκωμματα κερτομεόντων
Μή με ταράξειαν μαψιδίοις ἔπεσιν·
Μὴ σεισμοῖο δέος βαρέως γαῖαν κλονέοντος,
Πρωϊ ὅθεν φοβερῶς ἔτρεμε πᾶσα πόλις.
Μὴ τὰ ατασθαλίη εχθρῶν κακα βυσσοδομεύει,
Ἢ ὅσα γηγενέων ἢ ὅσα ταρταρίων,
Ἡσυχίην σείσειε νοου κραδίης τε γαλήνην.
Λυπῃ, καὶ κρυερῳ δειματι συννεφόοι·
Ἄλκαρ ἐμὸν Θεὸς ἔσται ὁ σύμμαχος ἕινεκα σοῖο,
Παρθενε, μεῦ βιοτου ἐνδελεχὲς προφύλαξ.
Σεῦ δὲ παρηγορίῃ καὶ αὐτοῦ χειρὶ πεποιθως,
Ἠῦτε πρὸς τὰ βέλη πύργος ἀεὶ τελέθω.

13. MAII.

1712.

Aethereos ignes Christus, Flamenque daturus
Ad Patris dextram, Patre locante, sedet.

Tu tamen ad sanctos venturi Numinis aestus,
  Christiadûm, Mater, pectora munda paras.

13. MAII.

1719.

Mens studiis, serisque stylus lassatus in horis
  Virgineae laudis carmine se reficit.
Haec est intento requies optata labori,
  Hinc fractum ingenium dulce levamen habet.
Nam suavi Mariae sic nomine mella redundant,
  Tam grato tristes perluit amne sinus;
Ut moestas tergant oblivia dulcia curas,
  Et nova de puro gaudia fonte bibant.

1721.

Langueat in trepido, Mater, cum pectore virtus
  Praebe Virginei numinis auxilium;
Quod nebulas animi, stygias quod dissipet umbras,
  Et spem turbato in pectore restituat.

1723.

Pressa curarum studiisque multo
Fasce mens, Virgo, trepidans fatiscit,
Fulcias sueto nisi Tu labantes
        Numine vires.
Tende maternam famulo iacenti
Dexteram, sacros ferat ut labores,
Martyrum et palmas celebrans vetustis
        Promat ab actis.
Vana non illum capiat loquentum
Aura, nec vulgi reputans sequatur
Verba; sed Christo Domino. Deoque
        Serviat uni.
Ac tuas, Mater, studiosus ornet
Per sacros laudes numeros; canenti
Facta, virtutum decus et tuarum
        Pectus adurant.

Ferveat mores recolens Parentis
Excitet lentos residesque sensus,
Dum tuos gestit superùm bonorum
Pandere amores.

1726.

Haud ocyus metam petunt
Arcu remissa spicula,
Quam vita praeceps avolat,
Ac spes inanes abripit.
Serena lux honoribus
Statim tenebris deperit,
Et falsa vitae gaudia
Ceu vana cedunt somnia.
Promissa fallunt saeculi,
Mundique ficta sunt bona,
Quae vota non implent sinûs,
Ruuntque cursu praepeti.
Sunt certa solum, quae manent
Justos in astris gaudia,
Quae nec senescens abripit
Aetas, nec unquam decidunt.
Illuc gementes filios,
Beata Mater, dirige,
Noctemque coecam mentibus
Procul tuorum discute.

14. MAII.

1712.

Discipulos inter coelestia munera Patris
Expectas, quamquam Numine plena fores.
Scilicet in casto penitus Tibi pectore, Virgo,
Ex ipso ardendi crescit amore sitis.

1716.

Protege devotam toto Tibi pectore gentem,
Atque tuo nixam numine, Virgo, domum.
Non aliud nobis, quo perfugiamus, asylum,
Nec licet alterius fidere praesidio.

1721.

Pange lingua gloriosae
Dulce nomen Virginis,
Et superni dona Patris
Filiique et Spiritus,
Aucta queis late refulgens
Summa vincit sidera.
Sole amicta calcat anguis
Colla plantis lurida;
Et paternae labis una
Ac ruinae nescia,
Virgo Mater laeta prole
Pura servat lilia.
Illa terras, Illa caeli
Astra nutu temperat.
Flectit iras, cum minaci
Ore Judex fulminat;
Et serenos a procellis
Illa soles advehit.
Quisquis aeger vota Matri
Mente pura concipit,
Sortis et quicunque iniquae
Deprecatur pondera,
Illius secunda statim
Experitur numina.
Ditis arma, bella, pestes
Arcet Illa et turbines
Et pericla cuncta pellet
Invocata protinus.
Sic sub alis, sic tuetur
Matris umbra filios.

Digitized by Google

Qui salutis ambit altas
  Emetiri semitas,
  Et beatae limen arcis
  Tutus optat tangere,
  Hanc ducem vitae sequatur,
  Hac fruatur auspice.
Corde Matri et ore laudes
  Concinamus perpetes,
  Filium simul canentes
  Matre natum Virgine,
  Atque in Illa Trinitatis
  Efferamus gloriam.

15. MAII.

1712.

Pentecoste.

Spiritus alme veni, mentesque perfunde tuorum;
  Imple muneribus corda creata tuis.
Fons vivus, donumque Dei, digitusque superni
  Patris, cum Sancto Spiritus igne veni.
Tuque o Christiadûm Mater dulcissima votis
  Accurre, et precibus, dextera Mater, ades.
Per Te caelestis pia pectora flamma perurat,
  Quique tuum pectus dulcis adussit amor.

1719.

Heu! vana et gravibus molesta laboribus, et quae
  Nostra diu curis corda terunt studia;
Debita virgineae quae laudi tempora, quaeque
  Curas pangendae Virginis abripiunt.
At si iustus amor, si quid pia vota precesque
  In placida tantae Virginis aure valent;
Quamvis ingenium curarum deprimat aestus;
  Illa mihi curas inter erit potior.

Digitized by Google

1723.

Laudemus Mariam, iubet
Sanctus sic amor et fides:
Caelorum hoc Pater exigit,
Exemplo et Superi monent.
Hoc cuncta officium docent.
Hanc terra, hanc polus, hanc mare
Cultu et laudibus efferunt.
Certant illius obsequi
Jussu et nutibus Angeli;
Tota et curia patriae
Dolci nomine personat.
Quin et tartara cum tremunt
Horrentque icta potentiam,
Reginae cumulant decus.
Has ergo sitiant aquas,
Has et delicias ament,
Mentis qui pia gaudia
Puris sensibus ambiunt.

16. MAII.

1712.

Terrea quae fuerant, adamantina pectora reddit
Illapsus caeli e cardine Patris amor.
Effera contemnunt instantis verba tyranni,
Ignavumque necis dedidicere metum.
Per Te nimirum tam laeta sorte beantur,
Quaeis tibi se, Mater, consociare datur.

1719.

Spiritus aethereo, Mariam qui accendis ab aestu,
Cuius divinis ignibus illa flagrat;
Nostra etiam paribus succendas pectora flammis,
Ut caelum quaerant, caetera despiciant.

Digitized by Google

1721.

Undique percutimur iustis, Pia Virgo, flagellis,
Sed nec supplicium corda superba domat.
Tu sensus humiles lugentibus insere, Tuque
Placato pacem Numine redde precor.

1723.

Adspice quos teneris pietas devovit ab annis
In Vaticano culta ministerio.
Infirmos tu, Virgo, leves foveasque potenti
Numine, ne labes criminis inficiat,
Otia ne pessum, ne dent exempla malorum,
Intereatque sacris debita simplicitas.
In studiis acuas, ut ament celebrentque palaestram,
Cultaque sint doctis artibus ingenia.
Proficiant, sua quo valeant per tempora fructus
Virginei dignos ferre patrocinii.

1730.

Σοὶ δ' υἱοῖο κέαρ, κέαρ ἥπιον, ἥδε τατεινὸν,
Μῆτερ, ἀκηρασίης ἔπλετο γυμνάσιον·
Τὸ φλέγον ἐμπρήθει ζαθεοῦ πυρὸς ἀμφὶ ἀυτμὴ,
Καὶ στέφος ἀμφιέπει πάντοθ' ἀκανθοφόρον.
Κτήματα παμβασιλεὺς ὅθε πάντα ἔθηκεν ἔρωτος,
Δῶρά τε παγκρυφίης ἄσπετα τῆς σοφίης.
Κεῖθεν ἀπειρέσιον τοῦ πνεύματος ἤφυες ὄλβον,
Τῷ περὶ πασάων τρίσμακαρ ἀμφιπέλῃ.

17. MAII.

1716.

Virginis auxilium mens non lassata reposcit,
Et renovat longas, ingeminatque preces.
Distulerit quamquam voces audire rogantis,
Non tamen abiectum deseruisse potest.

1719.

Tot studiis ingesta premit nullo ordine moles,
Ad tantum nutet pondus ut ingenium.
Ac nisi virgineo accedant de numine vires.
Protinus excussum ferre negabit onus.

1720.

Pentecoste.

Fra le preci e i sospiri e fra l'eletta
Schiera de'nostri Padri umil sedea,
E dal Ciel la promessa aura attendea
La gran donna fra tutte benedetta.
Quando quel, ch'a grand'opre infiamma e alletta
Spirto divin che tutto forma e crea,
Spirto d'amor che l'alme accende e bea,
E nel più duro aspro patir diletta;
In suon di ratto turbine e di accese
Lingue in forma diversa, ove soggiorna
La santa compagnia dal Ciel discese.
E sì di nuovo ardor, di santo affetto
L'infiamma, ch'a parlar piena si torna
Del nome di Gesù la lingua e 'l petto.

1722.

Septimus ad curam puerorum nos vocat annus
Ac longus peperit toedia nulla labor.
Pectore Tu vigili fovisti, Mater, alumnos,
Nec tua pastorem gratia deseruit.
Haec eadem, si, Virgo Parens, comitetur utrosque,
Dives erit fructus uberioris ager.

18. MAII.

1712.

Cara Parens, divi castissima Mater amoris,
  Quam de caelesti Spiritus orbe replet;
Auxiliare tuis, stygiis quos turbo procellis
  Jactat, virginea quo recreatur ope.
Nec metuant Mariae confisi numine quidquid
  Molitur diris tartarus insidiis.

1719.

Quod tenues iusti census Tibi carminis infert,
  Et cantus properat nostra Thalia rudes;
Da veniam fessis sero sub tempore curis
  Queis mens multiplici pressa iacet studio.

1721.

Arcta licet caelo sit semita, cuncta periclis
  Obsita et instructis sint licet insidiis;
Nostra licet vitii vestigia pondere lapsent,
  Seseque in noxae deteriora ferant;
Non vis, non animus, non spes mihi concidit, uno
  Quae divae Matris nititur auxilio.

1730.

Εἰς ἄρα φεύγοντες πολυήρατον ἦτορ Ἰησοῦ,
  Τῆς ἀγάπης ἔδεθλον καὶ χθαμαλοφροσύνης,
Θυμοδοκεῖς ἀνὰ τὰς ὀδύνας χαλεπάστε μερίμνας,
  Ἀτρεκέα κραδίης εὑρομεν ἡσυχίην·
Σταυρὸς ἐμοί, καὶ τοῦ καρπὸς τότε ἡδὺς ἐτύχθη,
  Ἀλλα δὲ μὴ πέλεται κάλλιον, ὥστε παθεῖν,
Τιέας ἐνθάδ' ἐοὺς γλυκερὴ Μητὴρ ἀτίταλλε,
  Ἠτορος ἐξ αὐτοῦ ἔξοχα δαινυμένη.

19. MAII.

1712.

Victima divinos quondam consumta per ignes,
  Quam caelestis adhuc urere pergit amor;
Fac mea de paribus flammescant corda favillis,
  Nec Tibi me, Mater, degenerasse velis.

1716.

Ad Te concussum, Mater, solatia morbi
  Dum quaerit pectus, vox gemebunda venit.
Excipe vota libens, quodque ars nequit ulla, salutis
  Caelesti tandem munera redde manu.

1720.

Sancta Parens, misso quae caelis igne repleris,
  Cui linguis crescit pristina flamma novis;
Concretam dissolve animi glaciemque geluque
  Flammis nostra tuis ferveat unde fides.
Ut nostro Patris laudes ex ore resultent,
  Atque pari Christum munere lingua sonet.

1721.

Ecce Quirinales Pastor concedit ad aedes,
  Et Vaticano iam silet ora iugo.
Dulces ut quondam nobis sint, Virgo, recessus,
  Et liceat soli posse vacare Deo.

1723.

Huc ades ad famuli voces, Regina, precesque
  Quae servis Matrem dicier haud renuis.
Quaeque vides, tenues quam sint in pectore vires,
  Quamque animum turbent verba vel acta levem.
Praesidio firma, virtutem ac robur adauge,
  Ad varia et vires praelia redde pares.

Virgineas inter nostra ut victoria laudes
Personet, et cumulet laurea nostra tuas.

1726.

Invectam superis Mariam, terrisque relictis
In solio gemmis apto stellisque sedentem,
Dum cantu memorant Corydon et Pastor Jolas
Alternis lacrymas numeris et gaudia miscent.
Cor. Quos roseo invisit, quos saepius ore beavit
Alma Parens agros, postquam procul illa recessit,
Squalentes horrent, ereptaque gaudia tristes
Ingeminant Mariam, Mariaeque in nomine luctum.
Jol. Quas caeli Superûmque plagas bona Mater adivit,
Luce nova radiant, et pristina lumina vincunt;
Reginae angelicis et nomina cantibus augent,
Signaque laetitiae nova carmina voce resultant.
Cor. Quae vitreis nitidae manabant fontibus undae,
Quique suo virides hilarabant gramine colles,
Nunc tristi complent vicinas murmure silvas,
Horrent et nudo squalentia culmina saxo.
Jol. Sidera iamdudum nostrae velut invida sortis
Virgineo exultant felicius aucta triumpho.
Certatim angelica Reginam laude salutant,
Totaque laetitia et plausu patria alta resultat.
Cor. Jam nemoris decor omnis abit, pecus omne vagatur,
Nec repetit fontes, nec pascua nota requirit.
Laetitiam illa abiens et pristina gaudia mersit,
Luctus ubique sonat, silvae saltusque valete.
Jol. Omnia laetitiam referunt, procedit Olympo
Candidior Phaebe, meliorque aurora coruscat,
Nam Regina novum rutilis decus addidit astris.
Jam procul hinc luctus, procul hinc dolor omnis abesto.
Haec ubi vicino excepit de colle Damaetas.
Adstitit, atque sacro, penitus perculsus ab aestro,
Has hilari laetas fudit de pectore voces.
Dam. Non nos desernit, cum Parthenis astra subivit,
Nec terras oblita suas Patris imperat aulae.
Illa dabit segetes melior, nec pabula nostro
Deficient pecori, non nostra armenta leones,

Digitized by Google

Non angues Pastor metuet. Nova saecula silvis
Illa parat. Mariae nos sacras floribus aras
Ornemus, nullo decedant tempore laudes.
Caelo regnantem votis hymnisque vocemus,
Casibus ut nostris sit certa medela salusque.

1727.

Sionis, alto quae renident vertice
Sacrata templi limina,
Christi parentes, Mosis ut lex imperat,
Adire iustos haud piget.
Functi sed omnis imperatis officî,
Dum proprios petunt lares,
Abesse Natum sero demum intelligunt,
Actum diei post iter;
Ergo regressi per Sionis compita,
Notasque per aedes ac vias,
Affinium per tecta tristes quaeritant,
Puerumquè diversum dolent.
Exacta cessit sed dies cum tertia,
Templi revisunt atria.
Illic magistros inter atque interpretes
Sacri et ministros eloqui,
Vident sedentem sciscitantem exaudiunt,
Legis vacantem dogmatis.
Stupore dictis, et profunda parvuli
Responsa mirari senes.
Tunc Mater, ecquid nostra tantis anxia
Curis dedisti pectora,
Dum te dolentes urbe tota quaerimus,
Vias remensi saepius?
At Ille, quae me cura verset, urgeat
Rescire nil est pronius.
Quo iura Patris, quo volentis evocant
Praecepta, lex, et gloria,
Illic oportet iussus adsit Filius,
Et sacra cunctis praeferat.
Haec venit, ut curaret, haec ut panderet,
Huc et referret omnia:

Frustra labores sciscitando insumitis,
  Me sola Patris detinent.
Parentibus pergit comes tum Nazareth,
  Subiectus illis caetera.
Laetantur, annis quod puer dum proficit,
  Lux alta mentis emicet;
Et latius se diva prodat gratia,
  Mundo, Deoque testibus.

20. MAII.

1718.

Virginea ingestas permulcent carmina curas,
  Acto queis cunctos claudimus orbe dies.
Illius auspiciis redeant solesque diesque,
  Ex illa incipiant et labor et studium.

1719.

Qui mihi, Virgo, tuas consignant carmine laudes,
  Luce nitent semper candidiore dies.
Namque importunae fodiunt seu pectora curae,
  Seu mens sub studii pondere pressa gemit;
Laus tua largitur lassae nova robora menti,
  Curarumque procul tristia damna fugat.

1720.

Qui Te Christiadùm dederat fideique magistram,
  Virgo, novis flammis pectora munda replet.
Exemplis ut nostra tuis dictisque calerent
  Te certam ad caelum corda secuta ducem.

1721.

Elato tumidos in pectore comprime sensus,
  Et compone meos, Virgo modesta sinus.
Horreat ut laudes hominum, ludibria quaerat,
  Teque optet Christi sub Cruce, Virgo, sequi.

1729.

Θηβάϊδός ποτ' ἐν εσχατίοις ὀρέεσσι γέροντε
Εζομένω Παῦλος κ' Αντώνιος, ἔργα Θεοῖο
Ηνορέην καὶ οἶκτον ἀμοιβαδὸν ἠγορόοντο·
Κ' Αἰγύπτου πέδιον πόντοιο δὲ οἶδμα θαλάσσης
Εἰσόραον κελαδοῦντες Ανάκτορα, τοῖα δ' ἄειδον.

Paul. Κύμάτ' ἀπειρέσιος πέρασέν τάδε λαὸς Ιακωβ,
Καὶ φύγεν ἐν τέρασιν περιθαμβέσι δούλιον ἦμαρ,
Ως ἴδεν ἀτρυγέτοιο δεετμάγη ὕδατα πόντου,
Χ' ἡγεμόνος ράβδῳ τοῦ Μώσεος οὐκ ἀπίθησεν.

Ant. Ταύτησίν ποτε τῆς χώρης ἐλλαμψεν Ιησοῦς,
Καὶ φάος εἰσέφερεν τοῖς ἔθνεσιν αἰγυπτοιο·
Κεῖνα δ' ἐπουράνιον τότε δέξατο παμβασιλῆα
Ιρὰ καταχθονίων εἴδωλάτε δηϊόοντα;

Paul. Ενθάδε συν' τέκεσίν ποτ' ἀοίδιμος Ισραῆλος
Ηλυθεν ἀλλοδαπὸς, καὶ ἄφθονον εὗρεν ἐδωδὴν,
Ενθα Ιωσῆφος διέπων τάδε πάντα παλαιὸς
Πατρώην γενεὴν φθονερούστε σάωσεν ἀδελφούς.

Ant. Δεύτερος ἔνθα μενος βασιληΐον Ιωσῆφος,
Παρθενίδος μετὰ τῆς ἀλόχου καὶ Παιδὸς ἀλύξας,
Κυνδύνων ἀπὸ τῶν δολερῶν ὀργῆς τε λοχῶντε
Ελπίδα τῶν μερόπων γενεῆς τε τὸ λύτρον ἔρυκεν.

Paul. Τοῦτον τὸν ποταμὸν Μωσῆς ποτε τῆνδε θαλάσσην
Θαύμασι παντοδαποῖς φοβερῆς ράβδοιο δάμασσεν.

Ant. Αλσεα ταῦτα βρέφος Μαρίης σωτῆρα δέχοντο,
Ηράθεον τό φάος ταύταις ὅθεν ἤρξατο βησσαις.

Paul. Ως τότε πληττόμενος τόσσοις τεράτεσσι Καινωβος
Δεῖδεν ἰδὼν μεγάλην ὑψίστου χεῖρα Θεοῖο.

Ant. Ως τότε δαιμονίων δαιδάλματα κάππεσεν ὥστε
Τὴν Μαρίην τρόμε μυθώδης καὶ Χριστὸν Οσῖρις.

Paul. Εἴπατε τῆς τάνιος καὶ Μέμφιος ἄγλαα τείχη,
Τίς τότε πρωτοτόκων τῳ αἵματι δώματ' ἔδευσεν;

Ant. Ενεπε Νειλόπολις καὶ σὺ Διὸς ἔξοχον ἄστυ,
Τίς πρότερος δυοφερῆς ἐξήλασε νυκτὸς ὁμικλη;

Paul. Μέλπετε ἀθανάτου σθένος ἄσπετον, ᾄδετε δ' ἀλκὴν
Αστεα καὶ ποταμοὶ καὶ τῆς ἁλὸς ὑγρὰ κέλευθα.
Ant. Μέλπετε Σωτῆρος καὶ Μητέρος ἄγλαον εἶδος
Οἰδῶτες ψάμαθοι καὶ οὔρεα μακρὰ καὶ ὕλαι.
Ὡς ὁ μὲν υστατίης ὁ δε μέλψατο ἔργα παλαιῆς
Συνθήκης ὅθεν Αἴγυπτος περὶ ὄλβιος ἄλλων,
Σωτῆρος τὰ πρῶτα τύπον, τὰ δε ὕστερα φέγγος
Δέξατο ἐσσομένη ὁσίης ποτε ἀνδράσιν αὐλή.

20. MAII.

1730.

Τὴν κραδίην ὁράων ἐράτου φλογοεσσαν Ιησοῦ,
Τῆδε σκαυτῶδες τὸ στέφος ἀμφιβαλὲν,
Ενθα τε λαμπέταον σταυροῦ μέγα σῆμα προσείδων,
Ισχαναειν ἀπαλὸν δάκρυον οὐ δυναμάι·
Τὴν γὰρ ἐρημοσύνην εὐτερπέα μοι δόκει εἴδειν,
Η ὁσίης Μητὴρ εσχόλασεν μελέτης·
Καὶ χθαμάλου Σωτῆρος ἀθέσφατον ἠπιότητα,
Τὴν δε ἀπειρεσίου εὐπορίην ἐλέους·
Οπτη παμβασιλεὺς ἀρετάων θῆκε παλαίστρην.
Ουρανίην θ' ἁγνοῦ στησατ' ἔρωτος ἕδρην·
Ενθα μοι ἀϊδιος καλή τ' οἶκος τε γένοιτο,
Γηθεα καὶ βιότου ἔνθα, καὶ ἔνθα λυτις.

21. MAII.

1717.

Ascensio Domini.

Caelestes repelit Christus post praelia sedes,
Atque suis caelum militibus reserat;
Teque ducem belli nobis, Pia Virgo, relinquit,
Robora quae tribuas, auxiliumque feras.
Ergo ades, et Christum devota mente secutis,
Ad caelum tuto tramite pande viam.

Digitized by Google

1720.

Rumpimus excusso nocturna silentia somno,
Praetereat Mariae ne sine laude dies.
Haec mihi nam placidos invitant carmina somnos,
Dulcior irrepit sic mea membra sopor.

22. MAII.

1712.

Festum SS. Trinitatis.

Quae Patris ac Verbi, divini et Flaminis uno
Tergerminoque micas lumine sancta dies;
Auges Sanctorum quatuor de nomine fastos,
Nobisque exemplum praesidiumque paras.
Auspiciis pia Virgo tuis miserata precantes
Restituat fratres incolumes patriae.
Me quoque sub iugis languentem pondere morbi
Virginea e caelis asserat illa manu (*a*).

1713.

Quae adscripsit sacri Sanctorum nomina fastis
Aunua lux rediens guadia sancta refert;
Qua regere infirmos famuli dignata labores,
Mater, ades nostro promptior eloquio.
Et das Tarpeja illorum decora inclyta ab arce
Inter Purpureos concelebrasse Patres.

(a) *Clemens XI. Pontifex Max. XI. Kal. Iunias* CIƆIƆCCXII, *quo die divinissimum Trinitatis Mysterium ab Ecclesia peculiari memoria colebatur, ad augendum novis Sanctorum nominibus Ecclesiae fastos Pium V. P. M. ex Ordine Praedicatorum, Andream Avellinum e Clericis Regularibus, quos Theatinos appellant, Felicem Cantaliciensem Cappucinum, Catharinam Bononiensem ex Ordine Minorum solemni pompa in Caelicolarum numerum adscripsit.* Vide P. Polidorium in Vita ejusdem Clementis XI. lib. IV. §. XIX. p. 256.

Ut Tibi pro tanto referantur munere grates
  Eloquii vires da mihi, Virgo, pares. (*a*)

1721.

Cum caeli repetens penetralia deserit imas
  Christus dulcis amor, Patre vocante, plagas;
Tu superes spes una tuis, soleris ut aegros;
  Virgo Parens, timidas ac tuearis oves.

1725.

Sublimis Sophiae si ducere prima requiris
  Ordia, deque ipso flumina fonte sitis,
Haec tibi mansurae ponas fundamina molis,
  Sincera ut timeas relligione Deum.
Haec sors virgineo veniet Tibi munere, Matrem
  Si pura orandi mente sequare ducem.

23. MAII.

1716.

Approperat patrias dum, Te duce, frater ad oras,
  Te sibi, Te comiti sentiat esse viam.
Tu faciles reditus, et tempora redde secunda,
  Optatam ut teneant incolumes patriam.

1720.

Auxilium fer, Virgo, tuum, quod pectore toto,
  Ac votis abs Te iugibus expetimus.

(a) *Auctor coram frequentissimis Auditoribus, et Romana purpura, et doctrinae laude spectatissimis, qui in Aula Capitolina convenerant, Orationem habuit Italico sermone de laudibus eorundem Sanctorum Pii, Andreae, Felicis, et Catharinae in anniversaria die post annum, quo ipsi inter Sanctos relati fuere. Huiusmodi Oratio satis elegans est Typis edita in eo opuscolo, cui titulus*: Il trionfo della Fede solennizzato nel Campidoglio dell'Accademia del Disegno il dì 23 Maggio 1713. Relazione di Giuseppe Ghezzi Pittore pag. 23.

Digitized by Google

Tu dux consiliis, Tu semita gressibus esto,
  Tuque piis studiis, Virgo, magistra praees.

1721.

O quae demissos Tibi, Virgo, in pectore sensus,
  Aeternoque Patri quae placuisse dedit:
Illa domet nostro tumidos in pectore fastus,
  Vitaeque edoceat sola latentis opes.

1722.

Dum nos Parthenias vocat
  Ad laudes fugiens sera dies, age,
Pangamus Dominae melos,
  Quod tam virgineis dulce sit auribus,
Quam nostri rapidas sinus
  Flammas, et taciti incendia pectoris
Soletur. Placeant Patri
  Quae sancto Mariae nomine promimus.
Nostros excipiant sonos
  Laudesque ingeminent Aligerûm chorus,
Ac tellus resonis modis
  Sedes usque ferat sidereas super.
His votis animus levat
  Curas atque gravis taedia saeculi.
Sic veris fruitur bonis,
  Caelique ante diem gaudia praecipit.

24. MAII.

1716.

Beatificatio Johannis Franc. Regis.

Cum Superûm fastos ornat cumulatque Joannes,
  Ignati caelo dogmata quem dederunt;
Munera Tu, Mater, nobis largire salutis,
  Plena sit ut famulis copia laetitiae. (a)

(a) *Joannem Franciscum Regis ex inclyta Societatis Jesu familia, vitae sanctimonia, studio tum Fidei propagandae, tum morum li-*

1720.

Vena licet sueti officio mihi carminis haeret,
Inque tuis aret laudibus ingenium;
Gliscit amor tenuis Tibi promere munera cantus,
Quaerere et usque tuo in Nomine delicias.
Nil etenim ad nostras iucundius accidit aures,
Nec sedat trepidos dulcior aura sinus.

1723.

Ardet in immanes lusor dum perditus iras
Vigineam saxis appetit effigiem.
At ne orbis violent ipsa sub imagine regem,
Commutat pueri picta figura locum.
Tum coecas paries furias testatus ad ictum,
Protinus affuso sanguine commaduit.
Ipsa quoque ad facinus tellus concussa dehiscit,
Monstrum tartareas condit et in tenebras.
Sic quam calcavit, quamque impius exuit, illam
Res mutae reparant exanimesque fidem.

25. MAII.

1712.

Te Maria fratres tutante iniere volentes
Non ingrata animis taedia longa viae.
Te auxiliante suis finis sit cursibus, atque
Haec reddat patriis sedibus alma dies.

1718.

Ascensio Domini.

Quae caeli quondam clauserunt limina culpae,
Humano generi, Te subeunte, patent.

---

centiae coercendae, et miracolorum fama clarissimum Clemens XI. P. M. VIII. Idus Maias An. CIƆIƆCCXVI. *Beotorum albo recessuit.* Vide Petrum Polidori in vita ejusdem Clementis lib. V. § VIII. pag. 333.

Occurrunt alacres Patris Tibi, Christe, phalanges,
  Laetitiaeque comes turba redempta venit.
Luminibus Mater laetis comitatur euntem,
  Illius atque ardens Te comitatur amor.

1716.

S. Mariae Magdalenae de Pazzis.

Pazziadûm soboles Christo desponsa supernis
  Uritur a flammis, e quibus usta cadit.
Illius vellem candescere, Mater, ab igne,
  Sed trepidi curae pectoris impediunt.
Solve gelu, dispelle metus ac suggere flammas,
  Exempla innocuae Virginis ut teneam.

1719.

Antiquis fallax mentem petit artibus hostis,
  Mundus et arcanis militat insidiis.
Saepe etiam stimulis agitantibus aemula turbat
  Pectora, et insanas obiicit orbis opes.
Nunc vacuis animis servata silentia ridens,
  Aggerat immeritae damna dolenda domus.
Ad Te sed, Mater, quoties pia lumina tollo,
  Fracta ducis stygii protinus arma cadunt.

26. MAII.

1715.

Festum S. Philippi Nerii.

Ad Matrem accurris trepidis, Philippe, periclis,
  Illius et poscis commiserantis opem.
Sic Tibi succrescunt caelesti e Numine flammae,
  Sic mundi curas deseruisse potes.
Me quoque fac Matris clypeoque et nomine tutum
  Caelestes animo quaerere divitias.

1717.

Qui pro Te totis exarsit, Virgo, medullis
Nerius, atque tuo vixit amore potens;
Subiiciat stimulos, residesque in pectore sensus
Excitet, ut Christum diligere incipiam.

1718.

Ascensio Domini.

Christus abit, patrias remeavit victor ad oras,
Laude triumphali cui Patris aula sonat.
Ne tamen assiduo foedaret gaudia luctu,
Ereptasque sibi terra doleret opes;
Ipse sui, tristes animo miseratus, amoris
Impositas Matrem iussit obire vices.

1730.

Εὐάγεσιν τελεταῖς, Παναγερτατε, καινὸν ἔδεθλον,
Πρὸς σέθεν ἠγάθεον τὸ κλέος οὐκ ἴκανον,
Τεῦ ὄνομ' ἀζόμενος μετὰ ἱκεσίης ἱέρευσα,
Τοῦ Πετρου καλέσας βωμὸν ἐπωνυμίην·
Ηματι τῳ μνήμην σεβομεν Νεριοιο Φιλίππου,
Εκ τῶν ζητήσων παισὶ συνηγορίην,
Τοὺς ἔτι νηπιάχους καθ' ἑὸν Πέτρος ἔκτρεφεν οἶκον,
Ως φυτὰ τὰ Χριστῳ καρποφορησόμενα.
Παρθένος ἀρχομένοις τάδε ἄισια πάντα τελείοι,
Πάντα γενοίτ' αὐτῆς δέξια λισσομένης.

27. MAII.

1719.

Te sensus animi, Te mens, Te carmina quaerunt,
Mater; sola animos quae satiare potes.
Te cum suspicimus, sedatis protinus undis,
Tranquillos Christi pax tenet alma sinus.

1720.

Dum Mariam canimus, tristes abscedite curae;
Cantibus his liceat delicisque frui.
Nostri virgineos foveant hi cordis amores,
Hi tergant aegrae mentis amaritiem.

1721.

Quae coelum exilaras, quae terram, Virgo, tueris,
Et famuli pergis quae memor esse tui;
Ne nos materno studio curaque relinquas,
Ne incauta infidus pectora mundus agat.
Et saecli quamquam species et gloria fallax
Inter tot rerum se docet ipsa vices;
Coelestes animo praebe, Virgo inclyta, sensus,
Ne caecus mundo cum fugiente cadat.

28. MAII.

1712.

Festum S. Philippi Nerii.

Quae Nerii totas exussit flamma medullas,
Fregit et angustos igne vorante sinus;
Incendat nostros, Mater dulcissima, sensus
Atque ardore pari pectora corripiat.

1713.

Dulcis amor sanctusque tuus, castissima Virgo,
Est mihi sidereo lumine splendidior:
Suavior hyblaeis favis ac ditior auro,
Nobilior sceptris et nive candidior.
Non mihi res inter cunctas optatior ulla est;
Hic mea, sed solus, pectora possideat.

Digitized by Google

1719.

Pentecoste.

Discipulos inter flammantia verba serentem,
  Dum profert summo vota precesque Patri,
Invenit Mariam diffuso Spiritus igne,
  Totamque implevit luce micante domum
Sic quas, Virgo, colis lucupletat Spiritus Aedes,
  Felices Tibi se qui sociare valent.

1727.

Corusca signis sanctae imago Virginis
  Lucana lustrat moenia,
Olim stupendis quam Deus miraculis,
  Ut terror esset hostibus,
Altae per aevum, nostra ad usque tempora,
  Testem dedit potentiae.
Votis inanis, lucra avarus persequens
  Aleator, ira percitus,
Infanda ab ore dicta caecus evomit,
  Divi execrator nominis.
Quin ausus ultra quam nefas unquam tulit,
  Christi ora saxis appetit.
Subduxit at complexa Mater ictibus,
  Juque alterum transfert latus.
Livore sed materna foedat pectora
  Furentis e manu lapis.
Concussa diris terra coeptis horruit,
  Hiansque mostrum sorbuit.
Tunc quam referret picta imago vindicem,
  Mersus profundo intelligit.

1730.

Παρθένε, ἣ βασίλεῖ μέγαρον πολύκλειτον ἔτευξας,
  Αρμενον ἀθανατῳ δῶμα τύκουσα Θεῳ,
Η νέον ἠϊθέοις Πέτρου ἡσυχίω ἔνι χώρῳ
  Τῆς ἕδος εὐσεβίης οἴκιον ἐκτέλεσας,

Ιεμενοις ὁδὸν ἄρχε, καὶ ἡγεμόνευε μετοίκων,
Τουσδε διά ζαθεην εὐοδίην κομίσον.

29. MAII.

1727.

Jam dudum gemitu, et lacrymis pulsamus Olimpum,
Gratia nec referat commiserata fores.
Crebrescunt populi voces, plebs caeca susurro,
Effractas leges et sacra iura dolet.
Eheu! quam ludit clamosa calumnia vulgus!
Quot ciet effictis murmura criminibus!
Aurum iustitiae, sanctis insultat, et aris,
Praedonum miscet fasque nefasque manus.
Cursibus incertis iam publica iura feruntur,
Perverso paucorum ut sedet arbitrio.
His furit insanus verbis mordacibus ardor,
Hisque gemit dictis qui bona pacis amat.
Sepositas etiam penetravit rumor ad urbes,
Nec veterem cultum fama Sionis habet.
Quisquis Apostolici laudat decora inclyta Patris,
His tentata dolis insidiisque gemit.
Simplicibus ne perturbent dicteria mentem,
Sanctique imperii ne decus inficiant;
Garrula quae alloquiis exultant ora malignis,
Obstrue, tartareum et disiice, Mater, opus.

30. MAII.

1715.

Ascensio Domini.

Christe Patris splendor regnis caelestibus infers
Ora, quibus dudum terra beata fuit.
Gens Tibi dicta tamen ne lugeat orphana, Matrem
Semper adesse sibi sentiat illa tuam.

1718.

Auspice Te curae, quae pastoralis alumnos
Dirigit, alma Parens, tertius annus init.
Sit, precor, angelicis virtutum fructibus uber,
Nec nebula inficiat criminis ulla diem.
Sed studium Sophiae, virtutis crescat et ardor,
Ac vigeat pietas viribus aucta novis.

1720.

Virginea adspiret studiis properantibus aura,
Digna ut Sanctorum laudibus obveniant.
Quaequae ducem Matremque volens se praebuit illis,
Et studiis veniet facta magistra meis.

1721.

Spiritus aethereis flammas dum spargit ab oris,
Fac puros pandant pectora nostra sinus.
Ut cor frigescens coelestis hauriat ignes,
Te et fontem vitae conciliante bibat.

1727.

Condictis dum Cana parat convivia taedis,
Adesse gestit nuptiis;
Discipulis Christus comitantibus; est ibi Mater
Justo advocata foederi.
Tunc epulas inter medias et gaudia mensae
Vinum cubantes deficit.
At ne laetitiam inficiat pudor, ipsa monetque
Mater, rogatque Filium.
Ille sed oblitus veteris velut esset amoris,
Sic postulantem reppulit.
Conscia consilii tamen Illa haud obstitit orsis,
Quin et ministros edocet,
Protinus ut Nati, quae det mandata, facessant,
Queis ille dicto praecipit,
Ut circumpositas bis ternas prorsus ad oram
Aquis replerent hydrias.

Mox haurire iubet; quod Symposiarcha stupenti
Ut ore primus attigit,
Quod sponsus vina, increpitat, meliora reservet
Extrema ad usque fercula.
Imperium Christi, ac divina potentia primo
Hoc claruit miraculo.
Signis prima dedit precibus sic ordia Mater
Orta unde caepit et salus.

1728.

Sceptro clara, fide sed clarior Heduvigis,
Laudatur miro Virginis obsequio.
Dulcia nam carae quo cerneret ora Parentis,
Semper in exiguis picta gerit tabulis.
Virginea intentos oculos dum pascit imago,
Virgineus mentem fortius urit amor.
Edita per tabulas firmant miracula cultum
Aegris admotae quae mala cuncta fugant.
Si Tibi cara Dei, cara est si gratia Matris,
Assidue ante oculos sit pia Virgo tuos.

31. MAII.

1719.

Tempora sera vocant consueta carmina laudis,
Lassa licet curis pectora deficiant.
Et placet in gravibus quamvis studiisque malisque
Impensum Matri carminis officium.

1720.

Tota tuis coeli pendet de nutibus aula,
Laetaque Virgineo subditur imperio.
Te Matrem Dominamque vocat, precibusque salutat,
Laudibus atque tuis undique terra sonat.
Te timet, ac pavidus tua nomina tartarus horret,
Sic triplicis regni iura suprema tenes.

1721.

Si cupis optatam mens inter praelia pacem,
Ad Mariae tutum confuge laeta sinum.
Virgineumque tibi tribuat solatia nomen,
Qno nihil in nostra dulcius aure sonat,
Hoc tumidos sternat iactato in pectore fluctus,
Pacis, et aeternae pignora det patriae.
Hoc regat errantes, hoc vitae dirigat actus,
Atque hoc sit dubiae fax bene fida viae.

1. JUNII.

1712.

Praesidiis mihi, Virgo, dies ceu lumine signas,
Nec sine luce tui muneris ullus abit.
Hic tamen, Alma Parens, donis cumulatur opimis,
Immeritumque novo subvehit officio.
Hic Vaticanae librorum praeficit aulae
Quae veterum doctas fida tuetur opes.
Munera quae famulo, Mater, largiris et auges
Da vigili servet mente parique fide.

1720.

Stanca di mille cure e quasi assorta
Pur con fervide brame e con ardente
Desio la nostra mente
A venerarvi, o Madre, umil si porta.
Che se l'alta pietà, di nostre voglie,
Non l'armonia del canto,
Ma il suon divoto e santo
Benignamente accoglie,
Sovra ogni canto leggiadro e sublime
Saran le nostre rime.

1721.

Pentecoste.

Munda sinus ubi, Virgo, sedes et Numinis ignes
E caelo expectas corde calente novos:
Si mihi tunc cupido licuisset, Virgo, sedere,
Tum pectus flammis concaluisset iners.
Atque tuos animus pariter succensus ad ignes,
Hausisset gemino protinus igne focos.
Ultro divini coleret sic dicta magistri,
Nec segnis noster Te sequeretur amor.

1730.

Quae nova Te, Mater, duce et auspice, tecta subimus,
Ipsa patrocinii sunt monumenta tui.
Tu mandas, Tu ducis opus, Tu commoda vitae
Cuncta paras, veteres commiserata vices.
Pauperies quamvis impensas arcta negaret,
Ulla nec humanae spes superesset opis,
Principis inflammas animos, aeraria pandis,
Curamque Albano in pectore laeta foves.
Sic instructa pios moles se tollit in usus,
Ac tranquilla sacris otia dat studiis.
Obstrepit infestis haud hic vicinia turbis,
Nec populi fremitum praetereuntis habet.
Sed servant hilarantque silentia grata recessum,
Quae officia et sensus relligionis alunt.
Ergo tuere novis, Mater, tua munera donis,
Virgineo ut crescat numine digna domus.
Dissidia et morbos procul hinc tua iussa facessant,
Nec pateat stygiis insidiis aditus.
Pax regat, integritas, candor, pietasque palaestram;
Doctrinis, studiis, moribus ipsa praees.
Ut quos hospitio ad patriam dignaris euntes,
Post iter aeteruis sedibus excipias.

2. JUNII.

1712.

Benchè a la vostra lode infermo e stanco
  Poco l'ingegno mio cantando s'erga;
  Del vostro nome pur le carte verga,
  Che d'invocare umile unqua non manco.
Se lieto son, Voi chiamo; e Voi pur anco
  Chiamo, Maria, benchè tristizia immerga
  L'alma sovente, e d'amarezza asperga
  Il cor, ch'a Voi drizzar mai non mi stanco.
Voi ristoro de' mali, e Voi speranza,
  Voi conforto agli afflitti, e Voi sostegno,
  Beato chi ad amarvi ogn'ora s'avvanza.
Siate scampo sicuro a' miei perigli,
  Date coraggio a lo smarrito ingegno,
  Gioia, pace e tesor de' vostri figli.

1720.

Aedis ad officium pueris, quos Petrus alumnos
  Delegit, Mater, nos nova cura vocat.
Numine Virgineo iam quattuor egimus annos,
  Prospera nec famulis defuit aura tuis.
Nunc age et in quintum praetende precantibus annum,
  Maternas peragas quod vigil excubias.

3. JUNII.

1712.

Torbide notti, e più turbati giorni,
  Mesta la compagnia, noiosa e trista
  Provo la solitudine; e la vista
  Par che sempre a l'orror s'aggiri e torni.
Infra gli oggetti più leggiadri e adorni
  La mestizia del cor più forza acquista,
  Ed ad ogni pensier sì forte è mista,
  Che non trovo ragion che mi distorni.

Digitized by Google

Ma al vostro nome sol, Stella serena,
  Madre di vera pace, il duol si calma,
  E la tempesta ria si rasserena.
Ei del patir mi fa sperar la palma,
  Fammi la doglia di contento piena,
  E lieve il pondo de la grave salma.

1722.

Cum Mariae species animo, cum cura recurrit,
  Dulcescit vita haec quidquid amara vehit.
Nec rumor, nec fama trahit, nec splendor opesque
  Nostra aut deliciae pectora decipiunt.
Omnis at in patriam caelorum sensus anhelat
  Cernere et optatae Virginis ora cupit.

4. JUNII.

1712.

Alta premit tristes languenti in pectore sensus
  Tristitia, et rerum taedia moesta parit.
Dulcescunt tamen illa, meo quum saepe Parentis
  Virgineum Mariae nomen in ore sonat.

1718.

Dum capiti insultant, renovantque incommoda morbi,
  Nostris certa malis, Virgo, medela veni.

1720.

Promere si liceat, condunt quos pectora sensus,
  Quaeque tuus tacito in corde revolvit amor;
Late virgineos afflarim carminis ignes,
  Nec sterili cantus murmure segnis erit.
Impius at nostro fortasse illuserit aestro;
  Non tamen his doleam displicuisse viris.

1723.

Insolitos Maius quamvis afflaverat aestus
Jam veris ultra terminos
Hiberni rediere noti, pluviaeque nivesque
Montes et agros obsident.
Mutavere vices nam tempora, noxia campis,
Vitae et saluti noxia.
Vitibus agricola et maturis frugibus horret
Clademque pomis anxius.
Dumque frequens gemino nigrescit cardine nimbus,
Strepunt e caelo fulmina.
At pulsa ingeminant quae tristibus aera pavorem,
Ad Te vocandam excitant.
Sic timor eximitur, lux pura et reddita caelo
Fractis renidet nubibus.
Sic redit atque avidis spes non incerta colonis
Praelique messisque uberis.
Et nobis haec sustentant pia vota salutem
Aestiva passis frigora.

5. JUNII.

1718.

Quae triplicem, Regina, geris redimita coronam,
Aeterni Mater, Filia, Sponsa Dei;
A morbis corpus, mentem animumque tuere,
Ut Trino placeat mens animusque Deo.

1720.

Virgo quibus late quatit artibus haeresis orbem,
Inque Petri sedem quae ciet arma, vides.
Foedera Borussi renovant atque accola Rheni,
Hisque venit validas Anglia suppetias.
Ipse etiam in fidei coniurat damna Batavus,
Et quotquot ludit caeca superstitio.
Ergo ades, imperium Christi Petrique Cathedra
Rideat intentas sub tua signa minas.

Digitized by Google

Compesce audentes, malesanaque foedera rumpe,
Styx nigra Te nobis sentiat esse ducem.

1721.

Quas Christo, quas, Virgo, Tibi pro munere grates,
Et memori atque humili pectore et ore feram?
Post varias Tu prona vices nos reddis in aedes,
Quèis longo per Te degimus hospitio.
Tu perge auxilio, Mater, refovere rogantem,
Muneribus crescant ut tua dona novis.

1724.

Dies adauctis faustus honoribus,
Qui Palatini muneris admovet
Curis et adjungit vetusto
Laeta novos titulos labori;
Testatur altae dona potentiae,
Divae et Parentis praesidium docet,
Tum gratias tantis agendas
Pro meritis monet ut paremus.
Ergo dicati munera carminis
Sublimiori, si licet, alite
Matri feramus, concinentes
Propitiam famulis piamque.
Contra furentes hanc quoque vindicem
Hostes vocemus, comprimat ut suo
Nutu catervas inferorum,
Et rabidas Erebi procellas.
Frustra minaces cerberus exerit
Linguas; nocendi fidit et artibus,
Armata flammis et veneno
Tisiphone furibunda. Cedunt
Pericla, Mater si iubeat potens.
Quin bella palmas ut pariant novas
Illata cernuntur, novisque
Addere materiam triumphis.
Ades rogantis, Virgo, laboribus,
Tuere vires ac valetudinem
Ut serviat Patri iubenti
Nec studiis inhiet faventum.

6. JUNII.

1713.

Quel sacro dolce eterno e divin foco,
Ch' il vostro cor di nuove fiamme accese,
A scioglier il mio giel pietoso invoco.
Che se da Voi fian le mie preci intese,
Foco sarà la gelid' alma anch' ella.
Madre benigna e bella,
Datemi quello spirto per conforto
Che degli afflitti e la salute e 'l porto.

1719.

In caedes et damna ruunt, quos nominis umbra
Vel cupidos auri regia dona trahunt.
Nos Mariae cultum, Mariae nos signa sequentes
Auspicia ad pugnam quam meliora vocant!

1721.

Ara Caeli.

Hic ubi tot Divùm coluerunt monstra Quirites,
Virgineus Mariae nunc celebratur honor.
Hic sedet, et celsam Francisci gens tenet arcem,
Non auro, at fidei gens bene dives opum.
Romulidùm haud tantas olim Tarpeia Tonantem
Arx vidit turbas tunc adiisse Jovem;
Quantas ad Christi Matrem bona dona rogantes
Nunc videt in Mariae nomine ferre preces.
Testantur tot signa vices, quae splendida quondam
Cultaque, nunc aevo pressa situque iacent.
Impia vesani tersit vestigia cultus,
Quae Caeli Ara colit Matris honore Deum.

7. JUNII.

1716.

Qui pontum nutu, terras, caelumque gubernat
  Trinus in eximia simplicitate Deus;
Te Matrem, Natamque sibi, Sponsamque coronat,
  Quae potes una triplex commeruisse decus.

1720.

Corporis ut tantis studiis reparare salutem
  Nitimur, atque agimus noxia cuncta procul;
Fac animi, Mater, simili sint commoda curae,
  Aeterna et vera de pietate salus.

1722.

Longa Nomentanam spectat qua semita portam,
  Et locus obiectas prospicit Exquilias;
Clara triumphali victoria nomine signat
  Virgineis titulis templa dicata Deo.
Haereseos referens dudum monumenta subactae,
  Cuius Virgo manu vindice fregit opes.
Caesareas acies ad certam praevia palmam
  Impulit, et victrix Romula signa tulit.
Hac duce sacrorum Germania servat avitas
  Leges, et Petri iura vetusta colit.
Quisquis adis positam auspiciis victricibus aedem,
  Da votis grates et pietate pares.
Ut similes liceat sperare ex hoste triumphos,
  Virgineamque tibi pollicearis opem.

Digitized by Google

8. JUNII.

1712.

Rusticatio.

Undecimus, Christi qui pascit ovilia Clemens
  Gandulphi, ut vires firmet, ad arva venit.
Me comitem famulumque sacri Tu Principis addis,
  Jactatum ut morbis otia restituant.
Da pulsis liquidum nimbis clarescere caelum,
  Da tristi madidos imbre silere notos.
Da quoque Romuleas reparato corpore sedes,
  Virgo, tuis fretus praesidiis repetam.

1719.

Festum Corporis Christi.

Ne nos, Virgo, tuus discrimina deserat inter
  Filius arcani munere consilii;
Per nova divinas miracula contulit artes,
  Et nutu et nostrae gentis amore potens;
Se in sacros epuli nobis contemperat usus,
  Cordibus in nostris iugiter ut maneat.

1723.

Heu! cur negatis carminibus piger
In laude torpet virginea stylus?
  Cur verba, cur insueta sensus
    Desidies cohibet secundos?
Jam prisca tractet plectra valentior
Camoena, Matris dedita cultibus,
  Atque excitet vires inerti,
    Otia quas retinent veterno.
Jam linquat imas purus amor plagas,
Caeloque liber convolet, aemulos
  Ut voce cantus supernis
    Aligerûm societ camoenis.

Haec sancta vitam pabula nutriant,
Mundique amaris fluctibus eruant;
Queis mersa iactantur per aspras
Pectora tristitiae procellas.
Tunc nulla mentem cura vel arduis
Commota rebus sollicitat sinus,
Cum dulce nomen, cum Parentis
Et merita et titulos canemus.

9. JUNII.

1715.

Festum Pentecostes.

Illapsum memorat superis quae Numen ab oris,
Sanctorumque colit corda perusta dies;
Haec me non meritum per Te, Virgo, auget honore,
Inque tuas laudes hic quoque cedat honor.

1718.

Numinis aeterni sacro quo incenderis aestu,
Hoc pueris, Mater, corda calere velis.
Ut sanctis flagrent studiis Te pone sequentes,
Sitque illis vera de pietate sitis.

1726.

Quid dulci Maria prius canamus?
Quid soles referat sereniores?
Haec mentis reficit graves labores,
Jactatosque fovet sinus, amaras
Cordis sollicitudines repellens.
Haec nostras superis choris camoenas,
Haec infert animum plagis Olympi.
Jam laudes igitur pias Parentis
Dicat quisquis amat colitque Matrem.
His pendat studiis stylus diurnas
Horas, noctis et his silentis horas.
Quid dulci Maria prius canamus?

Digitized by Google

1729.

Αγκος Ιωσαφατ τοῦ ουρεος ἐγγὺς ἐλαιῶν
Λοῖσθα καταστήσει φοβερὴν ὅθι Κοίρανος ἕδρην,
Ναίεταον μέγας Αρσένιος ζαθεὸς τε Παλαιμὼν·
Μνήμονε δ' ἐσχατίης ὥρης κρίσεώς τε δίκηστε,
Κόσμον ὅτ' ἀτρεπτὸς διακρίνῃ παντα δικάστης,
Ωδε, πρὸς ἀλλήλους θεοφίλτατοι ἄνδρες ἔνισπον.
Αρσένιος δὲ πρῶτος ἐπέφραδε καὶ προσεειπεν.

Ars. Ενθα πανυστάτιον θνητῶν γένος ἦμαρ ἀγείρον
Οὐρανίοις αὐτοῖσι φόβον καὶ δεῖμα κατοισει·
Αλλὰ κρίτη προφίλη βασίλισσα παρήγορος, αὕτη
Ελπὶς τῶν φυγαδων φοβερῶντ' επιθάρροθος εσται.

Pal. Ενθα κρίσις καὶ ἔνθα κακῶν ἀγαθῶν δέ τ' αμοιβη,
Ως θῶκου ὁ Χριστος ἐφήμενος ἔργα δικάζῃ·
Ηπιος ἀλλ' ὑιῳ ἡ δεξιόφιν καθεδεῖταί
Δεσποίνη, ἐνώχον ἵλαος προστατὶς ανδρῶν.

Ars. Δεῦρο ποτ' ἡ σαλπιγξ φθιμένους καὶ ζῶντας ἀθροισει,
Καὶ βίβλος ἁπλωσει ὁσίων τάδε ἔργα κ' ἀλιθρῶν·
Συνδικίη τότε πτωήσει καὶ μῆνις Ανακτος,
Αλλὰ κραταιωσει τόδε εὐσεβὲς ὄμμα τοκῆος.

Pal. Ως ἀπόδῳ νέκυας τὰ μνήματα εἰς φάος αὖθις,
Παντόθ' ὑπευθύνους μέγας Αγγελος ὠδεκαλεσσει·
Φρίξουσιν πάντες καθαρὴν πλάστηγγα θεοῖο,
Οὗς ἔμπης γενέτειρα Θεοῦ μύθοισιν ὀνήσει.

Ars. Ρῆμα πανυστάτιον πυρὶ λευγαλέους κατακρίνον
Μισθον ὑπερβασίης ἀδίκοις τιμήν τ' αποτισει·
Τοὺς δὲ κοτεσσαμένη ἐνάρους, Μητὴρ περ ἔουσα,
Εἰς ἀΐδαο πύλας δεσποίνη κ' αὐτικ' ελάσσει.

Pal. Εὐαγέας τούς εὐσεβίης φέλον ἦτορ ὁπηδοὺς
Γηθοσύνους καλέσει βασιλεὺς εἰς οὐράνιον δῶ
Τούς Μητὴρ ἀσπαζομένη αποδεξεθ' ἅπαντας
Λξει καὶ μεθ' ἑῆς καθαρὰς εἰς πατρίδος αὐγάς.
Ως ἄμφω τοίας μέλψαντες επαυσαν ἀοιδὰς,
Αλλότε δη τρόμεον, καὶ αλλότε πολλ' εχαρησαν.

10. JUNII.

1818.

Tu Patre stelliferas adeunte potentius arces,
  Exiguum servas una relicta gregem.
Sic pueros serves, sic et vestigia firmes,
  Ne infesta diri daemonis arte ruant.

1720.

Ad Mariam rapidi cordis properetis amores,
  Illic tuta quies atque levamen erit.
Illa graves animi solabitur una labores,
  Corporis illa etiam triste levabit onus.

1722.

Olim Circenses ubi vidit Roma furores,
  Intulit et fictos pompa superba Deos;
Marmoreis populus cuneis ubi sedit, ab auro
  Regibus et steterat nomine dicta domus;
Brassica desertos nunc opplet et intyba campos,
  Spectatumque refert umbra nec ulla decus.
Exigua aethereae surgit quae Virginis aedes,
  Annorum potuit sed reparare vices.
Clarior haec veros Mariae testatur honores,
  Quam falsos moles marmore ducta Deos.
Quamque loci faciem foedavit coeca vetustas,
  Haec pura illustrat relligione domus.
Clamor ubi et studiis adversa licentia mores
  Et rixa et furiis perdidit atque odiis;
Nunc pacem pia turba rogat, tacitoque recessu,
  Muneribus sacris officiisque vacat.
Hic reficit vires et fundit vota viator,
  Extremaque frequens civis ab Urbe venit.
Squalida sint quamvis circum loca, Virginis almo
  Nomine nunc cultu nobiliore nitent.
Sic periisse invat veteris miracula saecli,
  Augurio reparat quae meliore fides.

Digitized by Google

1727.

Templum Parthenis incolit
Imis a studiis procul ;
Et caelestibus abdita
Mente et corde negotiis,
Uni sola vacat Deo.
Felix indole, gratia,
Votis, officio, et fide.
Electam sibi quam Trias
Cunctis praetulit hostiis.
Non illam retinet domus,
Non aetas retrahit; moras
Abrumpit pietas, amor
Sacris claudit in Aedibus.
Nunquam ditibus auctior
Mons Sion opibus fuit.
Tunc infusa recens diem
Lux sacris tulit abditis.
Arcam cernere foederis
Claro in lumine tunc fuit,
Ac mysteria, quae latent
Arcanis veterum typis.
Mystarum obstupuit cohors
Sic annos superat fides,
Flamma et pectoris emicat
Haec vestigia parvulae
Ardoremque sequi decet.
Quid tanta retinet duce,
Quin nostra properet fides?

11. JUNII.

1713.

Une Deus, qui trina simul dum regna gubernas,
Unum de triplici lumine lumen habes:
Per Mariam (quid enim rerum Tibi gratius unquam?)
Hospitis o precibus redde salutis opem.

1720.

In Te, Virgo potens, in Te spes tota recumbit,
Nititur atque tuo numine nostra salus.
Hanc Tibi laetanti studio votisque dicamus,
Laudibus atque utinam serviat illa tuis.

1722.

Qua Tiberis flexo praelabitur unda flueuto,
Ripaque vulgato nomine dicta iacet;
Culta nitet lecto de marmore Virginis aedes,
Ad pia Christiadùm muuera dives opum.
Affluit in varios usus ubi sacra supellex,
Splendet et augusti pompa ministerii.
Pictura atque auro laquearia summa renident,
Ornatque electus splendida strata lapis.
Organa mirandum referunt ubi celsa laborem,
Et pretiosa tegunt undique vela domum.
Proximus augurium sedi dat nominis hortus,
Namque typum Sanctae Virginis hortus habet.
His mente atque animo liceat spatiarier hortis,
Hic liceat caeli carpere delicias.

1730.

Per longas viduata moras Ecclesia luctum
Ingeminat, lacrymas et gemebunda ciet.
Invocat aeterni vitalem luminis auram,
Quae liquidum tenebris afflet amica diem.
Imperii ne caecus amor laudumque cupido
Divinum turbet, vel remoretur opus.
Conciliet varias una ut sententia mentes,
Ac pulsis nectat pectora dissidiis.
Quem siquidem populis dederit concordia patrem
Filius ille, sacro in munere, pacis erit.

12. JUNII.

1719.

Stulta supervacuis rapitur mens dedita curis
  Queis saepe inflicto vulnere sera dolet.
Ac meritas invita luit pro crimine poenas,
  Quod terat apta tuo tempora servitio.

1720.

Colui, che tutto puole
  E ch' al suon d' una voce
  Il Ciel, la terra, il mar, le stelle e 'l sole
  Trasse dal nulla, e fabbricò veloce,
  Nè qua giù fece mai, nè colà sopra
  Di Voi più bella, e più mirabil opra.

1722.

Virgineis late resonet quod laudibus orbis,
  Barbaricisque frequens quod colat ara plagis;
Omne quod ingenium scriptis librisque Parentis
  Certatim ad caelum nomina laude ferat;
Perfundit nostrum mira dulcedine pectus,
  Maternoque animus gestit honore frui.

1726.

Nec fugit oblatos, raptos nec luget honores
  Pacato fortis pectore Paulucius (*a*).
Rumore haud hominum capitur, nec ducitur auro,
  Rectique et iusti sola cupido tenet.
Rara inerat menti et gravibus sapientia dictis,
  Mira serenatae gratia frontis erat.
Laeserat haud quemquam verbis, haud laeserat ore,
  Cunctis eloquio blandus et officio.

(a) *Fabricius Paulucius S. R. E. spectatissimae virtutis Cardinalis, ac Romanorum Pontificum Clementis XI. et Benedicti XIII. summae rei a Secretis.*

Sublatum quaerunt privata et publica vota,
  Atque utinam revocent, inveniantve parem.
Sancta Parens, mundique potens tot damna rependat,
  Quemque dedit caelo, nolit abesse suis.

13. JUNII.

1718.

Virgineo tristes dulcescunt nectare curae
  Ad Mariae absistit nomen amarities.
Virgineae nebulas tergunt de pectore laudes,
  Queis nigra cum luctu toedia diffugiunt.

1719.

Vindice Te Summus febrili Pastor ab ictu
  Convaluit, facili quem regis auxilio.
Tu serva incolumem, reparatae ut dona salutis
  Conferat in populi commoda longa tui.

1720.

Fons pacis una et gratiae
  Metus repellens invidi
  Regina spes mortalium,
  Caelique splendor et decus:
  Inter tenebras saeculi
  Mens tristis ut Te respicit,
  Tanquam sereno e cardine
  Laetatur ortu luminis.
  Cum Te sequendo diligit,
  Jam laeta terras despicit,
  Jam tuta portum contigit,
  Cum Te colitque et invocat.
  Tunc nullus urget anxia
  Languor metusque pectora;
  Sed pax serena tunc sinus
  Mentemque laetam possidet.

14. JUNII.

1712.

Intenta o pavido dispelle pericula, Mater,
Confidensque tuo nomine tutus erit.

1719.

Qui Mariam colitis, submisso carmine laudes
Solvite, laus nunquam iustior ulla sonat.
Laudibus et verae superaddite vota salutis,
Illa etenim est nobis certa favente salus.

1720.

Jugi Mariam colimus
Languente licet studio
Laudis, nec amat potius
Curis aliis animus
Intendere se, memorem
Sic urget amor, fidei
Sic gratia redditur, ut
Quae accepimus ex superis
Illa refovente bona
Illi in titulos redeant.

1723.

Lassata torpent robora,
Mentisque virtus languet et ingeni,
Vix ut vocemus supplices
Carum Parentis nomen amabilis.
Nam Musa quidquid debitis
De Matris audet condere laudibus
Conatur aut quidquid stylus,
Vis pressa curis eloquii iacet.
Est causa tanti sed mali,
Nullis quod ardet pectus ab ignibus.
Imis sed haeret impotens
Ac tota fluxis cura ngotiis;

Digitized by Google

Mansura nec quaerit bona,
  Divina caeli gaudia negligit.
Frigentis ergo pectoris
  Tu, Sancta Mater, segnitiem excute.
Par ut canendis laudibus
  Te mens dicato carmine concinat.

15. JUNII.

1712.

Crimina si reputas, animi quibus intima sordent,
  Sperare auxilium non mihi, Virgo, licet.
At si materno languentem respicis ore,
  Est mihi languores, Virgo, timere nefas.

1179.

Quae desiderio studiorum subiicis ignes,
  Fac, Mater, vires corporis esse pares;
Ut Tibi, Virgo potens, et Christi laudibus aptum,
  Moribus ac studiis serviat ingenium.

1720.

Benchè con stil dimesso informe e roco
  Vostre sublimi eterne laudi io canto,
  E 'l vostro dolce e santo
  Armonioso nome, o Madre, invoco;
  Pur s' accende un tal foco
  Di puro e santo affetto
  Nel mio gelato petto,
  Che da la bassa terra al Ciel m' invola,
  Ed ogni danno e duol tempra e consola.

Digitized by Google

16. JUNII.

1713.

Praestolatur opem tentandi vulneris hospes,
Per Te sit, Mater, crastina fausta dies (*a*).

1715.

Trine Deus, sanctam cumulas qui munere Matrem,
Aeternumque polo tollis ad imperium;
Te colimus studiis Dominum, Te voce fatemur;
Haec nos tartareo servet ab hoste fides.

1720.

Te sequimur, dulcis Mater, quocumque vocaris,
Te morum normam, consiliique ducem.
Sic nos nec serpens caecis emissus ab umbris,
Nec mundus structis territat insidiis.

1721.

Nunc lassae vires retrahunt, nunc cura salutis,
Ne mens officiis ingeniumque vacet.
Da, Mater, sanctis aestum devincere flammis,
Temporis obiectas et superare moras.

1723.

Felix superno qui vocatus lumine
Et igne Sancti Spiritus
Fallacis artes conspicatus saeculi,
Mundo remisit nuncium.
Atque in remotas solus a curis procul
Silvas recessit, gestiens

(a) *Forsitan hic sermo est de Cl. Viro Nicolao Copassio, qui quum Romam petiisset, ut a lithiasi morbo curâretur Auctoris domo diversatus est.*

Digitized by Google

Sibi vacare rebus et caelestibus.
  Ut Matre fretus auspice
Hostes triumphet victor, atque adoream
  Caelo repostam comparet.
Illic furentes ridet aulae turbines,
  Motusque temuet civicos.
Seu bella flagrent sive pestis enecet.
  Seu cura avaros torqueat.
Securus illae verae pacis obtinet
  Fructus negatos urbibus.

1730.

Quisquis adis laetas hortis et fontibus aedes,
  Quae mole et cultu splendidiore nitent;
Musarum curas ubi purior aura secundat,
  Ac Sophiae studium nutrit amica quies;
Caelestis pietas quod Petri legit alumnis,
  Auspice confectum Virgine cernis opus.
Hanc recolas gratis de pectore sensibus, almae
  Sic mora praesidio digna Parentis erit.

17. JUNII.

1715.

Christi Sancta Parens gemitus ne despice nostros,
  Et bona da saecli lubrica despicere.
Tristitiam lentosque metus curasque paventes
  De nostro penitus discute, Virgo, sinu.

1717.

Annue supplicibus, Mater dulcissima, votis,
  Et da, quod petimus, lumen et auxilium.
Sed nos ut Tu reiicias, Pia Virgo, rogantes,
  Vita heu! tot vitiis contemerata facit.

Digitized by Google

1719.

Qui pueros sanctis, Pia Mater, moribus ornet,
  Et vera Christi de pietate regat;
Quique meos ternis admissos providus annis
  Emendet lapsus, damnaque restituat;
Ille precor, veniat tua per suffragia lectus,
  Quique tuo valeat dignior auxilio.

1723.

Terras morasque saeculi,
  Mundi tumultus, et leves
  Spes atque inanes noenias
  Curae canentis linquite.
Ad astra pennas pandite
  Ac per beata patriae
  Semper patentis limina
  Matrem salutis quaerite.
Innixa sublimis throno
  Christo propinqua considet,
  Deumque claro in lumine
  Et ipsa fulgens adspicit.
Nec vota nostra, nec preces
  Oblita terrae negligit:
  Audit gementes filios,
  Quos et iacentes allevat.
Grates Parenti debitas
  Ob dona parta reddite,
  Ac de futuris praemiis
  Vota flagrantes fundite.

18. JUNII.

1719.

In quartum curam puerorum protrahis annum,
  Auxilii et profers signa secunda tui.
Ergo alacres onus impositum curamque subimus;
  Tu tamen auspiciis mentem, animumque regas.

Digitized by Google

1720.

Regina summi cui dedit imperi
Tremenda Christus sceptra rebellibus,
Et sortis aeternae beata
Jura tuo tribuenda nutu;
Tuere bello fortis in aspero,
Diroque serva mortis ab impetu
Quos mundus, et caecis lacessit
Tartarus insidiis et armis.
Hinc vana ludunt somnia credulos
Falsisque lactant pectus honoribus,
Hinc aura, rumor atque inanis,
Illecebris trahit hinc voluptas.
Accurre tantis, Diva, periculis,
Ac tela nutu noxia protere;
Ut palma, vita et pax tuorum
Virgineos cumulent triumphos.

19. JUNII.

1715.

Pervigilium Corporis Christi

Lux me sancta novis Collegis inserit, Aedem
Qui Vaticanam laude sonante colunt.
Fausta sit illa mihi Maria miserante salutem
Augeat, et sacris prospera sit studiis.

1718.

Quae trepidos cernis concusso in pectore sensus,
Virgineo validam numine profer opem.
Aestus ac tumidos irarum comprime fluctus,
Sentiat imperium dira procella tuum.

1719.

Ne morbi noceant, nostrove in munere turbent,
Tende, precor, famulo, Virgo benigna, manum.

Digitized by Google

1723.

Abeste tristes de pavido metus
  Sinu, potentis nam sumus in fide
    Matris supernó quae coërcet
      Imperio stygias phalanges.
Huius sub almo numine iam decet
  Sperare palmas, perque pericula
    Aptare certos ad triumphos
      Augurio potiore dextram.
Quicumque moestis incutitur pavor
  Jubente statim Virgine concidet,
    Atque inter atras lux serena
      Protinus exoritur tenebras.
Quin spes ab ipso parta venit metu,
  Vicesque mutant tristia, cum iubet
    Regina Clemens, quae perennem
      Laetitiam tulit et salutem.
Fruamur illa, dum favet, auspice,
  Purisque nomen sensibus et sacris
    Tollamus ad caelum camoenis
      Queis Superûm exhilaratur aula.

20. JUNII.

1719.

Ut nutu, Mater, morbos aestusque facessis,
  Sic inter fluctus, Diva tuere ratem.
Heu! quantis circum consistuunt artibus hostes,
  Et quantis urgent pectora nostra minis
At cum Te aspicimus trepidi, nomenque vocamus
  Et pavor et luctus protinus omnis abit.

1720.

Inter tot tenebras, quae nos fallunique, premuntque
  Lux tua securas monstret amica vias.
Insidias retegat, tenebrarum monstra repellat,
  Et regat in caeli tramite cordis iter.

1722.

Cur hominum laudes ubi carmine condimus, et cum
  Res humiles canimus,
Carminibus facilis tunc Musa adspirat et ausis,
  Ingeniumque valet:
At iacet ignavae torpens socordia Musae,
  Mensque moratur opus,
Cum decora et merita et nomen celebrare canendo
  Virginis occipimus?
Nosco equidem tacitas latitant quae in pectore causas,
  Ingeniumque premunt.
Scilicet offusa mersus caligine saecli
  Mens animusque simul,
Spes agitat fragiles, studiis atque incubat imis,
  Fixus amore solo,
Nititur hinc quamquam superas se tollere ad auras
  Haud petere alta potest.
Ferrea si miserans haec Mater vincula solvat,
  Ponderaque excutiat;
Andinas Musas tum carmina nostra sonabunt,
  Moeoniasque super.

1725.

Quis furor mentes rapit, et tumultus
Excit insanos, acuitque saevas
Civium diris odiis calenti
    Murmure linguas?
Heu! nimis caeco vomit et furenti
Corde, non sacras veneratus aras,
Vulgus amenti et querulus dolore,
    Crimina Patrum,
Comprime audentes, bona Mater; error
Ira livorque procul omnis esto.
Pareant ultro faciles iubenti,
    Actaque laudent.
Una sit cunctis populis voluntas,
Caritas Patri societ, libenter
Audiant sanctis monitis docentem
    Munera vitae

Digitized by Google

1728.

Suecas Emingus coleret cum sedulus oras
  Doctrinaeque ovibus pabula sacra daret;
Non nisi virgineis exordia ducit ab actis;
  Sic e flammato pectore verba fluunt.
Tardius intento quae contorquentur ab arcu,
  Aëra per liquidum spicula missa volant.
Quam quae post laudes et post praeconia Matris,
  Praesulis ex imo pectore verba movent.
Non vacuis unquam pulsantur vocibus aures,
  Queis venit e Matris numine principium.

21. JUNII.

1716.

Carmine et officio reparemus damna diei,
  Quae potuit Matris non meminisse meae;
Quaeque abiit tristis, tenebrisque voluta recessit,
  Ac sueto Mariam carmine non coluit.
Ergo alacres plectro laudes geminemus amantes,
  E caelo auxilium Mater ut ingeminet.

1718.

Haec me fausta dies patriis emisit ab oris
  Consaga est meritis quae recolenda tuis.
Haec iussit primas studiorum linquere sedes,
  Atque novos in te quaerere, Roma, lares.
Tu dux facta viae comitata es, Mater, euntem,
  Teque adii obtestans, Teque secutus iter.
Auspiciis sic digna tuis cessere roganti
  Omnia, sic meritis aucta priora novis.

1723.

Haud levius fragilis ventis agitatur arundo,
  Aut tumidis mare fluctuat austris:
Ocyor aut fumus tenues vanescit in auras,
  Vel turbo dispergit aristas:

Quam nostro si quid pietas in pectore sevit,
  Turbidus heu! saecli abripit aestus:
Atque leves sensus in partem flectit utramque,
  Jam rapidas excire procellas
Suetus, et improvido mentem turbare tumultu,
  Vix animo pulsa ut redeat pax.
Quis dabit instabili non flexile robur, ut ictus
  Immotus contemnat et undas?
At non deiicimur, Matrem cum lumina spectant,
  Quae fragiles confirmat et ornat;
Viribus excussos a casibus excitat, atque
  Vimque animumque imbellibus addit.

1730.

Quem Gonsaga diem merito sacravit honore,
  Matris Virgineis inclytus obsequiis,
Nulla meo fraudent ingrata silentia cultu,
  Ac memori abripiant tempora nulla sinu.
Qui faustus quondam patriis me eduxit ab oris,
  Romanum et Maria qui duce stravit iter.
Haec mihi Gonsagae meritis lux laeta recurrat,
  Haec regat, et vitae signet amica vias.

22. JUNII.

1718.

Tange chelyn, Pauline, tuam, quam saepe supernis
  Aligerum suesti consociare choris.
Nam numeris ornanda tuis fidibusque canoris
  Regina et Mater concelebranda venit.
Materies sanctis haud dignior ulla camoenis,
  Nec Vates Maria dignior alter erit.

1719.

Aunua dum redeunt cursus monumenta secundi,
  Cum licuit latia deproperare via.
Virgineo iustas ferimus pro munere grates,
  Atque novas humiles addimus ore preces:

Principiis cedant ut consona caetera faustis,
  Et quae me duxit Mater et illa regat.

1723.

Jam redit suetos iterante cursus
Sole, Consagae recolens honores,
Et mihi cantus memoranda iugi
    Lux sacra cultu.
Tecta cum linquens patriasque sedes
Jussa Clementis propere secutus,
Roma, Te quondam petii Quirinas
    Missus ad arces.
Exitus inter dubios metusque,
Cuncta cum mentem trepidumque pectus
Anxio vitae quaterent pavore
    Solis ad aestum.
Certa spes diva tamen a Parente
Votaque ad rerum dominum precesque
Quas gemens fudi, superumque numen
    Corda levabat.
Ac tuam, cuius meritos honores
Lux praeibat tum sacra coeperatque
Sensimus lucem facilemque ductum,
    Sancte Johannes.

1727.

Regina sceptris, sede, iure et imperi
  Terram polumque temperans,
Nutu procellas cordiumque nubila
  Quae pellis almo lumine;
Quot nostra iactant aestuantis pectora
  Fluctus tumentes aequoris;
Incerta puppis ut procellis horreat,
  Vagis ut erret cursibus,
Sublimis alto caeli ab axe despice,
  Miserta tristis servuli.
Offusa densis nox tenebris ingruit,
  Ventique miscent praelia.

Digitized by Google

Pallet gemitque vector, horror undique
  Urget quatitque pectora.
Clavo regendo qui praeest et assidet,
  Et ipse fertur fluctibus.
Tu stella ponti, quae refraenas impetum
  Noctemque lustras ut diem;
Ades gementis lacrymis Ecclesiae,
  Quae Te Patronam suspicit.
Lumen modumque, vim supernam consilii
  Infunde Patrum mentibus
Iras, et aestus obloquentium comprime,
  Pacisque sensus insere.

23. JUNII.

1715.

Haec me Romuleis, Maria duce, reddidit oris
  Carmine perpetuo concelebranda dies;
In Mariae cedant adversa et prospera laudem;
  Ad vitam cursus dirigat illa meos.

1718.

Luce hac Romanis olim successimus oris,
  Cum Tu dux, Mater, quam sequeremur, eras.
Urbanaeque morae iam nonum exegimus annum,
  Per laeva in varias, perque secunda vices.
Perpetuum, Regina, tuum sed sensimus usque
  Numen, praesidii nec variantis opem.
Ergo etiam auspiciis, decimus cum ducitur annus,
  In vota atque preces laeta rogantis ades.

1720.

Undecimus fluxit, postquam te accessimus, annus;
  Mater Christiadum, Roma, magistra, caput.
Hac olim trepidi te luce revisimus, atque
  Fiximus intra Urbis moenia sancta lares.
Obtulit hospitium et dulces tunc Virgo sodales
  Solata aestivae taedia longa viae.

Anxius incertos versabam pectore casus,
  Nec via, securi quam sequeremur, erat.
Virgineas sed enim venerabar sedulus aras,
  Fidenti implorans corde Parentis opem.
Audiit aure preces, nec reppulit illa rogantem,
  Interque anfractus stravit amica viam.
Tum saevas inter pelago turbante procellas,
  Stella Maris trepido, portus et illa fuit.
Sic quidquid dextrae vexarunt tempora sortis,
  Virginea nobis parta fuere manu.

24. JUNII.

Festum S. Johannis Baptistae

1716.

Qui nostrum dignatus iter comitarier olim
  Romula deproperans moenia cum peterem;
Is cunctos vitae, bona Mater, dirigat actus,
  Ad Christum certo ut tramite perveniam.

1717.

Cui Mariae primos praesentia risit in ortus,
  Quique praeis fidei luce micante diem:
Excipe Dive meas laudes vocesque Johannes,
  Rectamque ad Christum Tu mihi pande viam.

1718.

Erit magnus coram Domino.

Non Tu divitiis, Sophiae nec luce superbis
  Nec regni titulis imperioque vales.
Sed meritis operum, fidei sed laude coruscas,
  Exornatque tuos gratia rara sinus.
Te caeli Regina superno lumine lustrat,
  Teque suo magnum praedicat ore Deus.

1721.

Et merita et titulos, qua cantus voce salutem,
  Aut qua Baptistae nomina laude feram?
Quem Virgo ante diem dignata est visere, Christus.
  Nec natum patriis eruit e tenebris.
Mortales inter quem diva oracula tollunt,
  Quem clari exornant laurea martyrii:
Unus post Christi Matrem qui vincit honore,
  Quot tulerunt sanctos saecula prisca viros.

1723.

Insignem meritis, munere nobilem,
Cui natum mulier nulla tulit parem,
Quem Verbum eximiis laudibus extulit,
        Pange o Musa Johannem
Illum in sepositis avia rupibus
Clamantem, et patrii litora fluminis,
Illum turba frequens obstupuit, feri
        Et fracta aula Tyranni.
Ardentis rapidas pectoris haud faces
Extinxit, tenuit nec rabies minax
Vocem, quae vetitas alta libidines
        Flammato arguit ore.
Reprenso innocuas Principe adultero,
Cervices dare non segnis, et ultimo
Decedens prohibet crimina spiritu,
        Quae et vox sanguinis arcet.
Dignus cui Mariae vox, et amabilis
Adventus tenebras terserit, et domus
Inter gaudia, celsis meritis potens
        Fundamenta locarit.

1726.

O te, Johannes, nuntio,
  Teque o beatum munere,
  Qui conditorem saeculi
  Monstras, praeis, et abluis.

Deserta cautus incolis,
  Linguam dicatam Numini,
  Visura Christum aut lumina
  Ne saeculi error inquinet.
Mox voce Christum praedicas,
  Vias parandas edoces,
  Lavacra poenitentiae
  Cunctis ministrans gentibus.
Damnas nefastas nuptias,
  Nec regiam frontem times,
  Necemque fortiter subis
  Integritatis victima.
Hic cursus, hic vitae exitus,
  Haec est corona Martyris,
  Cui Virgo Mater gratiae
  Lucem salutis attulit.

25. JUNII.

Ut audivit Salutationem etc.

Vigineo vix ore salus pervenit ad aures,
  Cum Puer exultat laetitiaque Parens.
Vox tua, Virgo potens, tenebris dispellere mentis,
  Et tristes nebulas pectoris una valet.
Illa meos hilaret pangenda in carmina sensus,
  Dulcior atque meis auribus illa sonet.

1719.

Divitiis auroque superbius afluat alter,
  Ac nitidis opibus tecta superba colat.
Nos Mariae cultus studiis flammantibus ornet,
  Sanctaque de parco munere pauperies.

1721.

Tota mihi, pia Virgo, tuo stat numine vita,
  Totaque promeritis ducitur illa tuis.
Inque tuos utinam tota impendatur honores,
  Totaque sit laudi dedita, Virgo, tuae.

1723.

Aestiva fervent tempora,
Notusque flammas advehit,
Et solis ardor post moras
Longas adurit acrius.
Nos invocantes Virginis
Et nomen, et potentiam,
Lymphae salutis haustibus
Laeti paramus pocula.
Jam cuncta successus ferunt
Prae se secundos, auspice
Parente summi Numinis,
Vis unde constat pharmacis.
Illa iubente viribus
Instructa mens recentibus,
Musis, librisque iam vacat,
Licet per aestum, laetior.
Confirmet illa, quod bonis
Spondere caeptis gestiit;
Vires salutis augeat,
Et cuncta pellat noxia.

1725.

Heu! quot urgeris, Pater alme, curis
Assidens clavo, Benedicte, saevas
Inter, et vento rapidas procellas
Undique pressus.
Fortis undarum pelago furente
Temne conatus, Mariaeque tutus
Numine, intento melior labore
Perfice cursum.
Id cave, internis ratis a periclis
Ut vacet, remos ne agitent rapaces,
Vela neu flectant, teneantque avari
Ilice quaestu.
Sit procul fastus, amor, et cupido
Saeculi sacris adytis abacta,
Jura ne perdat violata vanae
Lucis amore.

Haec nocent cunctis gravius procellis,
Clara nec vitae decora innocentis,
Nec valet virtus, ubi tanta tollant
Crimina fluctus (*a*).

26. JUNII.

1719.

Te sine mens torpet, curas depellit, et horret,
Ingenium et sueto in munere languet iners.
At cum, Virgo, facem caelesti e cardine profers,
Mens confirmato robore cuncta potest.

1720.

Quod canimus, resonant humiles quod carmine grates,
Virgineo nobis id quoque fonte venit.
Reddamus grato Matri pia munera cantu,
Quae sua non unquam dona benigna negat.

1721.

Laudandae Matris nec taedia contulit usus,
Sedata est laudis nec mihi laude sitis.
Crescit amor cultu, crescit cum carmine cultus;
Et laudanda mihi sic magis illa venit.

1723.

Quocumque spectent lumina, seu diem
Caelo serenum surgere cernimus,
Seu vergit in noctem, plagasque
Serus ad occiduas propinquat;
Seu prata pictis consita floribus,
Seu poma curvis arboribus, vitro
Sive aemulas undas, vel arvis
Uberibus segetes videmus;

(a) *Benedictus XIII P. M. innocentissimis moribus praeditus in rerum publicarum regimine nonnullos ministros habuit, qui tanti Principis bonitate abuti ausi sunt.*

Formae ad decorem mens rapitur tuae,
Qua nulla fulgent lumina pulchrius,
Cui terra nec certat, superna
Nec speciem similem recondunt.
Te cuncta Matrem condita numinis,
Ac Te salutis, pacis et arbitram,
Vitaeque caelestis parentem
Eloquio celebrant silenti.
Haec aure nobis vox sonat intima,
Sunt et diserta in corde silentia.
Alte tuas laudes loquuntur
Virgineum refovent quae amorem.

27. JUNII.

1712.

Crimina si reputes, animi quibus intima sordent,
Sperare auxilium non mihi, Virgo, licet.
At si materno languentem respicis ore,
Est mihi languores, Virgo, timere nefas.

1720.

Quae nos cumque tenent, Mater, loca Teque, tuumque
Gestit nostra modis tollere Musa decus.
Seu curru vehimur, seu ad lumina sera sedemus,
Ad laudes animus convolat usque tuas.
Sive pedes per rura iuvat conferre, vel aedes
Grata iubet pietas, Mater, obire tuas;
Te vocat, et supplex ardor Te pectoris ambit,
Sic vitae dulcis Tu mihi, Virgo, comes.

1723.

Puer o Patris superni
Sator, et Redemptor orbis,
Hominumque perditorum
Bona spes, salus et ardor;
Fovet alma quem Genitrix

Gremio, sed aula caeli
Colit, invocat, tremiscit:
Maria rogante priscas
Precor o remitte noxas.
Nihil est, petat quod illa,
Famulis quod abnegetur.
Jubet illa, quam precatur
Potius, nec ulla Mater
Tibi cassa vota promit.
Genuit, sinuque gessit,
Aluitque vel supremum
Comes usque fida agonem;
Igitur preces Parentis
Veniam reis reportent;
Meritoque virginali
Scelus abluant redemptis.

1728.

Non Ladislaum celebrant sic sceptra potentem,
Aut arma, Hungarici vel decus imperii;
Virginei ut celebrant divae Genitricis amores,
Regna quibus felix iam meliora tenet.
Illi cerva locum, Mariae quo construat aedem
Indicat; excelsum mox ibi surgit opus.
Quod nunc sacra sinu complectitur ossa sepulti;
Res tamen est miris illa peracta modis.
Supremas obiens mandat Rex inclytus horas,
Illic ut functi regia membra locent.
Pompa triumphalis cum ducitur aemula cultus,
Regalesque agitant funeris exequias:
Aureus imposito splendebat corpore currus,
Conferto et populis agmine fervet iter;
Sed cum defessis requiem via longa reposcit,
Pressaque suadet equis solvere colla iugo;
Sponte, moram renuens, properat rota percita currus,
Nec rapidis quisquam cursibus assequitur.
Virginis ad templum donec pia sarcina vecta est,
Quam vis culta in limine destituit.
Plaudentum voces, et laudes sidera pulsant;
Hinc Mariae nomen, regis et inde sonant.

His tumulo signis comitantibus ossa recondunt.
Quae caelo tulerit praemia quis referat?

1730.

Adde ducem, comitemque viae da Mater, eunti,
Ad patriam certis gressibus ut properem;
Tramite ne falsos abducant devia cursus,
Aut specie illiciat semita prava pedes.
Neve supervacuis iactentur pectora curis,
Aut dubiis trepidant anxia consiliis.
Sed vigilis relegant vestigia tuta magistri,
Illius ac nutu firma sequantur iter,
Ambages inter fallacia nulla pericli est,
Si, Virgo, erranti legeris ipsa ducem.

28. JUNII.

1712.

Haud iam Nuceriae nostra spes fidit in undis,
Virginea veniat ni medicina manu.
Tu medicas firma auspiciis praesentibus artes,
Virgo potens, per Te vis cumuletur aquis.

1716.

Virgineis alitur si mens laetata camoenis,
Et Mariae signat nomine laeta dies;
Fac animus valeat, reparet sua robora corpus,
Atque Tibi studiis, officiisque vacet.

1722.

Est locus apposito qua subditur area clivo,
Ductaque ab exigua nomina valle tenet:
Neria Virgineos ubi gens sacravit honores,
Et celebri eductam condidit arte domum.
Patrum ubi lecta manus divinos sedula cultus,
Et late exemplis auget, et eloquiis.

Ethereis ubi sancte senex absumte favillis
  Sed vigil ad populi vota, Philippe, iaces.
Cardine quae patrio nobis venientibus olim,
  Et sedem lassis, hospitiumque dedit.
Natales Magni coleret cum Roma Johannis,
  Gaudia quae renovet, laetitiamque dies.
Hic Mariae primas tulimus lacrymasque, precesque,
  Inter ut illa suos nos quoque susciperet.
Nec vacuas cecidisse preces, et vota rogantis
  Sensimus, auxilium sic ea iuge tulit (*a*).

29. JUNII.

Festum SS. Petri, et Pauli

1714.

Sancta fides, Petri didicit quam mundus ab ore,
  Et Pauli sacro quam bibit eloquio;
Fac radios, Mater, cunctas diffundat in oras,
  Criminaque e populis dissipet, et tenebras.

1715.

In fidei Petra Christus quam condidit arcem,
  Quam nigra frustratis viribus antra petunt;
Eloquio Paulus toto quam dididit orbe,
  Principis et sedes quam regit una Petri;
Tu, Mater, precibus, Tu numine, Virgo, tuere;
  Par vasto pietas crescat ut imperio.

(a) *Loquitur hic Auctor de Aede S. Mariae in Vallicella de Urbe, ubi Presbyteri Congregationis Oratorii ingenti animarum fructu sacra peragunt, divina mysteria Christi fidelibus tradunt, eisque caelestis doctrinae pabula exhibent. Qui profecto haeredes illius spiritus caritatis, veraeque pietatis, quo D. Philippus Nerius eorum fundator praeditus fuit, omni laude dignissimi censendi sunt.*

Digitized by Google

1716.

Par geminum, Christi quo late Ecclesia primum
Laeta sibi gentes subdidit, et populos.
Queis nunc Praesidibus contra effera bella, phalanges
Tartareas victrix, dite fremente, domat;
Vos Mariae famulo, Mariam per vota colenti,
Praesidio intrepidis rebus adeste precor.
Et quoniam immeritum vestram eduxistis in aedem
Servitio efficiar dignus, et officio.

1717.

Dives Sanctorum cinerum quae iure superbis,
Imperioque potens, Roma beata, sedes;
Quae Petrum complexa sinu, Paulumque, repostas
Caelorum iactas emula divitias:
Tantis Praesidibus Ditis damna aspera temne,
Haeresis et tumidas contere fortis opes.

1718.

Temne minas Erebi stygias, et temne phalanges
Extructa in Petri relligione fides.
Seu fera per diros intentat bella tirannos,
Sive instructa dolis haeresis arma movet:
Bistones immani complent seu milite campos,
Seu pressa Odrysiis classibus unda gemit.
Te Superum Regina tuetur, et ipse superno
Excubat ad certam numine Christus opem.

1719.

Inter tot diri discrimina tristia belli,
Quo populi atque urbes in sua damna ruurat;
Et Petro et Paulo quod ludimus ignibus, atque
Cultus praeferimus laetitiaeque faces;
Quodque inter festas grato de pectore voces
Susceptam laeto plaudimus ore fidem:
Sunt tua, Virgo potens, dulcissima munera, pacem
Quae certam famulis asseris una tuis.

1722.

Mundo quem Mariae genuerunt viscera Christum,
  Electis Petrus mentibus hunc genuit.
Illa est Christiadis dulcis data Mater, et ipse
  Imperio et vera Relligione Pater.
Hic docet ut Mariam votis studiisque colamus,
  Respuit haec cultus ni probet ore Petrus.
Et Matris titulos et Virginis ille tuetur,
  Et Petro addictas illa tuetur oves.

1723.

Roma quod saecli veteris ruinas
Fracta et antiqui tuearis aevi,
Sacra vel Christo monumenta quondam
  Condita Diti.
Ultimis et quod properet ab oris
Aethiops supplex et Arabs et Indus
Ac rogans pacem veniamque Petri
  Limen adoret;
Matris haec debes meritis; et alma
Luce quo fulsit pietas per orbem
Claviger regni, fidei magister
  Haec tibi reddit.
Ille mansuram statuit per aevum,
Veritas in qua doceat regatque
Quamque non labe inficiat cathedram
  Subdolus error.
Temne sub tanto duce iam superbos,
Arma seu late moveant Tyrannos,
Seu fremens suetas virulente verset
  Haeresis artes.

1726.

Mundi magistros, veritatis lumina
  Paulum Petrumque principes
Laeto canamus ore, voce, ac pectore,
  Gratesque reddamus Deo

Tanto vocarit quod reos praeconio,
  Veniam misertus ut daret.
Ut damna culpae, quae parentis intulit
  Jam luctuosa coecitas,
Per hos repulsa nocte tandem solveret,
  Ac redderet coecis diem.
Matrem superni praepotentem Numinis
  Laetis canamus mentibus.
Namque illa patres, ac magistros gentium,
  Confirmat, excit, instruit.

1730.

Offusa qui carpis iter caligine saecli,
  Sublimi elatam cernis ab arce facem;
Quae Vaticano flammis radiantibus orbem
  E tumulo, et vera relligione replet.
Claviger hic regni, haud opibus suffultus et armis
  Petrus Apostolico praesidet imperio.
Ducere lectus oves aeternae ad pascua vitae,
  In caeca et liquidam nocte referre diem.
Hanc sequere, hanc servent firma ut vestigia lucem,
  Nec falsa excipiat semita, Mater adest.

30. JUNII.

1712.

Quamquam iter afflictis animo membrisque levamen,
  Ac Nucerinae polliceantur aquae;
Alta tamen nostrae sedet haec fiducia menti;
  Solamen nostris Te fore, Virgo, malis.

1719.

Aestivos inter flammanti luce labores,
  Queis fractum languet corpus et ingenium;
Fert mihi virgineus solatia dulcia cantus,
  Corporis atque animi robora, qui reficit.

1716.

Sancta Parens quocumque vocas sequemur ovantes,
Omnis laetus erit Te praeeunte locus.

1721.

In tristi, Mater, lacrymarum valle gementes
Ad Te clamanti fundimus ore preces.
Exilii ut releves materno numine poenas,
Atque reos firmes dextra patrocinio.
Ergo ad nos caeli de cardine lumina flectas,
Lumina, queis luctum flentibus exhilaras.
Et tua, quem mundo pepererunt viscera fructum.
Virginea in caelis fac teneamus ope.

1723.

Dulce est quod seras maternis laudibus horas
Studi et laboris claudimus.
Illae si primam promant cum carmine lucem,
Dies erit incundior.
Si spatia et cursus vitae comitentur et aevi,
Iterque condant temporis;
Civibus haud vita propior foret ulla beatis,
Nec ulla caelo dignior.
Det pacis Mater, Genitrix et porta salutis
Sic ducere anni tempora;
Nec falsis oculos mentemque intendere rebus
Laudes canentes Virginis.

1. JULII.

1716.

Virgo Quirinales quae me deducis ad aedes,
Quae famulo sedes hospitiumque paras;
Protege virgineo confisum numine et aedes
Invise, assueto laeta patrocinio.

1719.

Jesumque et Mariam cantu votisque ciemus,
  Quodcumque studiis nos opus aggredimur.
Ordia quo nostris veniant felicia curis,
  Successus etiam mox habitura pares.
His etenim tranquilla fluunt quaecumque sacrantur
  Auspiciis, nec Styx subdola turbat opus.

1723.

Ostentat aulae splendida subdolum
Ambita saeclum munera, pellicit
  Augusta sedes et frequenti
    Jam celebris procerum tumultu
At nos quietis dulcis amor tenet;
Intenta sacris cura laboribus
  Librisque versandis reposcit
    Sepositos studiis recessus.
Non ulla gratis abstrahat otiis
Fallax honoris umbra, nec auferat
  Portu e reducto inter procellas
    Nominis irrequietus ardor.
Hic Vaticano tuta silentio
Tranquilla Musis otia ducimus,
  Sacrasque divinae Parenti
    Virgineas colimus camoenas.
Nec dente parvi carpimur invido,
Nec turba rixas aut odia inserit;
  Nec nos avarus vel petitor
    Hic tacitos agitat querelis.
Stultos cupido haec torqueat impotens
Secura pacis qui bona nesciunt,
  Fructusque securae quietis
    Supplicium reputant timentque.

2. JULII.

Visitatio B. M. V.

Foeta Deo montana petis, perque ardua parvae
  Limina Sancta domus officiosa subis.
Allatam sensit proles Materque salutem,
  Teque loquente Patris Flamen utrumque replet.
Tum miranda Dei promens de carmine, dona
  Te exiguam meritis inter opima facis.
Eia pares animis sensus, Virgo, ingere nostris,
  Sicque velis nostram visere pauperiem.

1713.

Non unqua a dissetar l'arse campagne
  Acqua dal Ciel sì copiosa piove,
  Nè fiume da sì larga vena move
  Perchè i prati e l'arene irrighi e bagne.
Non ha tante onde il mar quando più fragne,
  Nè tante stelle il Ciel del vero Giove,
  Nè tante frondi han gli alberi là dove
  Sono più folte le foreste e magne.
Non hanno i lidi più minute arene,
  Animai l'aria e l'onde in ogni parte,
  Nè più tesor la terra entro sue vene:
Quante le grazie son da Voi cosparte
  O Madre d'ogni Grazia, e d'ogni bene,
  Ch'a noi la vostra man larga comparte.

1714.

Ecce iterum febris lecto me afflixit inertem,
  Nec datur heu! sacris posse vacare tuis.
At Tu, quae famulos nunquam sine munere visis,
  Si me digneris visere iam valeo.

1715.

Ardua dum celeri, Virgo, petis inclyta gressu,
Adventuque tuo munera diva refers;
Edita nos etiam petimus loca dicta Quirini,
Te duce, quo iussum, Virgo, paramus iter.
Tu praeeas quocumque feror, Tu dirige gressus,
Virgineaque feras voce salutis opem.
Dignare atque humilis Tu visere limina tecti,
Ac dulcis famulo sis, precor, ipsa comes.

1716.

Numine repleris, cum Te pia Virgo salutat
Adventu felix hospitis Elisabeth.
Felix qui Maria clausus praesente Johannes
Gestit laetitia praeveniente diem.
Felix et genitor, vocis cui munera reddit,
Nec divas laudes vincla soluta negant.
Tanta potes, Regina poli, dum visere curas
Quos Tibi dilectos conciliavit amor.
Me quoque tam longo iactatum respice morbo,
Sitque tuo haec nobis ore serena dies.

1717.

Quae tenero portas caelestia dona Johanni,
Atque beas totam voce sonante domum;
Dignare et nostras, bona Virgo, invisere sedes,
Deque tuo veniat firmior ore salus.

1718.

Salvete Hebronis colles tacitique recessus,
Foeta Patris Verbo quos pia Mater adit.
Vos quoque Zachariae sancti salvete penates
Tantis officiis hospitibusque pares:
Gratia quos oriens nova per miracula lustrat,
Dona quibus Christi cernere prima dedit.
Vidistis laetas sancta qui prole parentes;
Qui dulce hausistis Virginis ore melos.

Digitized by Google

Non vobis certet, quae regibus aula superbit,
  Nec quae Migdonias regia iactet opes.
Quam foret in vestris latuisse beatius umbris,
  Deliciis nitidos quam coluisse lares!
Ipse etiam e superis ad limina vestra volentes
  Aligerûm turmae sedibus approperant.
Sic humilis tuguri, Maria veniente renident
  Aemula sidereis abdita tecta plagis.

1719.

Ardua subsidant, violas vepreta rosasque
  Edant, silvestres sternite flore vias;
Dum properat, Judaeque inter montana, salutis
  Nuncia, Zachariae limina Virgo petit.
Cuius ad auditas promit nova gaudia voces
  Infans, vera salus cui venit ante diem:
Ac divo penitus repletur numine mater,
  Maternisque sonat laudibus alma domus.
Haec sunt visentis pia munera Virginis, atque
  Adventus haec sunt dulcia dona sui.

1720.

Divo repleta numine,
  Verbique foeta germine,
  Ardens graduque concita
  Montana iam Virgo subit.
Audita vix Elisabeth
  Vox est supernae Virginis,
  Cum laetus infans exilit
  Venisse testatus Deum.
Soluta linguae vincula
  Parens Sacerdos praedicat,
  Sanctisque tota laudibus
  Domus Prophetae personat.
Vox ista nostris auribus
  Fac, Sancta Mater, insonet,
  Quae corda mentem et corpora
  Vera salute sospitet.

Hinc sancta nobis gaudia,
Et gratiarum munera,
Hinc laeta laudis cantica
Ceu fonte iugi profluant.

1724.

O valli, o monti, o balze, o colli, dove
La santa Verginella indrizza il piede,
Per oprar di modestia, amore e fede
Al suo venir meravigliose prove:
Vedeste Voi quella beltà, ch'altrove
In questa bassa terra il sol non vede,
Quando per tutto intorno gira e riede
L'antiche cose scuoprendo e le nove.
Corre veloce a portar grazie, e passa,
Ma pur vestigia di santa onestade,
E di virtù celeste odor vi lassa.
Ella de l'umiltà segna le strade,
Per cui di caminar non fu mai lassa,
E su le di cui orme non si cade.

1726.

Properas Deo repleta
Nemorumque ad alta tendis,
Tenebris ut e vetustis
Celer eruas Johannem.
Nova vox, novumque lumen
Hilarat repletque sedes.
Genitrix anus prophetat,
Gremioque clausus infans
Dominum colit, salutat.
Mariaeque dulci ab ore
Melos insonat salutis.
Domus ipsa, vallis omnis,
Regioque tota plaudit,
Tuus o Patrona mundi,
Genitrix gaudiorum,
Tuus est hic omnis actus.

Digitized by Google

Generis vices dolentis
Reparas, refersque risum.
Tua vox salusque mundet,
Quibus orbis inquinati
Mala pestis usque inhaeret.

1727.

Cognatos ingressa lares bona Virgo, salutis,
Quod cuncta excipiant saecula, coepit opus.
Ut primum Elisae vox auribus insonat, infans
Exultat, Genitrix ipsa repleta Deo est.
Sic afflata canit divae praeconia Matris;
Mellifluo extollit carmine at illa Deum.
Omnia virgineas, divinas omnia laudes,
Omnia caelestem laetitiam referunt.
Christi ubi Mater adest, et gaudia nunciat ore,
Esse nequit luctus tristitiaeque locus.

3. JULII.

1715.

Ecce Quirinales iterum, Virgo inclyta, sedes
Antiquus, duce Te, ceu novus hospes habet,
Tu adspira incoeptis, suetoque favore secunda
Adventum ductu Numinis, atque moras.

1716.

Si haerentem, Mater, Medicorum dirigis artem,
Incertamque viam consiliumque regis;
Cuncta expectatam promittent laeta salutem,
Quae de Te famulis certa venire solent.

1730.

Gentis Romuleae quod inter aestus,
Amisso Duce, praeside ac magistro,
Quod dum praelia nectit apparatque

Orbis, nos colimus pias Camoenas,
Munus Virgineae manus fatemur.
Non armis animus timet pavetque;
Non regni vicibus cietur amens.
Nam quae praecipites sequuntur annos,
Aevo quae cita mors rapit fugaci,
Haud spe sollicitant pectus inani.
Seu princeps veniat, sereniori
Qui vultu excipiat volens libensque,
Seu prorsus studiis abest oditque,
Seu Mavors Italas furens per oras
Urbes tristibus oppleat ruinis,
Non est quid trepidos agat feratque
Coelesti Mariae favore fretos
Qui rerum Dominam colunt canentes.

4. JULII.

1712.

Cedite morborum dira agmina, cedite febres,
Securi in Mariae vivimus usque fide.
Illa suos, nosque etiam famulos, pia Virgo, tuetur,
Quis iam concutiat pectora nostra metus?

1714.

Antiquas repetens aedes in monte Quirini,
Virgo tuis pergam fidere subsidiis.

1716.

Ad Te, Sancta Parens, properant pia vota rogantis,
Quod sola aegrotis pollicearis opem.
Inque tuo temnit confisus numine morbos,
Deque tua expectat cuncta secunda manu.

Digitized by Google

1719.

Insolitos inter flammantis temporis aestus
  Accrescat nobis Virginis almus amor.
Ille sit et nostri solamen dulce laboris,
  Sitque sub aestivo sidere temperies.

1722.

A' i vostri dolci accenti,
  Dolcissima Maria
  E di gioia e di grazia e di contenti
  Si colma la magion di Zaccaria.
  Deh ! nel mio core ancor s' oda e risuoni
  Vostra suave e cara
  Voce , che d' alti doni
  Ogni alma a voi fedele orna e rischiara ,
  E con passi più presti
  Nel sentier di salute a gir la desti.

5. JULII.

1718.

Quae Vaticanas tutaris numine valles ,
  Ac nostrum laeta prospicis hospitium ;
Nomina vicinis quae de fornacibus , Aedes ,
  Sed quae e divinis ignibus omen habes:
Dicimus assiduam Tibi si de mane salutem ,
  Si sueto soles condinus obsequio :
Virgo tuas sacro complet quae numine sedes,
  Officiis nostris annuat et precibus.

1719.

Limine vix primo tam saeva incanduit aestas ,
  Ut Mariae ad laudes torpeat ingenium.
Sed vis ferventis torporem vincat amoris ,
  Flamma sit ut caeli pectoris igne minor.

1723.

Dona, quae Dominae poli feramus
Vultu quae excipiat videns sereno
Tanta quos premit in bonis egestas?
Queis nec eloquii penus redundat,
Vena nec numeris scatet styloque?
Quod dignum referant melos camaenae,
Cui totis resonat choris olympus?
Illa sed potius sinus amorem,
Quam doni pretium bona intuetur.
Ergo quas humili sono valemus,
Laudes virgineae dicare Matri
Jam licet. Facilis sit illa nostris
Aurem et praebeat invocata musis.
Quodcumque hoc Dominae melos dicemus,
Pro donis Mariae melos feramus.
Sit licet tenuis strepens arundo,
Solos excipiat sinus amores.

6. JULII.

1716.

Sancta Parens gemitus assueta audire rogantis,
Cui cordi nostra est pressa timore salus;
Da vires, confirma animum, dispelle pavorem,
Mores instaura, consiliumque rege.

1718.

Gratia, quae fausto Mariae de nomine surgit,
Nomina dat portae laetior angelicae.
Auspiciis nostras hilarat quae proxima sedes,
Et molle extremo vespere pandit iter.
Pergere seu Tiberis qua semita ducit ad undas,
Sive pedes propter moenia ferre iuvat:
Scandere seu Marii dictos de nomine colles,
Seu Vaticani mollia dorsa iugi:
Seu virides diri campos lustrare Neronis',
Laetaque vel saevo e nomine prata libet.

Hic Mariae effigies quocumque in tramite signat
  Non infucata relligione vias.
Villarum hac humiles ornantur imagine postes,
  Atque pia gaudent simplicitate lares.
Seu lucente colunt divinam lampade Matrem,
  Seu vernis cingunt Virginis ora rosis.
Mollibus hic videas extructas frondibus aras.
  Agresti hic Mariae nomina voce sonant.
Virgineas relegas inscriptas limine laudes,
  Et rudibus studiis carmina ducta placent.
Illic stipitibus duroque in cortice cernas
  Agresti incisas a pietate notas.
Sic oculos animumque beat comes ipse per omne
  Virginis almus amor, dum spatiaris, iter.

7. JULII.

1715.

Quod submissa sonet Mariam mihi Musa, secundet
  Nec verbis animum sedula, nec numeris;
Non aestus vires, mentem vel cura fatigat;
  Ferre sed ingenium non meliora valet.

1717.

Ne lupus insidias tenero praetendat ovili,
  Tu vigiles oculos adiice, Virgo potens.
Hostis tartarei Tu contere robur, et artes,
  Et lumen nostris suggere consiliis.

1719.

Quas tenuis, Mater, grates Tibi Musa rependit,
  Tu pia placato lumine respicias.
Et quamquam exiles resonant mihi carmine laudes,
  Tu desideriis, Virgo, canentis ades.

Digitized by Google

1723.

Dum de superna sede Patris advenit,
  Ut vincla solvat criminum,
Mundi Redemptor, ac salutis conditor,
  Quem praestolantur saecula;
Quam terra tanto dignam habebit hospite,
  Paremque regnanti domum?
Quo rex sedebit sempiternus in throno
  Terram polumque qui regit?
O sola cunctas, quae praeisti virgines,
  Intacta labis patriae,
Condore mentis pura vincens lilia,
  Et astra praefulgens super;
In Te paratam lucis auctor invenit,
  Caeli relictis sedibus,
In qua moretur, qua fruatur dulcius
  Virtute cultam regiam.

1724.

Laeta Quirinales revocas nos Mater ad aedes,
  Accumulasque novis munera muneribus.
Fac etiam imposito valeant in munere vires,
  Servitio atque animus crescat apostolico.
Tantos contemeret vulgi non aure labores,
  Subripiatve pium rumor inanis opus.
Ipsa vides, trepidet mens ut sibi conscia culpae,
  Quae saecli pavitans arma superba timet.
Ne, precor, invadat tumidi sitis improba fastus,
  Torqueat aut nummi pectus avara fames.
Te duce sit, Mater, Te praeside, Teque magistra
  Fortius, atque minas vincat et insidias.
Ad sola incensum caelestia semper anhelet,
  Atque tuo haec nutu, praesidioque ferat.

Digitized by Google

1730.

Quae vices rerum miserata, nostros
Excipis fletus, populique votis
Annuis clemens, humiles precantum
Accipe voces.
Fluctibus navis rapitur, diuque
Dissident curis studiisque Patres,
Pontus adversis velut actus undis
Fervet et horret.
Nullus ad clavum residet Magister,
Pallet et vector, precibus secundas
Supplici ad Patrem chorus omnis ore
Invocat auras.
Extulit dirum caput, et rebelles
Invocat Serpens furias minasque
Quaeque jam movit tumefactus astris
Arma retractat.
Irritas iactet fremebundus iras
Sentiat clades domitus vetustas,
Nec suis sacra inficiat Senatus
Corda venenis.
Sint procul turbae mala factiosae,
Damna, funestumque odium, dolique:
Verset haud aris penitus nocentes
Callidus artes.
Tu regas, Mater, dubiosque gressus
In viam ducis studiosa pacis;
Ut tui late studii redundet
Fructus in orbem.

8. JULII.

1712.

Longus Nuceriae cogit nos morbus ad undas,
Atque alio e caeli more petenda salus.
Immensa o Christi et Patris clementia! nostrum
Procedat Sanctae numine Matris iter.

Digitized by Google

1716.

Si Mariam colimus, caeli de vertice summo
Cum sacris propera cantibus Uranie.
Non de Castalio veniant mihi carmina fonte,
Sed de caelesti flumine vena fluat.

1719.

Magnus erit nostri fructus, pretiumque laboris,
Virgo, Tibi studio si placuisse datur.

1720.

Tristitia, et veteres aestus, morbique minantur;
Tu nostram praesens, Virgo, tuere domum.
Tu placidos somnos turbatis noctibus affer,
Sacrisque intentos da studiis dies.

1723.

Quae nos cumque manet, bona Mater, dirige sortem,
Praesidioque iuves.
Nam nos haud famae rumor, vel splendida vitae
Munera sollicitant;
Commoda divitiis nec quae cumulantur opimis
Alliciunt animum.
Excolere at studiis sacrisque intendere mentem
Una cupido tenet.
Quae veri caelique vias, et limina pacis,
Ac bona cuncta docet.
His si Tu adspires materno numine votis,
Et studiis foveas;
Non nisi successus laetos, sortemque secundam
Tempora iussa ferent.
Scilicet aeternae referant quae praemia vitae,
Quae bona sola putem.

Digitized by Google

1725.

Virgineis quae culta rosis e vertice collis
Subiecta prata despicis,
Gusmanae, caelo proprior, domus inclyta gentis,
Cunctis procul negotiis,
Inviolata sacris quae grata silentia curis,
Piis reservas mentibus;
Dum tua Ghristiadùm Pastor Benedictus adivit,
Et tecta laetus incolit,
Tollit se caelo non ulla beatior aedes,
Pari nec aucta est hospite.
Jam repares quassas in Patre ac Principe vires,
Sancto refectas otio.
Laetior ut repetat firmato robore curas,
Et pergat orbem pascere.

9. JULII.

1716.

Assurge, et dignis Mariam mens laeta camoenis
Atque inflammato pectore concelebra.
Hoc sit solamen, nostrae haec sint pabula vitae,
Sint haec aestivo sidere deliciae.

1720.

Questa, che si risplende
In ciel candida luna
E tante chiare stelle, onde s'accende
L'etra, chiamano a Voi, Madre, il pensiero;
Che facendo di lor scala e sentiero,
A la vostra beltà poggia, che l'una
Per iscabello al piede il Ciel vi dona,
L'altre vi fan corona.

Digitized by Google

1723.

Quae digna tuis Mater titulis
Carmina pangam meritisque tuis?
Per Te generi primaeva salus,
Per Te rediit iustitia et pax.
Tu solaris mundi lacrymas,
Tu spem exulibus miserata foves,
Per et omnem nos regis aetatem,
Seu primaevis pueros studiis
Consueta aevi levitas habuit,
Seu cum gravitas matura vias
Terere gressu docuit certas,
Sensimus unam semper Mariam
Patrocinio nobis et ope
Matrem. Pudet heu! non esse pares,
Quas offerimus, numeris laudes.

10. JULII.

1712.

Auspiciis signanda tuis lux fausta propinquat,
Quae nos laeta viae, Te duce, Virgo dabit.
Auxilium fer, Sancta Parens, dextramque potentem,
Pelle et praesidio cuncta pericla procul.

1720.

Quando i sparsi pensieri a Voi rivolgo,
Di sante brame, o cara Madre, accensi,
E con l'ali d'amore, e fra gl'intensi
Sospiri, da la terra al Ciel mi tolgo;
Tanta nel cor vera letizia accolgo,
Sovra quanto uom' mortal favelli o pensi,
Che l'ebbra mente, e i traviati sensi
Da basso altro desio chiamo e ritolgo.
Anzi di ciò, che più mi alletta e piace
Tal sento grave noia, che più rende
Aspro, duro e penoso il lungo esiglio.

Digitized by Google

Onde sol di quel dì, ch' il metta in pace
  Vive l' alma e sostiensi, e vigor prende
  Da le speme, che vien dal vostro figlio.

11. JULII.

1712.

Instat iter, nostri cursus fausta imminet hora,
  Si sancto Mariae nomine fausta datur.
O ades, o propera, clemens Regina, secundis
  Auspiciis, per Te sit mihi parta salus.

1716.

Ad liquidos fontes, vitreasque ubi sedimus undas,
  Qua Tibi celsa nitet, Virgo beata, domus;
Ad Te donorum ascendit mens sedula fontem,
  Optavitque tuas ducere pectus aquas.

1720.

Te redeunte die submisso carmine laudes
  Dicimus et numeris luce abeunte tuas.
Sic Tu, Diva, regas vitae noctesque diesque,
  Auspice Te redeant et labor et requies.

1723.

Ut caecis agitur vadis
  Navis, dum pelagus caurus et africus
Turbant atque aquilo impotens.
  Sic nos vel studiis saepe furentibus,
Tristi vel quatimur metu;
  At tunc virgineam de superis opem
Matris poscimus inclytae
  Votis praesidium, quae potis una, tam
Fluctus aequoris excitos,
  Quam metum improvidi pectoris et sinus
Sedare in placido maris
  Portu ceu procul a fluctibus horridae

Per ventos hyemis, vadis
  Longe a spumiferis. Sustulerit facem
Si Mater supero e polo
  Jam mentem exhilarat parta serenitas.

12. JULII.

1712.

Exurant quamquam flammantes temporis aestus,
  Et spatia ardentis pulverulenta viae;
Morborum pellenda tamen mala tristia per Te,
  Mater, fidentes Nuceriam petimus.

1718.

Hic ubi tormenti cecidit Borbonius ictu,
  De urbana et poenas obsidione dedit,
Aedes virgineos cum nomine servat honores,
  Testis apostolici fida patrocinii.
Huc coëunt, vicina tenent qui rura coloni,
  Cum sacros agitat rustica turba dies.
Non phrygias illic videas splendescere vestes,
  Servorum cuneis vel strepuisse vias.
Non mollis liquidis mulcet vox cantibus aures,
  Nec positis crepitant thura sabaea focis.
Sed pietatis alunt tranquilla silentia sensus.
  Pauperiesque magis relligiosa placet.
Agricolae hic precibus complent flammantibus auras,
  Inque rudi Mariam carmine vota sonant.
Ingenuis lacrymas studiis et carmina reddunt,
  Et cultu placant simpliciore Deum.
Nos quoque saepe iuvat positis huc cedere libris,
  Ac precibus Divae quaerere Matris opem.
Seu mane hybernos commendant tempora soles,
  Sive aestus inter vespere prata vocant.
Praebeat ut pietas exordia laeta labori,
  Intentas curas cordis et illa levet.
Sic quas suscipimus Mariae sub nomine curas,
  Virgineis Mariae claudimus officiis.

Digitized by Google

1723.

Tempore flammatos quo iam toleravimus aestus,
  Et lenes optavimus auras;
Nunc boreas caelumque riget, mox turbidus auster
  Alternat pluviasque vicesque.
Perversas anni cunctis mirantibus horas
  Pertulimus nec damna salutis,
Nec studiis acres boreae nocuere tumultus
  Imbres nec laesere notique.
Materno adspexit nostros miserata labores
  Lumine, quae anni temperat orbem
Virgo, nec adversos passa est crudescere ventos,
  Nec tenues succumbere vires;
Subsidiumque tulit, studiisque ut vere secundo
  Laetis praesidii adfuit auris.

1724.

Lasso senza di Voi, languido e stanco
  Giace lo spirto, nè corre la vena,
  Nè pari al gran viaggio è la mia lena,
  E già in mezzo al cammin mi arresto e manco.
Voi mi date, o Signora, forze al fianco,
  E vigore a' miei passi, acciocchè piena
  Di nuovo spirto la mia vita appena
  Stampi il suolo, e non pieghi al sentier manco.
Siami pur presta la materna cura,
  Ch' al corpo assista, e la mente mi regga,
  Onde sia nell'oprar desta e matura.
Al Ciel rivolta onor mortal non vegga,
  Il sentier d' umiltà segni sicura,
  E i falli del primier tempo corregga.

1730.

Reddit serenus laetitia dies,
  Paterque fletus audiit et preces,
    Corsinus etrusco celebris
      Stemmate Romuleam Cathedram

Tenet magister ; cedite noeniae ;
  Ventos et iram iam posuit mare ;
    Late per urbes perque regna
      Primus ab undecimo resultat.
Clemens, regendis Christiadis Pater (*a*).
  Cuncta auspicato nomine gestiunt,
    Quo praeferunt palmas novosque
      Relligio et pietas triumphos.
Aris renident sacra frequentibus
  Matrique grates undique personant,
    Qua dissipatis lux tenebris
      Candidior venit ex olympo.
His nostra votis gaudia iungimus,
  Et laeta laudis carmina, praesidem
    Matrem colentes, restitutae
      Pignus et auspicium salutis.
Hoc Vaticanas, quas tulimus moras
  Tibi dicato carmine claudimus.
    Hoc et Quirinales adimus ;
      Teque ducem occipimus sequentes.

13. JULII.

1712.

Nuceriae iam, Sancta Parens, iuga celsa tenemus,
  Quo facilis cursus, Te miserante, fuit.
Laetis principiis successus adde secundos,
  Augescant meritis prospera coepta tuis.

1716.

Dispereant, quae ingrata premunt oblivia mentem
  Virgineos cultus nec renovare sinunt.

(a) *Post Sacra comitia ad quatuor et amplius menses protracta, Eminentissimi Patres mira animi consensione hac die Laurentium Corsini sub nomine Clementis XII. uti Supremum Ecclesiae Pastorem elegerunt, qui consilii maturitate, rerum agendarum prudentia, morum sanctitate summopere floruit.*

Hic Tibi, Virgo, dolor dispendia nigra rependat,
Oblita hoc reparet carmina supplicium.

1719.

Quassatam studiis, aestusque ardore iacentem,
Confirmes mentem, quae tua dona canit.
Virgineum celebret consueto ut carmine nomen,
Ac vacet ille tuis iugiter officiis.
Illis mens gaudet, illis se dedita pascit,
Invenit et verae pabula laetitiae.

1720.

Dum medicas iterum morbus nos cogit ad artes,
Abs Te, Virgo potens, experiamur opem.
Virgineas at vix clamor pervenit ad aures,
Cum statim acceptas sensimus esse preces.

14. JULII.

1712.

Jam rediit diro candescens febris ab aestu,
Eia praesenti numine, Mater, ades.

1714.

Quae flectis preces, Virgo, Patrem, quaeso, assere nostras
A morbis vires, a vatiis que animum.

1716.

Virgineas grato dum condere carmine laudes
Mens quamvis impar officiosa iubet;
Calliope dignis reginam sensibus effer,
Atque novis resonent plectra sacrata modis.

1720.

Insignes meritis qua contegit ara Leones,
  Virginis effigiem sacra columna tenet.
Unde piis populis celebrata vocabula duxit,
  Et firmam Matris nomine signat opem.
Haec Vaticanae, qua in dextram funditur, aedis
  Ornat ab australi cardine prima latus.
Inter septenas quae lecta est solvere noxam,
  Sacris ad veniam divitiis locuples.
Jamdudum votis populorum culta rogantum,
  Plurima cui texit sacra tabellá latus.
Nunc quoque supplicibus late celebrata iuvandis,
  Confluit, et fundit cui pia turba preces.
Nos cum turbatis animus iactatur ab undis,
  Adverso hic petimus tempore perfugium.
Ac datur excussis Mariae sub numine curis
  Illius auxilio praesidioque frui.

15. JULII.

1712.

Dulcior haud caeli morbos clementia pellit,
  Nec currus iuvit deproperantis iter.
Ut de Te, Christi Mater, spes una supersit,
  Quae medica una soles vincere subsidia.

1720.

Virgineum nomen sacra quae colit ara decusque
  Gregorii insignes obtinet exuvias;
Tertius a decimo quam nomine clarus eodem
  Instruxit lectis undique marmoribus.
Ac Dominae Matrique libens laetusque dicavit,
  Cui pia Gregorii nomina consociat.
Septenos revoluta dies cum Sabbata claudunt;
  At Mariae laudes huc chorus omnis adit.
Cum titulis resonant hic Virginis organa nomen,
  Psaltae et Virgineam voce precantur opem.

Et veniam implorans qui septem circuit aras,
  Reginae supplex huc sua vota refert.
Huc nos seu luctus seu morbus compulit aegros,
  Depulsis hilares cessimus inde malis.
Oblatisque sacris tulimus pro munere grates,
  Fiximus atque piis oscula marmoribus.
Sic proprior nostras haec numine protegit aedes,
  Ara, sacris titulis pignoribusque potens.

1723.

Heu! nimium studiis inhiat sitibundus, et ardet
  In libris animus discere percupidus.
Terrarum tractus, pelagi nunc lustrat et oras,
  Nunc repetit veterum facta sepulta virûm.
Quid iuvat insano dudum indulgere labori,
  Tot nisi vera salus quaeritur in studiis?
Ingere Tu, Mater, sophiae caelestis amorem,
  Quo quisquis fervet pectore, doctus erit.

1726.

Mens premitur curis, imposta negotia terrent,
  Solvit et aestivo sidere membra calor.
Robora deficiunt, nulla est fiducia lasso,
  Assiduoque venit nulla labore quies.
At non deiicimur, materno e numine certa
  Spes venit, unde animos tristis inopsque refert.
Jamque acidi hanc fortis potentes sensimus haustu,
  Lymphae expectantes uberioris opem.
Ipsa fave incoeptis, valeant Te praeside vires,
  Ut curis veniant officioque pares.

1730.

Quae regis incertos materno lumine gressus,
  Obsequar ut sacri Principis imperio.
Ad mandata pares da iniuncto in munere vires,
  Quas tua non unquam gratia deseruit.
Eloquii maculas et mentis pelle tenebras,
  Sint cuncta imposito digna ministerio.

Digitized by Google

16. JULII.

1712.

Nuceriae vitreas potare occoepimus undas,
  Nec, nisi Tu faveas, unda salubris erit.
Namque tuo venient latici de nomine vires,
  Nec nisi virgineo fidimus imperio.

1714.

Felix Carmeli Mariae de nomine vertex,
  Quique tuis potuit tecta locare iugis.
Felici nostris adspires omine coeptis,
  Queis fuit haec olim sorte beata dies.

1715.

Mater decus Carmelidum
  Quae celsa scandentes iuga
  Benigna ductu provehis,
  Caelique regnis inseris.
Et nos per altas semitas
  Ad montis educ verticem,
  Ubi Angelorum coetibus
  Te concinemus iugiter.
Per te sereni luminis
  Puris fruamus haustibus
  Te et praecinente canticum
  Pangamus Auctori novum.
Illo licebit cardine
  Vera intueri, et ludricas
  Curas egentis saeculi
  Luce in micanti spernere.

1716.

Carmeli celebres Mariae de nomine colles,
  Culta ubi sub nebulae relligione fuit;
Excutite odrysias tandem post saecla catenas,
  Servitii longas et reparare vices.

Digitized by Google

Virgineus vestro cultus de vertice regnet,
Christiadûmque manu vincula fracta cadant.

1719.

Carmeli surgis Mariae qui numine vertex,
Et miseris tanta e Praeside tendis opem;
Si mihi laeta sacrae caelesti e Virgine faustis
Fulsere auspiciis ordia militiae;
Arma etiam, ac dura pares in praelia vires
Nomine virgineo praesidioque feras.

1720.

Luce sacra, titulis Mariae quae laeta coruscat,
Quaeque fuit nostri prima tyrocinii;
Quas Matri dignas referamus carmine laudes?
Quae paria immensis munera promeritis?
Illa humiles placata preces et vota canentis,
Non vires placido lumine respiciat.
Et quae Carmelum visa sub nube sacravit,
Promissas largus qua tulit imber aquas;
Materna nostram reparet pietate salutem
Adspirans, acidis et benedicat aquis.

1723.

Incertis quondam properabat cursibus aetas,
Haud tum, quod tereret, docta salutis iter.
Intentis sequerer studiis seu iura forumque,
Utilis anne magis prisca palaestra foret.
Consiliis errans dubiis verbisque trahebar,
Ceu pelago adversis fluctibus acta ratis.
Post fusas optata preces sed flavit ab altis
Carmeli, et cursus impulit aura iugis.,
Tuta sacrorum quae me statione locavit,
Patris in officiis ut mihi cura foret.
Virgineis eadem auspiciis meritisque secundet,
Rite ut perficiam, quae tenuisse dedit.

1724.

Quando del bel Carmelo a l'alte cime
  Alzai pieno di speme umido il ciglio,
  Ed a la Madre dell'eterno Figlio,
  Volsi le preci più ferventi e prime;
Ella mostrommi quel sentier sublime,
  Che ha più di asprezza e meno di periglio;
  Poi con materno provvido consiglio,
  Drizzommi al Ciel da cure basse ed ime.
Priego, che la medesma m'accompagne
  Nel gran camino, e siami fida scorta,
  E le sue grazie sian le mie compagne.
Ora nel maggior'uopo che mi apporta
  E tema e stento, di che pave e piagne
  Il cor, sì dolce speme mi conforta.

1725.

Carmeli ad altum mente celsa verticem
  Juvat volentes scandere.
Invitat almae dulce nomen Virginis,
  Jugis quod illis praesidet.
Illic adumbrat rex supernus gloriam
  Matris, decus, potentiam.
Et nos praealti celsa sacri culminis
  Pueri colentes eminus,
Optata dona divae Matris saepius
  Collata ab illa sensimus.

1728.

Virgo salutares haustus laticesque paramus,
  Aestum qui ex acido fonte levare solent.
Fulgura sed prohibent, ac fusi largios imbres,
  Qui siccis hyemem temporibus referunt.
Innocuas placidasque a Te deposcimus auras;
  Namque tui parent legibus imperii.
His freti auspiciis, festaque in luce sereni
  Nominis, assueti quaerimus amnis opem.

Tu vires undis, Tu tempora dextra ministres,
Ne morbos timeat fracta salus reduces.

17. JULII.

1712.

Virgo benigna fave; renovant morbosa timores
Toedia, quae cumulant pectore tristitiam.
Tanta tamen Mariae fiducia nomine surgit,
Ut mens tuta queat temnere nostra metus.

1716.

Gaudia non mundi, non annos, Virgo, serenos
Quaerimus, aut saecli in lumine delicias.
Dulcius est arcto sectari in tramite Christum,
Atque tuo, dulcis Mater, amore frui.

1720.

Insomnes quamquam frangunt mihi robora noctes,
In Te confidens frangitur haud animus.
Haec cum clamassem, placidum regina soporem
Immisit, lassis viribus auxilium;
Addidit atque acidos haustus, quos unda salubres
Praebuit, assueti munere praesidii.

1726.

Vitam fingere cui libet
Ducendam arbitrio suo,
Non fictis inhiat bonis,
Nec molli incubat otio.
Verum sed decus appetat,
Carnisque illecebras domat.
Fortis post Domini crucem
Firmis gressibus exeat.
Mundi ludrica nesciat,
Uni serviat ut Deo.

Digitized by Google

Almae Virginis invocet
Nomen, candida prosequens
Exempla, et referat piis
Mores ductus odoribus.
Sic nullis trepidus malis,
Nulli subditus et iugo,
Pacis percipiet et bona.
Emensis spatiis dies
Supremos ubi clauserit,
Claro in lumine gaudia
Fonte e Numinis ebibet.

18. JULII.

1712.

Tertius epotae nobis felicius undae
Vertitur, o caeli Stella benigna, dies;
Quae fractas sensim reparantes corpore vires,
Abs Te praesentem, Virgo, fatentur opem.

1715.

O fons perennis gratiae,
Quae de fluento perpeti
Terras iacentes irrigas
Fructuque ditas uberi:
O Lampas almi luminis
Quae noctis umbras dissipas;
Pignusque et Arca foederis
Quae flectis iram vindicis:
Tu per salutis tramitem
Gressu vagantes devio
Ad vera caeli gaudia,
Beata Mater dirige.
Dispelle cordis nubila,
Infunde lucem mentibus,
Ac vera pacis munera
Largire supplicantibus.

Digitized by Google

1716.

Quod mentem adversae mergant caligine curae,
  Atque Tibi officiis, Virgo, vacare negent.,
Haereat infelix famulo ne noxa dolenti,
  Neve oblita trahat pectora supplicium.

1718.

O Turris David, clypeos atque arma ministrans,
  Et quae castra velut tartara terrificas;
Aspice quam saevis oculis atque ore cruento
  Horrificisque lupus dentibus immineat.
Ne Vaticano puerorum insultet ovili,
  Tu Tibi devotam protege, Virgo, domum.

19. JULII.

1712.

Auspice Te rebus succedunt laeta secundis;
  Expectare, Parens, et meliora iubes.
Ergo tuis faveas, Mater sanctissima caeptis;
  Accrescant donis munera parta novis.

1719.

Proficuas olim, quas sensimus, hausimus undas,
  Atque acidae famuli vota sequntur aquae.
Numen et imperium praestes si, Virgo, salubrem
  In reliquas haustus experiamur opem.

1723.

Superba mentem si ferat aura, vel
Intenta falsis inflet honoribus,
  Rumore vel vulgi reposcat
    Instabili pretium laboris;
Haud e superno gratia cardine
Accurret ortis promta periculis;

Excita non unquam secundis
Subsidiis aderit vocanti.
Tu dona summi nam Patris elicis
Servata miti corde modestia ;
Te spectat ac ditat bonorum
Æthereo cumulans fluento.
Sic ille Matrem celsius extulit ,
Superque cunctos Aligerûm choros ,
Mirata quod caelesti ab ore
Laudibus ac titulis timeret.
Regina quamquam lecta foret Patri ,
Caelique terraeque imperio potens ,
Se noscit ancillam vocatque ,
Nec meritis tumet aut coronis.
Nostri ac tumentes pectoris edomet.
Sic illa sensus , ac doceat bonis
Haerere sinceris , dolosos
Quaerere nec studiis honores.

1728.

Extremos agitat cursus Antistes et horas ,
Et pater et praesul qui mihi , Virgo , fuit.
Deiecit fractas penitus febris effera vires ,
Assiduoque gravis iuncta dolore sitis.
Cernis , ut effusis lacrymis precibusque supernam
Numinis implorant Omnipotentis opem.
Nuntius at nostras melior iam venit ad auras ,
Qui lacrymis posuit tristitiaeque modum.
Fac omnem trepidis tergat lectumque metumque
Pastori fuerit cum reparata salus.

20. JULII.

1712.

Viscera dum subeunt liquidae felicius undae ,
Haerentemque aestem perniciemque domant ;
Ac morbis relevant dum spe meliore iacentam ,
Testantur validum Virginis auxilium.

1715.

Qui Mariae cultum contemnunt, his mihi nulla,
Sint docti quamvis, iungat amicitia.

1716.

Sancta Parens nostros studio miserante labores
Dirige, laudandi ne levis aura ferat.
Sed Christum et Christi mens tota exquirat honorem,
Cui nobis uni sit placuisse satis.

1721.

Παρπθενίας Βασιλειαν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαν
Τμνῶμεν Χριστοῦ κάρτος αἐιδόμενοι·
Ην σέβεθ', ἣν κελαδεῖ πάντως ἐυυμνον ἔουσαν
Φῦλα τα γηγενέων, καὶ τα τ' επουρανίων.
Αστέρες ἠ καὶ κόσμος ὅλος, και πάντα πέποιθε,
Ην δέ τε φρίσσουσιν τάρταρα, και τρομέει.
Ην στεφάνωσε Πατὴρ, Λόγος ᾗ τὸ σκηπτρον ἔδωκε,
Πνεῦμα δε μαρμαρεον εἰς θρόνον εἷσεν ἄγον.
Τούνομα χ' ὑμνῶμεν πολυφίλτατον ἥδε κρατιστον,
Ερκος επιχθονίων καὶ φόβον ἀντιπάλων.
Τοῦτο, φύλαξ ἡμῖν ἀσπὶς καὶ χάρμα γένοιτο,
Καὶ γλυκερὴ δούλων ἔλπις ευξαμένων.

1724.

Volgete, o Santa Madre, le pupille
A chi pur geme sotto le fatiche,
E sotto il fascio delle colpe antiche
Pur de le nuove ogni or ne accresce a mille.
Versano gli occhi all' ora calde stille,
Quando rimembro le dolci ed amiche
Ore, che d' ozio fur sempre nemiche,
E sì care mi furo e sì tranquille.
All' or di Voi cantando lieto giva
Dolcemente alleggiando il grave incarco
De le mie voglie ad imparare intese.

Or si acerba memoria sempre è viva
E tanto punge, quanto teso è l' arco
De le cure presenti, angoscie e offese.

1725.

Non usitato sidere conflagrat
Tellus; hiantes undique fervidis
Campos arenis, et adustos
Cernimus et silüas agrosque.
Mens ad labores aestuat anxia,
Defecta suetis viribus, aruit
Et vena iam iugis, et haeret
Corporibus sitibunda lassis.
Utcumque virtus langueat, inclytum
Nomen canendo tollere pergimus
Matris, nec audet vis amoris
Emeritas tacuisse laudes.
Tu Mater almi Numinis, intimi
Cordis repostos perspiciens sinus
Placare votis ac flagranti
Obsequio et studio canentis
Affles secundis temperiem potens
Auris, ut aestum mens superet, volens
Et corpus ad laudes volenti
Serviat, et numeros ministret.

1729.

Virgineas rapido laudes properamus in aestu,
Nam studium cultis laudibus ille negat.
Ergo vices subeat studiorum pectoris ardor;
Quo minus illa valent, ferveat ipse magis.

21. JULII.

1718.

Optatis aestus vesper cum temperat umbris,
Et properat lassos solvere Phoebus equos;

Digitized by Google

Et studia et curas cum mollior hora remittit,
  Aedes nos Matris Transtiberina vocat.
Nomine quae Mariae collegit prima Quirites,
  Cum fureret patriis perdita Roma sacris.
Quae Christi signis testata recentibus ortum,
  Ex olei miro nomina fonte trahit:
Quamque velut rutilis Sanctorum corpora gemmis,
  Astraque ceu puri luminis irradiant:
Quae mole et pictis antiquo emblemate muris,
  Romanae fidei saecula prisca refert:
Callisto extructam quam clarius ornat Julus,
  Quamque sacri ditat corporis exuviis.
Hanc quoties Mariae ducti pietate subimus,
  Relligionis amor pectora dulcis alit.
Qui veteris monumenta animo dum suggerit aevi,
  Provocat ad sensus frigida corda pares.
Nam subit antiquae patrum virtutis imago,
  Quae potuit mortis non timuisse minas.
Quae adversus rabidas Erebo turbante procellas,
  Virgineo Matris numine tuta fuit.
Sic Te Christiadûm Patronam sacra vetustas
  Sensit, et assiduis extulit obsequiis.
Sic et maiorum vestigia sancta legentes,
  Ad tua, Diva Parens, munera perveniant.

1719.

Dum studium curasque graves procul exigit aestus,
  Ac versare libros tempora adusta negant:
Tota tuos cultus, Mater, mens sedula verset,
  Hoc studiis curas impleat officium.

1721.

Sexta vices renovat pueris mihi dicta regendis
  Orbita, qua suetum conficit annus iter.
Haec spem virginei renovat quoque numeris, atque
  Auxilio tutum Virginis esse iubet.

Digitized by Google

22. JULII.

1712.

Queis, Pia Virgo, iubes firmam sperare salutem
  Balnea, fidentem iam tepefacta vocant.
Eluat haerentes animus, Te Praeside, sordes;
  Instauretque novus languida membra vigor.

1714.

Festum S. Mariae Magdalenae.

Christo placerem principi,
  Si divo haberem munere
  Flammas sacratae Viginis
  Et Magdalenae lacrymas.
Illae vetustum pectoris
  Gelu rigentis solverent;
  Haec foeda cordis crimina
  Unda salubri tergerent.
Illas meretur perpetis
  Insigne pulchritudinis.
  Has debet altus intimis
  Dolor confixus sensibus.
O quam beata viscera,
  Quae sancta tantis ignibus
  Christi repleret charitas,
  Quantis adussit Virginem!
O quam beata lumina,
  Quae condolenti e pectore
  Tantis maderent imbribus
  Quantos ciebat Magdalis.

1721.

Otia lenta procul retinent a carmine mentem,
  Virgineas laudes nec celebrare sinunt.
Vincat amor Mariae molimina tarda, salutis
  Et morbi pariter hoc sit amantis opus.

23. JULII.

1712.

Surgenti da, Virgo, manum, Tuque annue caeptis,
Consona sint faustis ultima principiis.
Perficient optata leves, si iusseris, undae,
Protinus et morbi damna repulsa cadent.

1719.

Exiles promunt, Mater, Tibi carmina laudes,
Lingua nec ardorem pectoris assequitur.
Toedia nam sensus, et vires atterit aestus,
Et pressum curis deiicit ingenium.
Adde leves, ad Te coelo queis subvolet, alas,
Adversique moras temporis exsuperet.

1720.

A Te vis acidas, Mater, descendit in undas,
Tutela unde malis et medicina venit.
Seu tergant sordes, dum viscera coeca pererrant,
Seu laxas praestent corporis ire vias;
Dona tuae sunt cuncta manus, Tu pharmaca praebes,
Atque ea curandis efficis apta malis.

1726.

Dum iacit rapidas calor sagittas,
Ac furit superas canis per oras,
Dumque vix acidae latex aquaï
Sirii validos refringit aestus;
Voce Parthenias ciamus auras,
Nomen et Mariae canamus hymnis.
Inde proveniet levamen aestus,
Ac refrigerium salusque vitae.
Hoc pius Pater, hoc dedit laborum
Dulce praesidium moramque lassis.
Ergo toedia longa sublevemus,

Digitized by Google

Laudibus meritum decusque Matris,
Versibus Mariam piis colentes.

24. JULII.

1712.

Felix virgineo Mariae qui numine fretus,
Hos illa fontes auspice laetus adit.
Ille salutarem caeli persentiet oram,
Ille et mirificas experietur aquas.

1716.

Virgo oculos averte meos, ne vana requirant,
Neu falsis saecli ludar imaginibus.
Fac caeli, verisque bonis intendere curas,
Ne mundi quaeram praetereuntis opes.

1719.

Ne noceat studiis, ne vitae Sirius ardens,
Nos tegat umbra tui, Virgo, patrocinii.

1723.

Dulce cum nomen canimus Parentis,
Omnis curarum reticet tumultus;
Ac velut caelo face lucis orta
Nox nigra cedit.
Tanta tunc pectus cumulat voluptas,
Melleos longe superans sapores,
Ducere ut caeli videatur haustas
Fontibus undas.
Tunc licet mundi strepitus minasque
Ac dolos et sollicitos pavores
Temnere, ac se se sociare Musis
Mente supernis.
Tunc nulla turbant animos pericla
Certa quos Matris pietas fidesque

Asserit victrix, hilaresque sancta
Numine reddit.
Nomen o dulce in labiis et ore,
Dulcius cordi, famulum domumque
Protege, et morbos procul arce, et omnes
Daemonis artes.

25. JULII.

1714.

Laudes si Mariae Virginis inclytas
Ingrato taceat lingua silentio;
Aut si longa dies obiiciat meis
Coeca oblivia sensibus;
Mutis tum penitus faucibus haereat,
Unquam nec resonis verba cadant modis;
Labantur tacitae mentis imagines,
Cunctorumque sit immemor.

1716.

Quae morbos fracto, Mater, de corpore pellis,
Et qua pulsa redit praecipiente salus;
Pelle etiam ingestos animo de crimine morbos,
Solaque sit nobis de pietate salus.

1723.

Cum vices aevi repetens peracti,
Tempus et vitae variosque casus,
Cerno materni monumenta amoris:
Praesidiumque.
Impetus aevi male feriati,
Quotquot excussae tulimus salutis,
Et domus plane immeritae labores
Damnaque rerum:
Largus exundat velut amnis imber,
Gratias Matri et lacrymae rependunt;
Haereat quamvis stupeatque donis
Lingua loquentis.

Digitized by Google

Tuta nam tantis licet in periclis
Vita contempsit furias minasque,
Viribus fractis, opibus nec ullis
Freta potentum.
Virginis nunquam tamen invocanti
Defuit praesens amor, et secundos
Inter ambages dedit et procellas
Provida cursus.

26. JULII.

Festum S. Annae.

1712.

Anna meae genitrix Dominae, cui sacra refulsit,
Et mihi perpetuo concelebranda dies:
Pignora laetitiae Tibi debet perditus orbis,
Principium vitae cui peperisse datum est.
Sit mihi felici praesens tua numine Proles,
Et gemino rutilet laeta favore dies.

1713.

Ad nostram, cum tempus erat, mundique salutem
Te tulit Anna, fores quae paritura Deum.
Sic istam decorent per Te nova munera lucem,
Donis Anna ferat quae sociata tuis.

1715.

Cum fausta nos vocat dies
Annae dicata nomini;
Sanctae Parentem Virginis
Grato canamus pectore.
Quae de beato germine
Fructum salutis protulit,
Et prima signum errantibus
Certae salutis sustulit.
Ex hoc suborta est semine

Radix Jesse, floruit
Unde expetitum gentibus
Tum lilium convallium.

1716.

Adeste caeli e vertice,
Divaeque Matrem Virginis
Annam dicato carmine
Musae colentes pangite.
Laudate dignam germine,
Caelique lectam munere,
Quae pignus almi luminis
Inter tenebras ederet
O grata Mater Numini
Beata sorte Filiae,
Preces gementis excipe,
Nec me rogantem desere.

1719.

Nimbosus rapidis nigrescens turbo procellis
Impendet pavidis, ingeminatque metus.
Ad Te sed Mariae Genitrix cum vota precantum
Approperant, tutis cordibus esse licet.
Namque preces facilis Matrisque Aviaeque Redemptor
Suscipit, et pacem dat veniamque reis.

1720.

Si bona frugiferam commendant germina terram,
Sique suis laudem fructibus arbor habet;
Quae Tibi de simili concurrant Prole parentes,
Quae Matrem summi Numinis, Anna, paris?

27. JULII.

1712.

Caelicolum Regina, subest cui lucidus orbis,
Tartara quae terres, terrigenisque faves;

Clamantis ne temne preces, et firma clienti
Robora, namque potes, redde benigna tuo.

1713.

Te colimus canimusque, dies surgitve caditve;
Virgineis laeta est laudibus acta dies.

1720.

Quae coelum terramque potenti numine servas,
Cui tantum Christus contulit imperium.
Aspice nos curis fractos aestuque iacentes;
Sunt tua nam fessis lumina vera salus.

1722.

Ortum quae Mariae recolis, domus inclyta, salve
Aedibus e nostris quae regione sedes.
Quam matutinis primum veneramur ab horis,
Et sero ferimus fervida vota die.
Cuius ab auspiciis et lucis ducimus ortum,
Curisque in variis condimus occiduam.
Sive iter ingredimur, reduces seu tecta subimus,
Lumina te spectant, teque salutat amor.
Rebus et in trepidis, curae et cum saevius angunt,
Ad te submisso pectore confugimus.
Utque tuos procul adspicimus consurgere muros,
Tristitia et luctus protinus omnis abit.
Felix ordo tibi potuit qui iungere sedes,
Et prope virgineam tecta locare domum.
Ille tuis haustos ignes flammasque caminis,
Late per populos barbariemque feret.

1726.

Tempora concito
Diffigiunt pede,
Metaque cursibus
Haud procul obiacet;

Somniaque brevi
Luce nova cadent.
Providus is sapit,
Prospera qui nihil,
Qui nihil aspera
Aut amat aut timet;
Qui bona patriae
Sedulus appetit;
Pectore qui Deum
Quaerit et invenit.
Qui Mariae sacros
Prosequitur pedes.
Nemo beatior,
Quem Dominum petens
Sub Maria duce.

28. JULII.

1712.

Hic ubi montana caelum regione tepescit,
Aemula pellucido qua salit unda vitro;
Abs Te, Virgo Parens, flagitant mala nostra medelam;
Irrita ne famuli cedere vota sinas.

1719.

Inter tot tristes mergunt quae pectora curas,
Affulge o pacis laetitiaeque parens.
Virgineo procul aufugiet pavor irritus ore,
Quod solet excussos pace beare sinus.

1720.

Ante interpellent quam suetos strata labores,
Ad Te, Virgo, humili carmine Musa redit.
Et labor et studii mentem licet obruat aestus,
Ad Te mens laudes fundit et ore preces.
Te vocat, atque tuum venerabile numen adorat,
Ut studium et curas nocte dieque regas.

Digitized by Google

29. JULII.

1712.

Atterit antiquus vires in corpore morbus,
In laudes animus dum cupit ire tuas.
Per Te Nuceriae, Mater, sit lympha salubris;
Per Te languentem balnea restituant.

1714.

Qui celsa lucis atria
Ornatis instar siderum,
Quos inter una promicat
Phaebe velut splendoribus:
Laudate sponsam regiam,
Laudate cultu Virginem,
Laudate Matrem carmine,
Laudate Reginam sono.
Laudate mundi lampadem,
Laudate pacis auspicem,
Laudate sanctorum ducem,
Laudate spem mortalium.
Laudate saecli praesidem,
Laudate fulmen tartari,
Laudate caelorum decus,
Laudate lucem patriae.
Sit Trinitatis gloria
Quae ut nos levaret perditos,
Tantis beatam gestiit
Augere donis Virginem,

1716.

Mens Mariam laudare iubet, sed deficit ausis,
Proque pia gestit fundere laude preces.
Namque novis mundi pelagus dum fluctuat undis,
Divinae assidua Matris egemus ope.

1724.

Ardenti raggi, anzi infocati strali
Vibra dal Ciel lunga stagione il sole,
E l' aura, che l' arsura temprar suole,
Più fiamme accende a i miseri mortali.
L' infermo ingegno con le forze frali,
De le fatiche sotto la gran mole
Durare a l' opra senza Voi non puole,
Nè regger fermo all' assalir de' mali.
Ma per le tante pur antiche e nove,
Che la speme nodriscono e 'l coraggio,
Del vostro amore inusitate prove,
Non si arresta nel duro aspro viaggio,
E più pronta al lavoro la man muove,
O Madre, se 'l rischiara un vostro raggio.

30. JULII.

1712.

Candescit quamquam ferventi in sanguine bilis,
Ac turbata refert somnia parca quies;
Virginei spes auxilii mihi temperat aestus,
Ac spondet morbi tergere relliquias.

1714.

Quod felix acido celebratur vena fluento,
Corpora depulsis apta levare malis;
Incipit et fractam nobis reparare salutem,
Nec spes vana cadet, si, Pia Virgo, faves.

1716.

Quod Mariae auspiciis acidas potavimus undas,
Quae fuerunt nostris apta medela malis:
Prospera successus promittunt ordia laetos,
Certumque a sancta Vergine praesidium.

Digitized by Google

1722.

Ad sacram Aedem Lauretanam.

Qnisquis intactae properas ad aedes
Virginis, longos ubi duxit annos
Ipse qui caeli dominatur astris
Conditor orbis;
Cerne quas olim tenuere sedes
Prolis augustae tenues parentes,
Divites veris opibus, sed auri
Paupere censu.
O quibus muri caluere flammis,
Quas supernorum choreas et hymnos
Gloriam mundi Domino canentum
Haec domus hausit.
Parva neglectis licet ac repostis
Vilis in tectis, opulenta vincit
Limina, et regum colitur superba
Ditior aula.
Ergo sic sacros adeas penates,
Visit ut quondam referens salutem
Missus a divis adytis, easdem
Angelus aedes.

1726.

Pristina visceribus renovant incommoda bellum,
Nec venit afflictis noctibus ulla quies.
Insultant famulis urenti in tempore morbi,
Ac nostra hinc moeror pectora tristis habet.
Alter vaniloquus, mentis nec compos, et alter
Suspecta aestivo sidere febre iacet.
Incolumem serves materno numine utrumque,
Restitue ac nostris laetitiam laribus.

Digitized by Google

31. JULII.

Festum S. Ignatii de Loyola.

Imbueres late sanctis ut legibus orbem,
  Duxisti e sancta Virgine principium.
Sic vitia exagitas, sacrorum iura tueris,
  Sic Mariae nomen cultor ubique seris.
Te duce prima mihi sanctis sub legibus aetas
  Acta, tuum agnovit iugiter auxilium.
Inde hausit Mariae cultum, pietatis et artes,
  Et quae prima Deum norma timere docet.

1716.

Qui Mariae cultum cunctas Loyola per oras,
  Ad Christi laudem Dite fremente seris;
Errorum Mariae auxilio compesce procellas,
  Quas rabies dudum Janseniana ciet.

1719.

Ignati nova mirandae primordia vitae
  Virgineis Mariae ducis ab auspiciis.
Sic Erebi vires, hydrae sic colla nefandae,
  Crimina et errores sic domuisse potes:
Sic tutas ad regna vias caelestia sternis,
  Sic late Christi provehis imperium.

1722.

Quis ad domandas haereses
  Atque ad fuganda crimina,
  Jesu sacro sub nomine
  Patrum coëgit agmina?
Quis tot iuventae ad literas
  Moresque quis sanctis viris
  Ad excolendos barbaros
  Unus palaestras condidit?
Quis sancto amore Virginis

Succendit orbem perditum?
Quis iura firmavit et fidem
Sacrisque cultum reddidit?
Palmas tot unus irrigat
Prolis beatus germine
Scriptis, labore, et sanguine
Loiolides Ignatius.

1. AUGUSTI.

1715.

Ut vinclis abiit fractis e carcere Petrus,
Sic nostri, Mater, vincula solve metus.
Tunc liceat sanctis studiis curisque vacanti
Condere praesidio carmina digna tuo.

1716.

Vincula qui Petri merita pietate celebrant,
E Petri vinclis experiantur opem.
Ac per Te, Mater, Pastoris iussa facessant,
Et Christum Petri voce sequantur oves.

1722.

Carceris in tenebris, atque inter vincula Petrus
Dum populo et Solymes rege furente iacet;
Virgine cum Maria lacrymas Ecclesia fundit,
Ferroque et vinclis plus valuere preces.
Angelus obsequitur, rabies insana minaxque,
Luditur, ac iusti cuncta pericla cadunt.
Porta patet, custos stertit, cecidere catenae,
Obsistit precibus nil, ubi Virgo rogat.

2. AUGUSTI.

1712.

Gratia Te genuit, Te gratia fonte replevit,
Te nobis fontem Gratia Patris habet.

Digitized by Google

His titulis haec sancta dies mihi, Virgo, refulget;
Pignoraque haec nostrae certa salutis habet.

1714.

L' alma, che afflitta geme,
Le vostre grazie implora,
Cara Madre e Signora,
E sotto il vostro ajuto nulla teme.
Il cor che oppresso giace
Umile a Voi ritorna,
E quando in Voi soggiorna,
Gode nel vostro amor contento e pace.
La fosca mente oscura,
Quando vi mira intenta,
A' vostri rai diventa
D' alto splendore rischiarata e pura.
Freddi e languidi i sensi
Quando a Voi sono rivolti
Da basso amor disciolti,
Sento d' ardor celeste tutti accensi.

1715.

Munera virgineo placuit de fonte Tonanti
Ut plenis homines haustus ebiberent.
Ergo salutares Mariae properemus ad undas,
Temperat haud miseris gratior ulla sitim.

1719.

Parcere quae nostrae es quondam dignata saluti,
Laudibus hanc vellem persoluisse tuis.
Ad Te quo redeant tua munera, Teque celebrent,
Grataque sic donis sit mea vita tuis.

1721.

Christi Sancta Parens, a Te ceu fonte perenni
Justitiae et vitae gratia cuncta venit.

Digitized by Google

Te dedit Omnipotens vitae, pacisque sequestram,
  Inque tuum sortes contulit arbitrium.

3. AUGUSTI.

1714.

Cum nova bella parat geminans febris effera vires,
  Tu quoque, Virgo potens, ingemina auxilium.

1718.

Proxima quae nostris resplendet sedibus aedes,
  Egressu Eliaci nomina pontis habet.
Et de Carmeli dum nomine servat honores,
  Matris me immemorem non sinit esse meae.
Quae me cum teneris aetas adolesceret annis,
  Addixit sacris laeta ministeriis.
Jugibus id siquidem precibus, votisque roganti
  Carmeli licuit obtinuisse die.
Sic Matrem sensi cum longo indutus amictu,
  Suscepi sacrae munera militiae.
Per quam vita mihi sanctis resplendeat actis,
  Et par divinis fulgeat officiis.

4. AUGUSTI.

1713.

A Domino referens Gusmanus nomina, vestro
  Ausus haereseos contudit auxilio.
Huius festa dies, quae haustae vigesima lymphae est,
  Restituat, Mater, membra gravata malis.

1714.

Exemplis, verbisque tuis, et prole, colendae
  Romuleus normam Virginis orbis habet.
Hanc superos inter laudans, Gusmane, frequentes
  Gaudes in terris concelebrare choros.

1715.

Quem pius instituis sancta pro Virgine cultum,
Unde orbis Mariam totus ubique sonat;
Hunc soboles, Gusmane, tua et prolatat, et auget,
Quae Te iam late digna parente viget.

1716.

Quod Mariam cunctas laudet gens sancta per oras,
Virgineas studio concelebrante rosas;
Gusmani verbis debet flammantibus orbis,
Cuius adhuc facibus pectora cuncta calent.
Ille suo nostram devotam nomine gentem,
Sub faustis Mariae protegat auspiciis.

1717.

Laudes qui Mariae resonans, Gusmane, per orbem,
Lilia virgineis nectis amica rosis:
Da nobis tantam digne coluisse Parentem,
Ardore et Mariam concelebrare pari.

1719.

Flammescit fervens insuetis ignibus aestus,
Corporis unde iacet robur, et ingenii.
Inque tuas laudes, Mater dulcissima, carmen
Aruit, ad numeros musaque torpet iners.

1725.

Gusmane, proles quem celebret potens
Verbis, et altae vi sapientiae,
Quem signa clarant, et relati
Hostibus e domitis triumphi.
Te nulla victorem ornat adorea,
Nec palma spretis parta periculis
Extollit astris ampliori
Lumine vel meritis micantem;

Digitized by Google

Quam fusa late qua patet orbis, et
Quacumque Christi relligio valet,
Laus, et potentis Matris ardor
Carminibus referens honores.
Quod voce Matri laetus Ave refert,
Additque iustas quod populus preces,
Testatur impensos labores,
Et celebrat pietas magistrum.
Quisquis rosarum congeminat decus,
Et mente, et ore qui Mariam colit,
Christique vitam, et gesta gratis
Sensibus, atque animis adorat.
Te laudat una, Te sequitur ducem
Praeceptor almi sedulus officî.
Tu perge conscriptas cohortes
Praesidio, et meritis fovere.

1730.

Ingenii vires labor atterit, ac premit aestus;
Sed studia ad Laudes neuter anhela domat.
Ardet amor, quamvis lassatis robora membris
Amplius haud curas carminis illa ferunt.
Sive vices renovent alterno tempora cursu,
Sive inter laeta ac tristia vita fluat;
Te Dominam colimus, Te voce, et corde vocamus,
In vero pietas nescit amore vices.

5. AUGUSTI.

Festum S. Mariae ad Nives.

1712.

Virgo pios famulos dignata audire vocantes,
Designant mirae cui nova templa nives:
Cui decus, et laudes venerata elementa secundant,
Omnia, cui certant tempora in obsequium.
Huc ades, atque animi incussos dispelle pavores,
Virgineaque dies fausta recurrat ope.

1714.

Augusta, et miris portentis condita sedes,
Inclyta Virginei nominis augurio;
Quae sacra Romuleas gentes tutaris, et arces,
Et titulis auges Praesidis Exquilias:
Quam tellus, caelumque colit, quam Numinis ira
Gestit depositis cernere fulminibus:
Spes ubi criminibus veniae portusque salutis
Jactatis pelago, perfugiumque patet:
Quam pius extremis properans peregrinus ab oris,
Et tacito e caeli cardine pronus adit:
Si tua perpetuis niteant laquearia donis,
Laudibus et laetis atria pulsa sonent;
Saepe meis in Te ut Patris clementia votis
Annuit, et Mariae sensimus auxilium.

1716.

Quae nostras aedes, clemens Regina, benigno
Lumine de celsis prospicis Exquiliis;
Sublimes ubi rara Tibi miracula sedes
Signarunt, aestu consociante nives;
Respice Pastorum Patrem miserata iacentem;
Febrisque hesternae pelle pericla procul.
Incolumis redeat consueta ad munera, vires
Corporis, atque animi Te reparante novas.

1719.

Subdita quam nutu sentit natura potentem,
Cuius virgineum certat in obsequium;
Miris quam Dominam officiis elementa fatentur,
Per quam saepe suas dedidicere vices:
Cuius ad imperium fervor mitescit, et algor,
Aestibus et gaudent consociare nives:
Huic positam summis hospes dum conspicis aedem
Exquiliis, sensu relligionis adis;
Muta tibi obsequii stimulos elementa ministrant,
Ne vincant cultus officiosa tuos.

Digitized by Google

1720.

Sublimis Mariae, quae surgit nomine moles,
  Prae cunctis titulo Maior et auspiciis;
Signavere nives cui per miracula formam,
  Ipsaque Virgo locum legit, et artis opus;
Testatur summo veniant quam grata Tonanti
  Delata in cultum Virginis officia.

1726.

Canamus hymnis sempiterni Numinis
  Matrem potentem gloriae;
Graves ut aestus invocata temperet,
  Morbosque dispellat procul:
Ut sana servet corda, mentes, corpora
  Suo dicata nomini.
Nam cuncta parent ipsius sic legibus,
  Mutent vices ut tempora,
Nivesque fervens fundat aestus algidas,
  Quae templa signent Virginis:
Dignetur ipsa supplicantis annuens
  Mutare mores servuli.

1729.

Aonides, late furit aestas, ite sorores,
  Nam sitit haud vestras temporis ardor aquas.
Nunc Latias Phaebo colimus flammante camoenas,
  Musam et vicinas quae tenet Exquilias.
Illius ad niveos praestat considere fontes,
  Dulcius haec vatum temperat unda sitim.

6. AUGUSTI.

1712.

Claudimus epotae non infeliciter undae,
  O Virgo, optatos, Te miserante, dies.
Relliquiae et morbi penitus, aestusque superstes,
  Sentiat extremam, Te refovente, manum.

1714.

Transfiguratio Domini.

Christe Patris splendor, solem qui lumine vincis,
  Candoremque nivis veste nitente praeis
Delicias patriae, et caelestis gaudia regni,
  Qui laeta vultus exprimis in specie.
Junge Tibi Mariae vestigia sancta secutos,
  Namque tui socios luminis esse bonum est.

1720.

Post longas hyemes iam portu, astrisque propinquat,
  Ad patriam et Nato Virgo vocante redit.
Respicit exactos pro Christo laeta labores;
  Laetior atque illis serta parata videt.
In risum fletus abeunt, in gaudia luctus,
  Aspectu gestit iam fruitura Dei.
Haec de maternis repleant nos gaudia palmis,
  Illius et festis laetitiaeque parent.

1721.

Dum Virgo, insomnem renovata incommoda torquent,
  Per Te sit reduci parta sopore salus.
Dumque acidos potus medico laudante paramus,
  Per Te, Virgo, ferat lympha salubris opem.

1728.

Praelia te puerum, sed non puerilia, caeli
  Ballarine, sacris inseruere choris.
Virgineo Mariae protectus numine pugnas,
  Certaque palma pia de Genitrice venit.
Cum superas studiis affectes fervidus arces,
  Terrena aethereus vincula frangit amor.
Non pietas fert vera moras, has rumpis, et ipsos
  Annorum cursus relligione praeis.
Respice iam socios, similesque his iniice flammas,
  Ut paribus cursum gressibus arripiant.

1729.

Dum Mariam canimus caelestem effundite rorem
  Assuetae superis fontibus Uranides.
Aestivis radiis arescit vena canenti,
  Nec chelys ad numeros ingeniumque valet,
Diffluit exundans lassati corporis humor,
  Ad curas animus torpet apollineas.
Vincat amor flammis incendia, solis et aestus,
  Cantuque, et fidibus toedia longa levet.

7. AUGUSTI.

Festum S. Caietani.

1714.

Qua nocte aethereis Verbum descendit ab oris,
  Vincula captivis solvere dum properat;
Tu Caietani infantem complexibus offers,
  Deliciis hominum laeta tulisse Deum.
Sic qui divitias animo proiecit inanes,
  Totas nunc coeli possidet unus opes.

1717.

Indomiti surgunt non sueti pectoris aestus,
  Et placidos dudum corripit ira sinus.
At Tu, Virgo Parens, sensus cohibere tumentes,
  Fluctusque excitos sternere sola potes.

1721.

Virginei auspiciis quas nominis hausimus undas,
  Virgineo nobis numine proficiant.
Per coeca haerentes abstergant viscera sordes,
  Ut vigeat puro in sanguine prisca salus.

Digitized by Google

1722.

Quos acidae suetos haustus, pia Virgo, paramus,
Virgineis vires nutibus accipiant.
Viscera detergant, et robora pristina reddant,
Nosque aptent studiis, efficiantque pares.
Impositas ut rite gerat mens sedula curas,
Muneribusque valens, officiisque vacet.

8. AUGUSTI.

1718.

Debita divae
Carmina Matri
Concinat orbis.
Vosque Parentis
Pangite laudes,
Quotquot olympi
Templa tenetis.
Laetaque tanto
Numine tellus
Tota perenni
Laude resultet.
Quisquis in atris
Fluctuat undis,
Et fera Ditis
Damna pavescit;
Sidus amicum
Cernat et illi
Pectore dignos
Reddat honores,
Quo duce tutus
Per vada ponti
Tendat ad astra.
Ergo salutis
Cuncta celebrent
Ora Parentem;
Nostraque dulci
Matris amore
Corda calescant.

Digitized by Google

1726.

Quae tristes hilaras, quae voce pericula pellis,
Qua venit ex ipso spes revocata metu;
Adspice turbantes trepidanti in corde procellas,
Pacemque excussam commiserata reduc.
Protinus et pavidi excipiant tua munera sensus,
Atque in Te veram laetiam inveniant.

9. AUGUSTI.

1712.

Qui dudum medicae auxilium mihi contulit artis,
Jam cursu Romam deproperante petit.
Tu superes, bona Virgo, meae spes fida salutis,
Est in Te vitae certius auxilium.

1714.

Languentem terris, Mater, Te detinet imis
Noster amor, Christo et cogit abesse diu.
Jam nunc divus amor superas Te invitat ad arces;
Esse tamen nostri non sinit immemorem.

1716.

Dum furit ardentis flammescens sideris aestus,
Nec nostrum vera cor pietate calet;
Ne, Regina potens, languore tepescat inerti,
Caelesti per Te protinus igne flagret.

1719.

Ignibus insolitis fervens incanduit aestas,
Qua fluvii resident, aret et omnis ager:
Corpora deficiunt, haeret mihi carminis unda,
Nec, Virgo, ingenium Te celebrare valet.

Digitized by Google

10. AUGUSTI.

1712.

Victor succensos temnit Laurentius ignes,
  Nec firmata animi robora flamma domat.
Da mihi, Virgo, pares pavitanti in pectore vires;
  Contemnat cunctos mens tremefacta metus.

1713.

Cui pia virgineas cumulat prudentia laudes,
  Quae plena prodis lampade iuncta Deo.
Ut sacra Laurenti firmarunt robora flammae,
  Sic urant nostros, Te miserante, sinus.

1714.

Accende in nostro divinas corde favillas,
  Ut flagret sacris hostia digna focis;
Dum fortis rapidos superat Laurentius ignes,
  Maiori ardentes igne cremante sinus.

1715.

Non te, Laurenti, tortores, vincula, flammae
  Pectoris e valido robore dejiciunt;
Sic ignes, saevasque minas, mortemque, triumphas,
  Firmasque eloquio martyrioque fidem.
Det mihi sancta Parens pugnantum duxque comesque,
  Per gressus palmam posse tenere tuos.

1716.

Tortores temnit, caedemque invictus, et ignes,
  Igne sinus Martyr dum potiore flagrat.
O flammis utinam paribus succensus inanes
  Mundi delicias et bona posthabeam.
Has mihi si Christi Genitrix imploret, abactis
  A nostra curis mente beatus ero.

Digitized by Google

1717.

Non te saeva domant, Laurenti, incendia, nam prae
  Ferventi exurit pectore flamma minor.
O mihi si parili ferveret pectus ab igne,
  Et pro divina Matre caleret amor;
Indomitus mentem non irae frangeret aestus,
  Ureret haud mundi dira cupido sinus.

1721.

Non te suppliciis, Laurenti, coeca subegit
  Barbaries; ardens omnia vicit amor.
Virgineo unde potes palma comes ire triumpho,
  Cuius festa sacris laetitiamque praeis.

1722.

Virgineis titulis iam Musa assueta canendis
  Laurenti laudes insere virgineis.
Necte triumphales pura inter lilia palmas,
  Victricem in strenuo milite pange ducem.
Illa in Martyribus pugnandi robur adauxit,
  Illa feras, ignes, armaque continuit.
Sic et in Athletis pugnantibus illa triumphat,
  Ac donante illis laurea Matre venit.

1724.

Le brage ardenti e la più cruda morte
  Sprezza Lorenzo, che di maggior vampa
  Il Levitico petto arde ed avvampa
  Pronto, costante, coraggioso, e forte.
O qual beata e fortunata sorte
  Con piè veloce, che appena orma stampa,
  E per tema o tormento non inciampa,
  Giungere in breve a le celesti porte.
Mio cor che agogni? Timido e codardo,
  Manchi e ti arresti, e ti rimani all'erta;
  Al Ciel non vassi con piè lento e tardo.

Digitized by Google

Voi, Regina, scuotete all' inesperta
Mente le larve intorno, onde ritardo
Il corso, al di cui fin la gloria è certa.

1730.

Respicis hinc palmas, rapidos hinc respicis ignes,
Nec diro trepidant pectora supplicio.
Promissa infractum firmant Tibi robora pectus,
Laurenti, Sacro digna ministerio.
Aeternaeque animum quatiunt incendia flammae,
Quae prae mortali saevius igne vorant.
Et nostrae, o Mater, largire haec robora menti,
Ne mala formidet, quae brevis hora rapit.

11. AUGUSTI.

1718.

Felix o nimium qui
Primaevis puer annis,
Interque ordia vitae
Puri pectoris almae
Matri addixit amores.
Qui mendacia temnit
Stulti splendida saecli;
Quem non devius urget
Caeci criminis error;
Nec respersa veneno
Mentem gaudia ludunt;
Sed caelestia sanctis
Votis ambit anhelus,
Et vestigia gressu
Illibata Parentis
Servat, virgineosque
Gestat pectore mores.
Non ille horret atroces
Imi carceris ignes,
Sed mansura beatus
Caeli regna tenebit.

Digitized by Google

1719.

Sirius ardenti dum incendia sidere miscet,
Nostra, Parens Christi, sit Tibi cara salus;
Ut licet arescant fontes, terraeque fatiscant,
Corpuris haud, per Te, robora fracta cadant.

1726.

Canimus Mariam, cedite curae;
Libera cantus vacet officio
Mens virgineae debita laudi.
Morbosa bellum renovant astra,
Ac tristitiae revehunt nubes.
Tu pelle, Parens, quidquid famuli
Studiis obstrepit. Aurea redeant
Tempora, quondam Virgineis mihi
Precibus condita, nullisque diu
Obsita tenebris; cum tranquilla
Pace fruentem pia nutribant
Otia vitam, cum Te canerem
Decus atque tuum. Sic nunc veniant
Comitas vestri, Virgo, triumphi
Hilares digna voce Camaenae.

12. AUGUSTI.

1712.

Annuus exacto completur circulus orbe,
Quo Mariae laudes concelebrasse datum est.
Nulla dies pavido gemitu luctuque vacavit,
Nec caruit luctu carminis ulla dies.
Saepe inter trepidos languores, inter et aestus
Heu! tremula scripsit dextera versiculos.
Tu tamen exiles, Mater, ne despice cantus,
Quos inter morbos edere mens potuit.
Hinc iam tergantur lacrymae, luctusque facessat,
Sitque novis annus laetior auspiciis.
Et quod Nuceriae revoluto claudimus orbe,
Officium Angelicum claudat, Ave Maria.

Digitized by Google

1713.

Te Mariam incomtis tollenti laudimus annus
  Tertius incaepti volvitur officii.
Profuit excussis morbis cecinisse roganti;
  Nulla darent quamquam carmina nostra melos.
Quid si par meritis flueret mihi vena canenti,
  Dignaque virgineo Nomine plectra forent?

1720.

Tristes incursant, agitant et pectora curae,
  Et vano pulsant credula corda metu.
Tu pavidam mentem caelesti robore firmes,
  Ne timor humanam quaerat inanis opem.

13. AUGUSTI.

1712.

Alter in officium Mariae mihi vertitur orbis,
  Laudandaeque novus Virginis annus init.
Te Maria donante, dies sine crimine currant,
  Sitque e virgineo carmine tuta salus.
Tartarei nullis noceant insultibus hostes,
  Et pateat nullis, Te duce, vita malis.
Tu mihi praesidium, Tu spes firmissima, signes
  Omnia, Virgo, tuis tempora muneribus.

1714.

Sessura Christi ad dexteram
  Caelo propinquat patrio
  Perfuncta sacro munere
  Beata Mater Numinis.
Illam supernus caelitum
  Invitat ad regnum chorus;
  Sceptrumque caelestem super
  Daturus orbem filius.
Expectat illam gloriae
  Largitor aeternus Pater,

Digitized by Google

Sanctusque ad Agni nuptias
Sponsam paratam Spiritus.
Adornat illa lampades,
Sponsoque tendit obviam,
Nec nlla spes mortalium
Gressus retardat Virginis.
Sic absoluta corporis,
Vocante Christo, vinculis,
Mundi tenebras deserit,
Subitque lucis patriam.

1720.

O ch' a la gran Regina
Il trono in ciel s' appresta,
Tutti d' amore accensi
Il cor, la mente, i sensi
Salutiam la vicina
Dolce, lieta, gioconda, amabil festa.

1721.

Et pavor et tristis dum morbus torquet et aestus,
Excipe conceptas corde calente preces,
Tu data terrigenis caelesti a Numine Mater,
Ut trepidas cures, ac tuaris oves.

14. AUGUSTI.

1711.

Terrenas pertaesa moras et vincula, pacis
Limina prospiciens iam subitura polos,
Lugentes natos, fideique affata magistros
Nectareo verba haec ore suprema dedit:
Flammantes gemitus tandem miseratus amantis
Me summa e caeli filius arce vocat.
Nulla tamen vestri tangent me oblivia, pressis
Jactatisque salus, et pia Mater ero.
Sic ait, et placido lactentia membra sopore
Composuit, mortis munera somnus obit,

1712.

O trepidi, et dudum frigenti in pectore sensus,
Nostra choros superum scandere Virgo parat.
Eia triumphantem Matrem comitemur ovantes,
Sit procul antiquae noenia tristitiae.

1714.

Aurata lucis limina,
Sedesque pacis inclytas,
Qui praesidetis Angeli,
Virgo propinquat, pandite.
Prodite cives obviam,
Viasque palmis sternite,
Clara et triumphi insignia
Laeti coronas nectite.
In Virginis victoriam
Parate laudis carmina,
Festisque dignum vocibus
Paeana Matri pangite.
Aptate sistra et barbita
Lyras, tubasque et cymbala:
Io! resultet, atque io!
Io! triumphe dicite.

1715.

Veni decus mortalium,
Caelestis orbis gloria,
Mater superni Numinis
Ne vota caeli differas.
Te tota Sanctorum cohors,
Teque Angelorum curia
Quaerit, salutat, et vocat,
Ac Te beatam praedicat.
His dum propinquat, vocibus
Mariam reposcunt caelites,
Finemque terrestris morae
Instare Matri gestiunt.

Digitized by Google

1719.

Non Te, sancta Parens, armis Libithina peremit,
Membra nec extremus lactea languor habet;
Ardenti aethereis fixam sed corde sagittis
Ad caeli divus regna vocavit amor.

15. AUGUSTI.

Assumptio B. V. Mariae.

1711.

O sacro, o caro, o sospirato avello,
In cui già di Maria giacque la spoglia,
Pria che rapita a la superna soglia
Rendesse il dì più chiaro, e 'l ciel più bello.

1712.

Di grazia e di splendor cinta ed adorna
La colomba di Dio l'ali distende,
E dove il Figlio a se l'invita e attende,
Al Ciel, ch'a noi la diede, al Ciel ritorna.
Ivi a destra di lui lieta soggiorna;
Ma de' mortali ancor le preci intende,
E sì dolce di noi cura si prende,
Che del nome di Madre e gode, e s'orna.
Pur ci desta a seguirla, e s'allontana
Sì de la nostra terra oscura e bassa,
Che da' bisogni altrui non è lontana.
Deh! Madre al core impoverito e solo,
Date, ed a l'alma sospirante e lassa,
Spirto a chiamarvi, ed a seguirvi il volo.

1713.

Regina solis lumine
Amicta terras deserit,
Caeloque et orbi praesidet
Plaudente turba caelitum.

Aurora soli proxima
Mundi tenebras dissipat,
Et nos benigno sidere
Caelesti ab arce prospicit.
Invisa lugent tartara
Spem recreata gentium,
Adaucta Olympi gaudia
Cantu salutant Angeli.
O Mater audi supplicem,
Ut dum triumphi lauream
Rudi retexit carmine,
Comes venire gestiat.

1714.

Reginam Superùm, quam Pater extulit,
Quam divo decorat lumine Filius,
Quam multo cumulat munere Spiritus
Sacratus celebrat dies.
Lingua ergo meritis laudibus inclytae
Matri laetitiam promere gestiat,
Vicinamque throno Numinis efferat
Auctamque imperio poli.
Maternam celebret voce potentiam,
Mitem supplicibus, terribilem stygi;
Interque assidui damna periculi
Spem mortalibus additam.
Collatae recolat vim Sapientiae,
Qua Nato fruitur lumine proxima;
Flammasque aethereas, queis pia caritas
Urit virgineos sinus.

1715.

Obscura, Mater, nox tuam
Lucem repressit iam diu;
Et longa Te furentibus
Procella iactavit vadis.
Discussa tandem nubila
Non lumen ultra contegunt;

Digitized by Google

Ac sole longe purior
Decora se lux explicat.
Hiems et imber transiit,
Stratisque portum fluctibus
Raris onusta mercibus
Plaudente caelo iam subis.
Laetare partis praemiis,
Regnique serto triplici
Nostrasque sublimi preces
De sede clemens excipe.

1716.

Invecta lucis sedibus
Regina caelorum potens,
Quae celsa terras respicis,
Iramque avertis Numinis.
Hac luce fusos nuntiat
Secunda fama barbaros,
Per signa quos tu Caesaris
Invicta fractos proteris.
Subiecta si parent Tibi
Caelestis orbis agmina,
Jam perge victos caedere
Christi triumphet ut fides.
Infer subactis arcibus
Vexilla divinae Crucis,
Superbiamque Thraciam
Tu, Virgo diva, comprime.

1717.

Terrea despiciens caelo subvecta sereno
Sancta Parens Christi regna beata subit.
Angelicae exultant illa veniente phalanges,
Laetifica et sacrum voce poeana canunt.
Obvius occurris dilectae, Christe, Parenti,
Aeternaque super sidera sede locas.
Nostras ut laudes sumat Regina precesque
Nobisque e caelis ut tua dona ferat.

1718.

Postquam victor ab inferis
Jesus ad superos redit,
In tristi Genitrix dolens
Luctu tempora transigit.
Natum fletibus invocat,
Caelum languida suspicit,
Longasque exilii moras
Pergit fervida conqueri.
Tandem vincla amor abscidit,
Et finem lacrymis dedit.
Casti pondera corporis
Purus spiritus exuens
Ad Christum properans volat.
Laetusque Aligerûm chorus
Festis vocibus insonat.
Matrem suscipit obvius
Interque agmina Filius
Traditque aurea triplicis
Illi sceptra potentiae.
Tuque o respice supplices
Mater Numinis inclyta,
Subductosque periculis
Caelorum insere sedibus.

1719.

Aeternas cives caelorum pandite portas,
Sidereas sedes regia Virgo subit.
Cuius in adventu Summi Patris aula resultat
Laudibus, et meritum gestit in obsequium.
Terra etiam aspectu quamquam viduata Parentis,
Caelesti gaudet laeta patrocinio.
Tuque o sublimi, Mater, de vertice Olympi,
Respice, qui laudes concinit usque tuas.
Fac, ut virgineae relegat vestigia vitae,
Et per Virgineam tendat ad astra viam.

Digitized by Google

1720.

Post longas hyemes caelo subvecta sereno,
  Sidereas sedes regia Mater adit.
Terrarumque polique potens, Natoque propinqua
  Materni exercet iura patrocinii.
Sic abiisse iuvat nec discessisse Parentem,
  Quae ad nostrum est proprior reddita subsidium.

1721.

Virgineo caeli dum personat aula triumpho,
  Largire, o Mater, munera supplicibus.
Laetitia in tanta, tuaque inter gaudia, morbis
  Haud nos iactatos ingemuisse decet.
Ergo quindenis incommoda lata diebus
  Te precor, abscedant, Virgo, iubente procul.

1721.

Luce sacra aeternos Mariae celebrare triumphos
Mens iubet, invitat numeros dum plausibus aether,
Provocat et resonis dum laudibus orbis olympum.
Ergo age, sideras adeamus carmine sedes,
Ac terras animus post Matrem deserat imas.
  Filius ut primum patrias remeavit ad arces,
Occlusosque diu dimovit cardine postes,
Et strata ad superos patuit via, longa trahebat
Cum gemitu et lacrymis suspiria singultusque.
Heu! nato viduata Parens. Ceu fixa sagittis
Cerva sitit fontes, requies nec cursibus ulla est.
Sic madidis caelum Mariae dum spectat ocellis,
Et sedes, quas Christus habet, dum mente pererrat,
Mortales pertaesa moras abrumpier optat
Vincla, sequi Natum quae vincula dura recusant.
Nunc speciem repetit, repetit nunc verba loquentis,
Nunc loca tristis obit, vestigia quotquot amatae
Lucis adhuc referunt. Ea sunt solatia matris,
Sic animi luctum, rapidos sic temperat ignes,
Exiliumque levat. Memoris sed pectoris aestus

His alitur flammis, et vis magis urget amoris.
Hic turbas pavit confertas, hic tulit aegris
Commiseratus opem, Patrique hic victima cessit;
Conditus hic iacuit, redivivum hic visimus, ehu!
Extremumque vale supremaque verba locutus
Hinc, ait, ad Patrem, et caelestia regna recessit.
L x mea, iam pigeat sine te vixisse relictam,
Eu longas traxisse moras, Quis finis amari
Clarceris? aut quando Te lumina nostra revisent?
Quando delicias regni, et tua gaudia pleno
Fonte bibam? vita non mors mihi durior ulla.
Sic ait, et tacito dum carpitur igne medullas,
Languet amore Parens; donec miseratus amantem
Omnipotens, ardore pari qui nunciet, alto
Demittit caelo, vicinaque gaudia Matri,
Exactasque hyemes discussaque nubila et imbres;
Ad patriam properet Libani de vertice, partam
Ut referat longo gemitu belloque coronam.
Ergo terrarum quamquam diversus in oris
Doctorum Patrumque chorus, mora nulla, frequentes
Conveniunt, fidei proceres et lumina, Petrus
Ante alios, ovium pastor Petrus, agminis unus
Ductor Apostolici; trepidique strata iacentis
Circumstant tristes, Matrem vitaeque salutisque
Officiis una certant celebrare supremis.
Illa oculos tum luce nova perfusa serenos
Solatur pavidos, roseoque haec ore profatur:
Exilii iam finis adest; me dulcis olympi
Christus ab arce vocat. Non vos tamen ipsa relinquam
Subsidiis praesens, trepidisque vocata periclis
Mater ero, vestri me nulla oblivia tangent.
Macte animis, certate alacres, per tela, per ignes
Christi inter coecas nova lumina fundite gentes.
Praelia non longo venient aeterna labori.
Tunc optata quies, placidoque simillima somno
Obrepsit membris, maternaque lumina clausit.
Solvitur in lacrymas mixta inter gaudia Patrum
Circumfusa cohors, rutilavit luce serenus
Candidiore dies, pontusque et terra resultant,
Et nova laetitiae totus signa edidit orbis,

Ingemuere cavis sed tartara nigra sub antris,
Concussaeqne fores Cocyti et regna propinquam
Sensere errori et sceleri tremefacta ruinam.
Prospiciunt lugentque vices, clademque futuram,
Praecipiunt animis; iam templa nitentia cultu
Virgineis titulis horrent et Virginis aras,
Jam concepta pavent populorum vota precesque,
Praesidiumque vident tutum virtutis et arcem.
Taenarias prorsus vires quae frangat et ausus.
At quae tunc toto sonuerunt gaudia caelo
Adventum, Regina, tuum dum plaudit et ardet
Opperiens? Dominam iam Te Patris aula salutat,
Laetaque in occursus effunditur. Obvia prodit
Aligerûm stipata cohors, atque agmina Patrum,
Qui saeclis Mariae laudes cecinere futuris;
Et primi humanae sobolis generisque parentes
Cernere amant, quae orbis potuit reparasse ruinam,
Spemque hominum diva prole erexisse iacentem.
Nubibus ipse etiam curruque invectus eburno,
Lampade splendidior Phoebi, radiantior astris
Progreditur caeli reserato e limine Christus.
Interea Angelicis humeris sublimis in altum
Tollitur Arca, novo tulerat quae foedere pacem,
Mirandisque modis sociaverat ima supernis;
Quam fuit hospitio ac thalamo dignata iugali
Progenies aeterna Patris. Quacumque per auras
Subvehitur, ventique silent, nubesque recedunt.
Virgineum ambrosios corpus late afflat odores,
Caelumque exhilarans caelestia lumina vincit.
Huius in amplexus, maternaque in oscula Christus
Dulce ruit, longos Matris solatus amores.
Illius impensos memorat laudatque labores,
Et sociam luctus sociam iubet esse triumphi.
At Mater luctus penitus oblita priores,
Haeret, et optata expleri nequit ora tuendo,
His pendet fruiturque, venit tanta inde voluptas,
Maternum largo quae fluminе pectus inundat.
Dulcia quae tanta pepererunt vulnera palmam,
Felices lacrymae, suavis labor, unde perennis
Parta quies, et parta venit nova gloria regni.

Excipit una ambos nulla discrimine sedes,
Aethereisque plagis longo ordine pompa propinquat.
Angelicae paeana canunt, praeeuntque phalanges,
Pars currus comites ludunt circumque supraque,
Pars fidibus, liquidis pars vocibus aethera mulcent.
Nomen io! Mariae lucis celsa atria pulsat;
Reddit io paean! et io, excipit aura, triumphe!
Pontus io! assultat tellus caelumque triumphe!
Laetitia et plausu circumsonat orbis uterque,
Quem Mariae laudes mira dulcedine complent.
Aurea cum subeunt caelorum limina, portis
Virtutum chorus omnis adest bipatentibus; illam
Integritas, niveusque pudor, pietasque, fidesque
Simplicitas, demissa modestia mentis, amorque
Divus, et in miseros clementia prona iuvandos,
Excipiunt choreis, titulisque insignibus augent.
His comitata Dei solio deducitur. Inter
Immensos lucis folgores arduus ille
Unusque Trinusque incomprensaque verendus
Maiestate sedet. Visum tunc Numen adorat,
Atque novo patriae de lumine tota coruscat.
Ceu radios specula excipiunt, lucemque remittunt
Protinus, et veri micat aemula solis imago.
Tunc Natam, Sponsamque simul, dulcemque Parentem
Suscepit complexa Trias; triplicemque coronam
Imposuit. Celso stellisque ardentibus apto
Jussa sedere throno, genito sibi dextera Verbo,
Regna domat Ditis, terras regit, imperat astris.
O Te Reginam tam laeta sorte beatam!
Jam fruere amplexu, quae sunt tua praemia, Nati.
Sollicita amissum Solymis quem mente, dolensque
Quaesieras, secura tenes; vitaeque procellas
Evasisse iuvat. Gladius qui pectus adegit,
Te sociam quondam comitemque fugaeque Crucisque
Deliciis patriae sceptrisque micantibus ornat.
Respice nunc quantis iactatur fluctibus orbis,
Mortales miserata vices. Jacet obsitus alta
Immensus Libyae et Asiae caligine tractus.
Coeca per Europam furit haeresis. Arma minasque
Bistones intentant; gelidoque aquilone carinae

Jam nova bella parant. Gallorum tristia fines
Funereo squallore replent contagia : diro
Anglia pressa iugo lacrymis votisque Jacobum
Ad iura et sceptrum studiosa reposcit avitum,
Calcat iura nefas, foedatque licentia mores.
Relligio sua damna gemit ; ratis unica Petri
His trepidat concussa vadis, agiturque procellis.
Tu verbo nutuque potens compesce tumentes,
Excitasque Erebi insidiis atque artibus undas.
Romulei infensos Tu comprime nominis hostes,
Christiadûmque animos viresque in foedera iunge.
Te duce sepositis terrarum affulgeat oris
Vera salus, nomenque tuum laudesque celebrent.
Adspice nos etiam primis quos pascis ab annis
Otia ne perdant, ne improvida defluat aetas,
Neu vitia in praeceps, aut devius urgeat error.
Sed tua, Virgo Parens, vestigia pone legentes,
Auspice Te, vitae capiamus dona, tuosque
Rite triumphales caelo referamus honores.

1724.

Quando in alto poggiando al Ciel sen giva,
  Di splendor cinta e chiara più del Sole,
  La gran Signora, nostra madre e diva,
  Così la terra sciolse le parole.
Ite pur de' contenti a la sorgiva,
  Ma non lasciate abbandonate e sole
  Nostre contrade, che se al Ciel arriva
  Mio pianto, aita mancarmi non puole.
Fu quì l'esiglio, e quì tra mille doglie
  Languiste è ver, ma pur tante corone
  Oggi la vostra sorte ne ricoglie.
Soave nostro pregar vi giunga e suone,
  Poichè, mentre egli in Ciel lieta vi accoglie,
  Il dolce nome di Madre v'impone.

1725.

Erepta terris, Virgo, dolentibus,
Caelique summis addita sedibus,
Donata sceptris et coronis
Imperiique potens perennis;
Ades roganti, diva precor, precor,
Solare tristem, quem metus excutit;
Ostende Te Matrem, ac benignis
Profer opem studiis paventi.
Luctum iacentis si pia respicis,
Tendisque tristi de superis manum,
Haurire sanctam virginalis
Laetitiam poterit triumphi.
Canet supernis praepositam choris,
Terraeque laetus Te Dominam feret,
Musâque Matrem cultiori
Vocibus ac fidibus sonabit.
Magnae diei sic veniet comes,
Seseque caeli plausibus inserens,
Oblitus et damna et labores
Gaudia percipiet superna.

1726.

Quae cura in terris nostros affiget amores?
Quae procul a caelo vincula distineant?
E terris postquam Mater super astra recessit,
Carceris abrumpens, exiliique moras.
Hanc studiis, votisque, hanc voce, et corde sequamur;
Illic vivat amor, iuncta ubi Virgo Deo est.

1729.

Exilio et saecli vinclis vitaeque solutis,
Ad pacis sedem regia Virgo redit.
Panditur aula Patris reduci, caelique cohortes
Reginam effusis laudibus excipiunt.
Ereptam nec terra dolet, qua praeside, ab astris
Certa tenet votis affore dona suis.

Sola gemunt fremitumque movent stygis antra profundi,
Quae exitium sceleris perniciemque vident.

16. AUGUSTI.

1711.

Tanta tenet Marie caelesti praemia regno,
Tantaque imperii stat ditione potens;
Quanta Pater potuit largiri munera, quanta
Filius aut novit, Spiritus aut voluit.

1712.

Nuove cetre e nuove corde
Musa mia toccar convienti,
A la patria de' contenti
Eco rendi in suon concorde.
Già Maria sedendo stà
A la destra del suo Figlio,
Ed il suo pietoso ciglio
Pur da noi volger non sa.
Chiare son tue luci belle,
Splende il sol nel lieto viso,
E rischiara il Paradiso
Il fulgor de le sue stelle.
A la luce vaga e bella,
Che dal volto suo balena
Nel mio cor si rasserena
Ogni torbida procella.

1713.

Virgo polorum gloria
Quae labis omnis nescia,
Terrena linquis atria
Subvecta regnis caelitum:
Primaeva si mortalium
Te cura pergit tangere,
Oblita nec languentium
Dici Parentem respuis.

Converte natis lumina,
Tuere, quos certamina
Inter cruenta iugiter
Pugnare cernis filios,
Certantibus da frangere
Hostis superbi robora,
Et redde post victoriam
Tecum triumphi compotes.

1722.

Scandis ad aethereas superis laetantibus oras,
Imasque terras deseris,
Spes hominum caeli decus addita Virgo Parensque
Coecique terror tartari
Quae nos in terris teneant seu gaudia vitae,
Seu vincla fallacis boni;
Te superas adeunte plagas, mundoque subacto,
Sedente Christi ad dexteram?
Istic nostra decent, studiis aptantibus alas
Tecum morentur pectora.
Haec sint exilii solatia dulcia, tecum
Amore iunctos degere.
Atque animis votisque tuos lustrare triumphos,
Donec soluti corpore,
Propositas, Te captemus miserante, coronas
Lucis paternae compotes.

1723.

Ingestis quid pectus aquis glacieque rigente
Frustra extinguendis ignibus obruitis?
Namque haerent imis incendia tota medullis;
Ille nec affusis vincitur ignis aquis.
Caelestes afflant verba et suspiria flammas,
Nec nisi caelestis temperet unda faces.
Cernat ut aethereos Maria subeunte triumphos,
Languet, et in tacito pectore vulnus alit.
Ergo Laurenti solamina quaerit ab aestu.
Nec Martyr puero ferre recusat opem.

Arserat, inde aegro succurrere doctus amanti,
Invisae abrupit toedia longa morae.
Sic Stanislaus Matrem comitatus cuntem
Illius aeterni compos amoris erit (*a*).

1725.

Post longa vitae durioris praelia
Palmam tulisti gloriae,
Caeloque victrix Angelisque praesides
Regi propinqua Filio,
Spes orbis et Patrona dulcis exulum
Qui Te colentes invocant.
Converte, Te precamur, ad nos lumina,
Luctusque nostros aspice.
Hinc urget ira saevientis tartari,
Et inde metus Judicis.
Nullos sed hostes meus timebit, tutior
Spectabit extremum diem;
Adesse si digneris obsecrantibus,
Matremque Te monstraveris.

1726.

Quae lux polumque et aëra
Pulsis serenet nubibus?
Quae de supernis sedibus
Imisque certant carmina?
Jam nosco, tam laetas vices
Quae causa rebus afferat;
Regina Mater numinis
Caelum triumphans iam subit.
Cessere luctus, lacrymas
Jam nulla poscent tempora
Hiems recessit, perpetis
Non finis ulla gaudii.

(a) *Quod in hoc Epigrammate Auctor innuit, late prosequitur Daniel Bartoli S. J. insigne ornamentum in vita S. Stanislai Kostka.*

Plaudunt chori caelestium ,
  Matrisque laudes personant ,
  Quae ad dexteram Nati sedet
  Nutuque terris imperat.
Voces precantis audiat ,
  Morbos repellat corporis ,
  Ornet triumphales dies
  Pax restituta mentibus.
Salus laborque muneris ,
  Curaeque tristes , totius
  Afflictae egestates domus
  Illa recedant praeside.

1727.

Teneris puer sub annis
  Sapiens , domus paternae
  Laqueos , ferique fratris
  Odium minaxque vincis.
  Via longa non retardat ,
  Iter asperum nec horres ,
  Amor imperat praeitque.
  Comes ipsa robur addit ,
  Bona Mater , et pericla
  Procul arcet ; insequentes
  Abigit , tenet , moratur.
  Ita candidos paresque
  Reperis novos sodales.
  Aperit tibi quietam
  Amor et fides palaestram ,
  Geminas velut per alas ,
  Quibus ad superna tendis.
  Nihil ima mente tractas ;
  Cupidis ad alta votis
  Patriam flagrans anhelas.
  Penitus peruste flammis
  Raperis volens ad astra ;
  Sociumque te triumphi
  Comitemque Mater addit.
  Oculos Puer beate

Pueros ad hos reflecte,
Regit una quos alumnos
Genitrix, sacrisque nutrit.
Duce Te pericla vitent;
Paribusque corda flammis
Iter expleant salutis.

1730.

Mites, atque humiles Christi de pectore sensus,
Dulcia, si faveas, Virgo, fluenta bibam.
Haec reprimant animos fortuna opibusque tumentes,
Haec et in adversis aspera cuncta levent.
Non meritis venient haec vitae commoda nostris,
Sed pax virgineo e numine fructus erit.

17. AUGUSTI.

1714.

Tuas, Parens, imagines
Euntibus dum figimus,
Te deprecamur supplices,
Iter secundes omine.
Tuo, Patrona gratiae,
Accende cultu pectora;
Mutis figura sensibus
Gressus euntis dirigat.
Depicta quisquis candidi
Exempla vultus viderit,
Salutet ore Virginem,
Et corde Matrem diligat.
Nomen potentis invocet,
Genuque pronus accidat,
Et voce clamet supplici
Virgo precantem protege.

1716.

Threiciis obessa timet Corcyra sub armis,
Et queritur sociûm subsidiique moras.
Adde animos lassis, Pia Virgo, et robur adauge,
Barbaricasque tuo numine frange rates (*a*).

18. AUGUSTI.

1711.

Quam bene nunc Nato Mater regnante coruscat,
Confixit Nato quam moriente dolor.

1716.

Christiadûm ad pugnam properant dum, Virgo, carinae,
Ad palmam instructas aura secunda vehat.
Te duce Bistoniae perdant ut robora classis,
Ponantque eoo sub Cruce iura mari.

1720.

Mirantur speciem, mores mirantur euntis
Caelorum Cives, dum Maria approperat.
Unde et deliciis tantae virtutis abundet,
Quae inculta ascendit de regione, rogant.
Illa sed e caelo traxit, quod redderet astris,
Caelestisque illi in corpore vita fuit.

1721.

Dulce quidem, vires superat sed, Virgo, canentis
Et decus et nomen tollere laude tuum.
Dulcius ire tuae sed post virtutis odores,
At retinet morum pondere vita gravis.

(a) *Achmetes III Turcarum Imperator anno* CIƆIƆCCXVI. *quadraginta peditum, equitumque millibus in terram expositis, ac validissima classe Corcyrensem insulam obsideri imperavit.*

19. AUGUSTI.

1715.

Morbifero quamquam iactatur corpus ab aestu,
  Virgo, salus aegris et medicina venis.

1716.

Corcyra immani Thracum labat impete, praesens
  Auxilium praessae Tu nisi, Virgo, feras.
Tu Venetas acies sociasque faventibus auris
  Ad certum pugnae dirige subsidium.

1720.

Quae circum flammis campos incendit arista,
  Et nostra infestat qui gravis arva notus;
Intendunt sicci morbosos temporis aestus;
  At tua, Virgo potens, temperet aura faces.

1721.

Reginae sacris ubi nomina Porticus addit,
  Roma colit celebrem Virginis effigiem.
Sanctorum cineres augent splendoribus aedem,
  Excubat officiis cui pia cura Patrum.
Cuncta quidem intactae veneratur festa Parentis,
  Sed magis assumptam relligiosa colit.
Sed nec divini desunt praeconia verbi,
  Per dictos veri a solis honore dies.
Confluere huc multos primorum ex ordine cernas,
  Vota ut persolvant, concipiantque preces.
Solatur lacrymas Mater miserata rogantum,
  Et largo in cunctos gratia fonte venit.

1729.

Incensis tantus stipulis incanduit aestus,
  Humidus arentes sic notus urit agros,

Igneus obtusis radiis sic orbe rubescit
  Phaebus, et ardentes fertque refertque dies;
Ut studium fessis, librorum cura laborque
  Immo et corporibus vita sit ipsa gravis.
Sed mihi dulcis adhuc dulci de Virgine cantus,
  Quem non ulla tenet cura, premitque labor.

20. AUGUSTI.

1711.

Virgo laborantem morbi discrimine servas;
  Vita erit officiis hostia grata tuis.

1715.

Festum S. Benardi Abatis.

Qui Te dilexit, penitis arsitque medullis
  Cultor virginei fervidus officii;
Nunc Te caelorum felicia sceptra tenentem
  Et videt, et cultûs praemia cultor habet.

1716.

Thomam Bernardi vestigia sancta secutum
  Omine quem laeto Mandurium genuit:
Roma dedit caelo sublimi ex ordine Patrum,
  Bernardi sacris cum redit alma dies.
Tu Christi Genitrix ambos complexa colentes,
  Fac socios lucis, laetitiaque pares.

1719.

Aeternas ubi Virgo tenet dulcissima sedes,
  Excelso Christi consociata throno;
Illuc et nostri properent iam cordis amores,
  In terris faciunt queis bona nulla moras.

1725.

Reginam Superûm, sidera quae tenet,
Nutu et Virginei temperat imperi,
Dicamus soliti munere carminis,
Quo laeti redeunt dies.
Illi nam referunt laetitiam dies,
Qui sanctis operum fructibus eminent,
Quos saecli maculis non amor inficit
Terrenis inhians bonis.
Quos ardens Mariae praesidium fovet,
Ac lustrat domitis Virgo periculis,
Quos ornat pietas, atque hilarat fides,
Vero et gratia lumine.
Sic ortum revehat Lucifer, Hespero
Sic noctem reduci sidera proferant;
Dum nos virgineo carmine nomini
Laeto pectore fundimus.
Illibata preces excipiat Parens,
Nec cultum tenuis respuat ingeni:
Illa candidior lux erit auspice,
Caeli et gaudia praeferet.

21. AUGUSTI.

Dum quatitur mens aegra metu, trepidatque periclo,
Materna cedit voce sonante timor.

1712.

De la luce, ch' in ciel godi
Degno premio di tua fè,
Per cantar tue degne lodi
Deh! rimanda un raggio a me.
Deh! rischiari l' alma oscura
Lo splendor di tua beltà:
Sia sì candida e sì pura
Qual di Te cantando va.
Fa Maria, che del tuo nome
Degnamente io canti un dì,

E 'l mio canto s' oda, come
Nel tuo ingresso in ciel s' udi.
Quanto lieto, quanto chiaro,
Quanto vago il giorno fu,
Quando in ciel t' accompagnaro
Gli alti spirti, e 'l tuo Gesù!
Ma tant' oltre occhio mortale,
Madre mia, mirar non può.
Ho la brama sì, ma l' ale
Di colomba al vol non ho.

1718.

Candida quae puram circumstant lilia Matrem
Maternum cumulant virginitate decus.
Fac candore pari referat tua lilia pectus,
Atque pari flagrent, Mater, odore sinus.

1719.

Cum caelum aspicio, felix quo Virgo recessit,
Atque ubi perpetuo lumine laeta sedet;
Sordescunt animo, terris quaecumque decorem
Iactant, quae propter pectora coeca ruunt.

1723.

Iam Virgo ad superos choros
Longas exilii post lacrymas abit.
Post diras pelagi minas
Portum pacis habet. Quae retinent morae?
Surgamus strenue, licet
Cives ad superos carpere semitam.
Matrem gressibus haud decet,
Dum cursum illa praeit, segnibus obsequi.
Error fallere non valet,
Caelestem studiis, qui sequitur ducem.
Ipsis nec laqueos mala,
Stultis iniicient, nec bona compedes.
Sectemur Mariam; vocat
E caeli supero cardine filios.

Linquamus penitus terrea, quae nocent
  Et lentos retinent pedes.
Unus iam resides nos amor excitet,
  Ut cum Matre polos super
Cernamus patriae lumina gloriae.

1728.

Bernardus patrio Tolomei nomine dictus,
  Clarus avis, Mariae clarior obsequio.
Sedulus officii servabat pectore morem,
  Nos etiam memores quem retinere iuvat.
Curriculum gravibus studiis regit ille tyronum,
  Quos format scriptis et praeit eloquio.
Dogmata quae tradit, capiat quo lecta inventus,
  Ne ingenio obiiciant ardua dicta moras;
E Mariae dociles implorat numine sensus,
  Solvat et ambages expediatque rogat.
Sic faciles animos doctrina subibat et aures,
  Quos ipsa interius Virgo magistra docet.

22. AUGUSTI.

1711.

Materni lux haec implet quae festa triumphi,
  Impleat et nostras, Matre iubente, preces.

1712.

O superni alati duci
  Del celeste almo soggiorno
  A cui fan le sante luci
  Di Maria sì lieto il giorno:
Dite pure quei puri dardi,
  Che godete a tutte l' ore,
  Non son già saette e sguardi
  Che v' infiammano d' amore?
Non è desso tutto accolto
  Lo splendor del divin Figlio

Ne l' amabile suo volto.
E nel suo pietoso ciglio?
Come luna che risplende
A' i riflessi di quel sole,
Qualche raggio anche ne rende
A la nostra bassa mole.
Se pietosi siete, come
Giustamente il mondo crede,
Deh! vi priego, ch' in mio nome
Le baciate il santo piede.

1714.

Divina Mater, triplici
Quae cincta serto, subditas
Terras et astra et inferos
Regis, gubernas, comprimis:
O Te beatam nuntio
Quae credidisti, lucidis
Illata caeli sedibus
Promissa cuncta possides.
Te nostra spectant lumina,
Te vota nostra, Te preces,
Patrona dulcis, invocant,
Tantaque fidunt praeside.
Tu de supernis arcibus
Ad nos benigna respice:
Audi rogantes, gloriam
Qui Matris hymnis concinunt.
Ne nos gementes deseras,
O firma spes mortalium;
Sit laetus et nobis dies
Tuo celebris gaudio.

1715.

Plausibus ad superas iam Te deduximus oras,
Teque triumphali carmine mens cecinit.
Hoc superest, pia Virgo, poli Regina decusque,
Ut larga effundas munera supplicibus.

Digitized by Google

23. AUGUSTI.

1711.

Cesserunt febres, cessere pericula morbi,
Sic natura tuis nutibus obsequitur.

1712.

O degli egri mortali
Maria, speme e conforto,
Mentre che a venerarti umil mi porto,
Al mio tarpato ingegno appresta l'ali;
E per seguir tue lodi, onde s'invoglia
Poggio volando a la superna soglia.
Che dolcezza che contento
Nel cor sento
Quando il tuo bel nome invoco!
Sento un foco
Che m'infiamma, e mi diletta:
Qual saetta
Fere il petto, e pur mi piace;
Trovo pace
Benchè in sen fiamma s'allumi,
Santi lumi
Che dal volto sfavillate
Voi mi date
Un diletto senza pari:
Lumi santi, lumi cari.

1719.

Qui Te est ad superas sedes comitatus euntem,
Sentiat ille tuo numine, Mater, opem.
Nec doleat, Te, Virgo, suis procul esse periclis,
Aut caelo invectam rebus abesse suis.

Digitized by Google

24. AUGUSTI.

1711.

Languor abit, pulsoque metu stratisque relictis,
  Virginis ante pedes procubuisse licet.

1712.

Tu che nel bel candor l'alba somigli
  Purissima Regina,
  A l'odor de' tuoi gigli
  Fa che l'anima mia corra vicina.
    Quanto chiara risplende
      La tua gran purità,
      Sì cara a Dio ti rende,
      Sì bella in ciel ti fa.
    Ella dal sen del Padre
      Il Figlio trar potè.
      Ella Vergine e Madre
      Con raro onor ti fè.
    Deh! Madre di pietà
      Un sol raggio mi dà
      Del tuo candor, che nel mio cor s'accenda,
      E del tuo santo amor degno lo renda.

1716.

Ad pugnam instructae dum classes, Virgo, propinquant,
  Et spirant mutuas saeva per arma minas;
Christiadis profer victricia signa salutis,
  Submitte et merito barbara colla iugo.

1730.

Quos cieat fluctus, quos Bibliotheca tumultus,
  Virgo, vices famuli commiserata vides.
Est tamen antiqui custodia si Tibi tecti,
  Ut prius in placido limine portus erit.
Haec trepidum firmat de Te fiducia pectus,
  Haec spes incussos pellit amica metus.

25. AUGUSTI.

1712.

Altri d'alloro e mirto orni la fronte
Cantando armi ed amori,
E sognati liquori
Di ber si vanti al favoloso fonte.
Io a Voi, o mia Regina,
A cui la terra e 'l ciel umil s' inchina,
Sacro la cetra e 'l canto,
Che se non poggia tanto,
Quanto è il desio, ch' a Voi lodar m' accende,
Il vostro nome almen santo lo rende.

1719.

Quamvis assiduo resonat mihi carmine nomen
Virginis, et iugi laude camoena sonat;
Nulla tamen veniunt consueti toedia cantus,
Officii crescit quin mihi laude sitis.

1721.

Nuceriae latices acidos, Te praeside, potus
Auspiciisque tui nominis excipiunt.
Utrique abstergant labes sordesque vetustas,
Infartis longo tempore visceribus.
Ut studiis intenta sacris mens sedula Christum
Laudet, et in Christi Te quoque laude canat.

1726.

Quod diuturnis agimur procellis,
Morbus et dudum famulos domumque
Iactat excussam, variisque mentem
Fluctibus urget:
Fletibus culpas memores amaris
Noscimus, summi quibus in Patris
Ardet in noxas, meritisque saevit
Dura flagellis.

Heu! sed insontes premit, atque nostris
Debitus factis ferit innocentes
Arcus, intentae veniunt ab alto
Unde sagittae.
Praeses et Mater properet, potenti
Pellat ut nutu, meritasque poenas
Vertat optatam, precor, in salutem
Praesidiumque.
Nota maternae pietatis, atque
Digna natorum miserante fletus,
Inter effusas lacrymas vicesque
Munera posco.

1729.

Dum rapido ingeminant ardentia fulgura nimbo,
Qui strepit effusa grandine, et imbre tonat;
Proxima dissiliunt dum saxa fragoribus, ictum
Dum sacra, vibratis ignibus, excipiunt;
Praesidium nomenque tuum trepidantia quaerunt
Corda, tuo, Mater, fulta patrocinio.
Accurre, ac trepidis averte pericla minasque,
Numinis atque tui sentiat orbis opem.

26. AUGUSTI.

1711.

Obtritae sensim reparantur corpore vires,
Omnis virgineo gratia fonte venit.

1712.

Mondo il cor, puro il labbro, e sacro il canto,
Sante sian le parole,
Quando lodar si vuole
Colei, ch' al Re del ciel piacque cotanto.
Con forme terse ed intatte
Corra lo stil di latte.
Odansi in suon sublime

Dolcissime le rime;
E tal risuoni in terra l'armonia,
Qual dassi degna in ciel lode a Maria.

1720.

Cedite, dum Mariam celebramus, cedite curae,
Libera mens sanctis laudibus immineat.
Obstrepat haud hominum molesta frequentia, sero
Nec studii moles tempore turbet opus.

1724.

Il tempo vola, e sì brevi son le ore,
Mentre a cure sì varie è l'alma intesa,
Che per troppo affrettar la mente offesa
Più tarda, e lunghe fa più le dimore.
Ma il fine, a cui si corre con maggiore
Velocità, che non da corda tesa
Fa la saetta al segno, mal si pesa,
E in me non desta mai cura od amore.
Qual letargo ci tien così sepolti?
Qual fascino o malìa si lega i sensi,
Che quasi da noi stessi siamo tolti?
Deh! sian per Voi vaghi del Cielo ed accensi,
E d'ogni bassa cura e scevri e sciolti
Corran da i ben fugaci a i beni eterni.

27. AUGUSTI.

1712.

Quando a lodarvi, o Madre, il cor si desta,
S'infiamma il bel desio
Per Voi, dolce amor mio,
E a farvi onor sempre la voglia è presta:
Ma il pensier langue e manca
A sì subblime oggetto,
Che mentre accende il petto,
La mente a la grand'opra offende e stanca.

Digitized by Google

Ma pur l' egro intelletto
Gode, o Maria, da si bel lume offeso.
Dolce è il cader sotto sì nobil peso.

1716.

Agmina virgineis quae nutibus arma cietis,
Gloria queis belli palmaque certa venit;
Arcibus e superis properate, et signa tyranni
Figite virgineo suspicienda tholo.

1719.

Languet iners animus, vibrat dum Sirius ignes;
Quae de Te manat, temperet unda faces.

1724.

Dal solitario mio dolce soggiorno,
Dove mai non giungea turba molesta,
O del mondo fallace l' aura infesta,
Nè perigli, nè aguati avea d' intorno;
Voi mi traeste, e ben ne ho avanti il giorno,
Dove assiduo bisbiglio il cor m' infesta,
E dove, che temere altro non resta,
Onde a la prima età col pensier torno.
Pur se Voi mi sarete in compagnia,
Sarò fuor de la turba, e senza impaccio,
Dove s' affolla più la turba ria.
Deh! mentre in mille cure involto giaccio,
Datemi aita pietosa Maria,
E de le colpe mie rompete il laccio.

1729.

Omnis ut a famulis morbi timor absit inertis,
Nec studiis faciant tempora laeva moram,
Ad Te, Virgo, preces et carmina fundimus, arcem
Nam pacis Te animus, Teque salutis habet.

28. AUGUSTI.

1711.

Qui vegetat Mariae de munere spiritus artus,
De sola Mariae vivere laude cupit.

1716.

Festum S. Augustini.

Magne Pater, laudes qui Virginis Augustine
Saepe tuo gestis concelebrare stylo;
Cerne quibus turbis agitatur Gallia, quantos
In studiis fluctus ceu furibunda ciet.
Comprime succensos animos, submitte rebelles
Judicio, Patrum doctor, apostolico (*a*).

1719.

Dum fidei palmas, Christi dum quaeris honores,
Dum Mariae laudes per pia scripta sonas;
Et terra laudes, caelo et plaudente reportas,
Et mansura polo serta beata geris.

1721.

Collis nobilius nomen qui ducis ab auro,
Aetas ab Jano sed cui prisca dedit:
Quem Petrus aeterno moriens claravit honore,
Cujus apostolico nomine templa tenes:
Ipsa etiam mira sub imagine Virgo Parensque
Addit amica tuis festa decusque iugis.
Hic oblata volens miseris solatia, cunctis
Corde miserta parat pharmaca certa malis.
Hic stygiae trepidant acies, aegrique valescunt,
Naufragus hic portum quaerit, egenus opes.
Ipse liquor, sacram lucet quo lampas ad aram,
In tota aegrotis Urbe ministrat opem.

(a) *Loquitur hic Auctor de Jansenii, et Quesnelii sectatoribus, qui Summorum Pontificum decreta dectrectantes ad supremum Concilium appellare ausi sunt.*

Haec conclamatam reparat medicina salutem,
  Utilis haec animis corporibusque venit.
Salve o quem tanta exornant miracula collis,
  Atque frequens caeli gratia quem decorat.
Non iam Pegaseos latices petat, aut iuga Pindi,
  Virginis ut laudes sedula Musa canat.
Sed bibat illa tuo de vertice carminis auras,
  Virgineisque tuis ora rigentur aquis.

29. AUGUSTI.

Decollatio S. Joannis Baptistae.

Ardet in immeritas corrupta licentia poenas,
  Innocuumque petit dira puella caput.
Hanc lasciva vicem, reddunt dum crimina, perfert,
  Damnat qui vindex crimina, supplicium.
Sic cadis, o Maria Johannes docte magistra,
  Victima defensae munda pudicitiae.

1715.

Deliciae in rabiem cessere, in barbara vertit
  Odia luxuries et malesanus amor.
Hanc Tu Christiadûm pestem de finibus arce,
  Virginei decoris iustitiaeque Parens.

1720.

De superis saepe irradiant mihi lumina mentem,
  Ac pietatis amor pectora saepe subit.
At nisi praesidio Matris pia vota valescant,
  Ipse amor in sterili pectore segnis erit.

1721.

Insigni celebrant suffragia nomine Matrem,
  Queis poenam vinctis suppliciumque levat.
His veniam pacemque rogat pia turba, rogantum
  Et facili Mater suscipit aure preces,

Carceris in tenebris purgantes temperat ignes,
  Exilii et rumpit praecipitatque moras.
Ad vitae fontem sitientibus ostia pandit,
  Optatamque diu suscipit in patriam.

1729.

Αἴθριος ὁ ζέφυρος πάλιν ἑλλάδα εἰδέν' ἀνώγει,
  Νῦν θεμις ἐλθέμεναι εἰς Ελικῶνα πάλιν·
Σιγησαν κρυεροῦ πνοῖαι βορεαο κ' ἀπείλαι,
  Δέξια πάντα πέλει τοῖσιν ἀειδομένοις,
Η τ'ὄπι τὴν ἔθελον προχέεν μελίγηρυν ἀοίδην,
  Ἡ νεῦρα κρούειν ἤνδανε χερσὶ λύρης.
Τμνῶμεν τοινυν Μαρίης ἀρετάς τε κλέοστε
  Ασματα καὶ αἴνους ὁ χρόνος ἐξέτασεν.

30. AUGUSTI.

1711.

Surge novi pignus promissum foederis, ortus
  Patrum suspirant agmina vincta tuos.
Te pia iustorum sospirant vota, reosque
  Spes conclamatae certa salutis habet.
Me quoque congesta scelerum sub mole labantem
  Gestire ad veniam Te exoriente iuvat.

1714.

Festum S. Rosae de Lima.

Indita cum Mariae Tibi nomine crevit amoris
  Vis, digna e sacris nomina ferre rosis.
Asperitas etenim spinis Te cinxit, odores
  Virginea et tribuit moribus integritas.
Sic placuisse potes Mariae, cui filia facta es;
  Sic Mariae nato uubere sponsa potes.

1716.

Auspice Te, Mater, specimen fructumque triumphi
Vidimus, et populi gaudia Romulei:
Clementi fusos referens cum nuncius hostes,
Sterneret ad sacros barbara signa pedes.

1718.

O Regina, choros super
Quae celsa Angelicos sedens,
Terram numine temperas,
Caeli et civibus imperas:
Inter praelia desides
Fractis viribus excita,
Lentoque exanimes metu
Armis fortibus indue.
Curas quae lacerant sinus
Nutu pelle procul precor,
Atque inter vada saeculi
In Te perfugium malis
Concussa inveniat ratis.

1719.

Sueta meas audire, Parens dulcissima, voces,
Accipe quae tenui carmina laude sonant.
Atque humili officio ac studio placata colentis,
Dignare assidui ferre laboris opem.

1720.

O Rosa, quam proprio dignatur nomine, quamque
Virgo maternis excoluit studiis;
Quos Christo ardentes fovisti pectore amores,
Hosce tuus dudum servulus excipiat;
Sedulus inque tuos alacris festinat odores,
Currenti obiiciant nec bona ficta moram.

Digitized by Google

1719.

Incolumes inter, quos fert vicinia, morbos,
Tu servas famulos, Virgo benigna, tuos.
Perge favere, tuis grates ut nostra rependat
Laudibus, assueto carmine vita pares.

1720.

Vultus terra tuos ac splendida lumina quaerit,
Adventumque tuum vocibus illa praeit.
Abs Te nam veterum veniet medicina malorum,
Tecumque e caelis vera salus veniet.
Ergo ades, et longos hominum solare labores;
Errorum tenebrae Te exoriente cadant.

1721.

Non levis a longo morbi languore paratur
Fructus, quod Matris cogat adire pedes.
Illa humiles relevat, pavidos confirmat, et omnem
Tristibus ex animis pellit amaritiem.
Quin dulces afflat concusso in pectore sensus,
Queis pretium multo foenore morbus habet.

1. SEPTEMBRIS

1711.

Navita ceu portum, patriam ceu prospicit exul,
Ceu poscit gelidas aeger anhelus aquas:
Sic mihi, Virgo, tuum mens languida pendet in ortum;
Ille laboris erit terminus, ille quies.

1712.

Su l' erba molle assiso a la dolce ombra,
Pastorello gentil così in divote
Armoniose note
L' antica fiamma dal suo petto sgombra.

Vieni, o Maria, deh! vieni
Alba del mondo,
Che col viso giocondo
Il ciel sereni.
Vieni, o Maria, deh! vieni
Deh! mostra del tuo volto
I chiari rai,
Tu che di splendor molto
Ornata vai.
Ogni colle, ogni monte
Di gigli fiorirà:
Ogni fiume, ogni fonte
Di latte correrà;
E 'l pastor lieto spera
Da la tua luce eterna primavera.
Al vostro apparire
Gli sdegni e l' ire
In pace e amore
Cangiar vedrò.
Le fiere belve
Per queste selve
Senza terrore
Rimirerò.
Lascerà le sue saette
E le giuste vendette
Il sommo Re.
Deporrà lo sdegno antico,
Il Cielo fatto amico.
Tua mercè
A' l' ora terso il pianto
In dolce canto e suave armonia
S' udirà risuonar, Maria, Maria.
Sorgi dunque, o bell' Aurora
E ristora
De mortali i lunghi affanni;
E della cieca notte i primi inganni
Fuggano a lo spuntar del tuo bel lume.
Nuovo costume apprenderà la terra;
Non più guerra, non più lutto,
Ma per tutto

Santa pace regnerà.
Altra speme non ha l' afflitto mondo,
Che nell' orror profondo
Non fia più, che la colpa a morte meni.
Vieni, o Maria, deh vieni.

1714.

Vertitur ecce, tuo splendet qui mensis ab ortu,
Pacis in occiduae candidus auspiciis (*a*).
Ipse etiam famulo reparatis viribus, abs Te
Spemque salutarem, praesidiumque ferat.

1719.

Tristibus afflictum morbis curisque nepotem
Assere caelesti, provida Mater, ope:
Qui aceeptam retulit nuper Tibi, Virgo, salutem,
Inque tua totam pendere laude cupit.

1724.

Già quattro fiate ha con le sue vicende
La luna, or piena, or scema empiuto il giro,
E 'l ciel senza ascoltar prego o sospiro
L' aria di fiamme e le campagne accende.
Ma pure al suo lavoro assidua intende
La mente, nè la mano ancor ritiro
Da la dura fatica, in cui rimiro
Vostra pietade, che cura ne prende.
Quali a Voi grazie e lodi render puole
Mia lingua, ch' umiltade annoda? o quando
Saprà ben dir, ciò che dir cerca, e vuole?
Fate, ch' ogni altra cura io metta in bando,
E da le vostre grazie immense e sole,
Cerchi il verace ristoro cantando.

(a) *Loquitur Auctor de pace inita anno* CIƆIƆCCXIV. *inter Regem Galliarum, et Caesarem post diuturnum, te terrimumque bellum.*

1725.

Qui dies veniunt sereniores,
Quam quibus Mariam piis Camoenis
Dulciter colimus Dei parentem?
Quod iuvat studium docetve mentem,
Aut magis refovet sacros labores?
Cura non stimulat, nec urget ardor
Saeculi, Mariae decus canentem.
Cuncta diffugiunt maligna Ditis
Michinae, insidiae, furor, luesque.
Dulce cum resonat fluitque ab ore
Nomen et melos Angelis colendum.
Sic Pater sobolis misertus Adae
Firmat auxilio potentiori,
Damna quos sceleris premunt aviti,
Atque onus relevat piis camoenis.

1728.

Annua quae redeunt sollemnia Virginis, una
Coniunctis votis haec colit alma dies.
Seu quae promissa, seu quae veniente renident,
Quae sacra viventis, quaeque abeuntis habent.
Una velut variis complexa corona superbit
Floribus, atque hilarat pectora mixtus odor.
Haec memori cultu, et iugi celebramus honore,
Perque haec virgineus pabula crescat amor.

2. SEPTEMBRIS

1711.

All' or che da notturno orrido velo
Mira ingombra per tutto
Di tenebre e di lutto
L' aria, la terra, e 'l cielo,
L' alma dice a se stessa,
Ecco del viver mio l' imago espressa.
Onde rivolta a Te speme e conforto

Luce, ristoro, e porto,
Sospira, e prega, e plora,
Deh! sorgi o bell' Aurora.

1716.

Hungaricos referant quod Caesaris arma triumphos,
Debet Relligio Virginis auspiciis (*a*).

1720.

Quae per Phocaïcos serpunt contagia fines
Massiliae, et populos falce furente secant;
Tu custos Italis procul exige, Mater, ab oris,
Ut Te sit nobis Praeside tuta salus (*b*).

1722.

Inter tot titulos, ac templa nitentia, nomen
Auspicia in populi dulcia, pacis habes.
Ergo age, dum circum classes et bella parantur,
Haeresis in caedes Bistoniique fremunt;
Da, Mater, placidae nos pacis carpere fructus,
Armorumque tuo numine pelle minas (*c*).

(a) *Insignem victoriam de Turcarum copiis in Pannonia partam a validissimo Caesaris exercitu Summus Pontifex Clemens XI. Deiparae patrocinio iure meritoque retulit, de qua victoria Auctor disserit hoc dystico.*

(b) *Anno* CIƆIƆCCXX. *Massilienses, aliosque finitimos populos pestilentia infecit, ideoque Italiae urbes magno terrore captae fuerunt.*

(c) *Anno* CIƆIƆCCXXII. *ingentes copias terra marique Turcarum Imperator paravit ad Christiani nominis perniciem, ut Melitensem insulam, sicuti nonnulli formidabant, invaderet, quod B. M. V. ope minime accidit.*

3. SEPTEMBRIS.

1711.

Aspice, turbatis pelagus dum fervet ab undis,
  Atque rati intentat fluctus et aura necem.
Hinc scopuli, hinc brevia, et caecis hinc saxa periclis,
  Horrendum pandunt undique mortis iter.
At tu, Stella Maris, caeli si fulseris axe,
  Et timor et pelagi damna minaeque cadent.

1720.

Dum mala morbique et curae nos undique turbant,
  Ne, Virgo, assuetum subtrahe praesidium.
Inque tuos ortus incommoda nulla facessant,
  Plena sit ut nobis Te exoriente salus.

1722.

Qua Veneti Orator peragit qui iussa Senatus,
  Illius atque amplis aedibus aula sedet;
Parva, sed insigni splendet domus inclyta cultu,
  Testata e vario marmore Matris opem.
Hanc adit, et celebri stipata frequentia cultu
  Virgineas laudes vespere laeta canit.
Nos quoque romuleas cum primum visimus arces,
  Sensimus hinc dulci numine Matris opem.
Hinc trepidos moesto de corde levavimus aestus,
  Cum spes auxilii nulla superstes erat.
Annuit ardenti conceptis pectore votis,
  Ac sese Matrem Virgo benigna dedit.
Unde etiam effigiem crebro veneramur ovantes,
  Quae tunc perfugii portus et ara fuit.

4. SEPTEMBRIS

1711.

Quamquam nos tristi lacrymarum valle coërcet
  Numine commeritum vindice supplicium:
Quamquam nulla vacant miserorum tempora luctu,
  Vitaque sit diro tristior exitio:
Laetitiae tamen una fovet spes certa futurae
  Jam face virgineum significante diem.
Sic iuvat assiduis producere luctibus annos,
  Quos hilaret natae Virginis alma dies.

1716.

Virgineo expectant certam de munere palmam,
  Quae coëunt Christi sub pia signa rates.
Tu fidei ad laudem, quae pacem ac bella gubernas,
  Christiadûm studiis, inclyta Mater, ades.

1718.

Exorere, o certae spes unica, Virgo, salutis,
  Solamen miseris gentibus exorere.
Ortus namque tuos expectat terra polusque!
  Queis spem virginea luce diemque feras.

5. SEPTEMBRIS

1711.

Non so qual odo intorno
Di contento e di pace eco gioconda;
Il Cielo, e l' aria, e l' onda
Veggio più lieta e più sereno il giorno:
E la terra, ch' appresta
A la real fanciulla
Di fiori ornata culla,
Parmi che di splendor s' adorni e vesta.
Odo in suono gradito

Il replicato invito :
Deh ! vieni alto consuol de' lunghi affanni
Di Eva a ristorare il fallo ed i danni.

1712.

Urbini montes Albanaque tecta valete,
Jam festinantes Felsina amica vocat.
Tu caeli Regina potens, quae audire rogantem,
Et prona gemitus aure parata soles :
Dirige securos ad patria moenia gressus,
Atque habeat felix, Te duce, cursus iter.

1724.

Errai lunga stagion per l' erte cime
Del Pindo e del Parnasso, e d' Elicona
Vago de la febea verde corona,
Che onor credei sopra ogni altro sublime.
Ma poi sprezzando cure basse ed ime,
Cercai poggiar dove Iddio regna e tuona,
E dove il vostro nome alto risuona
Fra le schiere, ch' in ciel sono le prime.
Mi accorsi allor di mie tarpate piume;
E del suo ardire ne portò la pena
L' ingegno offeso dal soverchio lume.
Che far dunque deggio io, se tal mi mena
Desio di farvi onore oltre il costume,
Ma al fin posso di Voi parlare appena ?

6. SEPTEMBRIS

1712.

Te duce gaudentes, et Te comitante beati
Felsineas, Mater, pergimus ire vias.
Nulla pericla metum obiiciant, non imber et aestus,
Nec noceant caeli, Te moderante, vices.

1716.

Dum Tibi pro parto redduntur munere grates,
  Virgo, novus Romam nuntius exhilarat;
Scilicet immani tandem obsidione solutam
  Corcyram, Odrysios exagitante metu.
Ergo etiam hostilem, bona Mater, disiice classem,
  Ut cumules donis dona priora novis (*a*).

1722.

Haud alias paribus caluerunt tempora flammis,
  Nec vis ardoris tam diuturna fuit.
Virginis auxilio sed nos superavimus aestus,
  Et quotquot tulerunt toedia longa dies.
Quamvis urgeret virtus Hispana labores,
  Principis et peterent iussa Parentis opem.
Non nocuit rapidus sub numine Virginis ardor,
  Nec iussus, decuit quem celerare, labor.
Praestet et in reliquos fervoris Virgo diebus,
  Ut damna haud aestus sentiat ulla salus.

7. SEPTEMBRIS.

1711.

Cedite, iam properant nova gaudia, cedite luctus,
  Iustat de Mariae luce serena dies.
Crastinus aethereo de cardine Virginis ortus
  Invida tristitiae tergere signa iubet.

1716.

Dum studiis animus repetitis exigit horas,
  Pro meritis celebrat munera parta tuis.
Tu largiris enim sacris intendere libris,
  Post tot morbosae toedia longa morae.

(a) *Vide* Petrum Polidori *in Vita Clementis XI.*

1720.

Obrepsere meis nocturna silentia curis,
  Lassumque ad numeros tempora sera vocant.
Non piget at Matri suetam dixisse salutem,
  Nec tardat cultus obsequiumque sopor.

1722.

Gaudia dum revehit mundo expectata iacenti,
  Quae Te, Sancta Parens, protulit alma dies;
Fac nos abiectis saecli de pectore curis,
  Ortus, Virgo, tui carpere delicias.
Virgineam lucem fac lumina nostra requirant,
  Fac mens errores nesciat ac tenebras.

8. SEPTEMBRIS.

1712.

O stelle, o cielo, o sole,
Che di quà giù mirate ogni atto, ogni opra,
Se mai giugner là sopra
Possono mie parole;
Dite, in qual nuova vista
Cangiossi il mondo, allor ch' in terra nacque
Maria, che al sommo Re cotanto piacque;
Come ne fu la sede infernal trista.
Come dall' egre afflitte umane genti
Sparì la doglia e 'l lutto,
E si sentì per tutto
Eco lieta di pace e di contenti.
Come il celeste Regno
Con novella armonia
Al nascer di Maria
Salutò de la pace il sacro pegno.
Voi che il vedeste, or lo ridite intanto;
Ch' oltre poggiar non lice al nostro canto.

1713.

Post dira damna saeculi
  Primo parentum crimine
  Culpae repellens nubila,
  Aurora mundo nasceris.
Immersa longis noctibus
  Mortalium tunc lumina
  Hausere veri gaudii
  Promissa primum pignora.
Tunc ira victrix tartari,
  Tunc mortis horror concidit,
  Tunc et perennis symbolum
  Novum salutis adfuit.
Risere caeli limina,
  Illuxit et serenior
  Dies, secundo sidere
  Vitam futuram pollicens.
Puella summi Numinis
  Amor decusque et gloria,
  Me prima vitae fac novis
  Inire factis ordia.

1714.

Puella sole pulchrior,
  Quae spes iacentes excitas
  Laetoque fulgens lumine
  Solaris orbem perditum.
Serena pacis nuncia,
  Quae solis ortum praevenis
  Instare dudum Patribus
  Promissa monstrans tempora.
Te laeta sanctorum agmina,
  Te voce, plausu et carmine
  Novam superno e cardine
  Tellus salutat hospitem.
Te nostra votis intimis
  Colunt vocantque pectora,
  Queis sancta dat nativitas
  Insueta caeli gaudia.

Digitized by Google

1715.

Puella proles gratiae,
Solamen orbis perditi,
Verae salutis nuntia
Prodis in auras luminis.
Decora Patris munere,
Ditata donis Spiritus
Praevertis annos et diem
Domus futura Numinis.
Triumphat orbis ad tuum
Repletus ortum gaudiis;
Miratur et tantam genus
Mortale lucem fundere.
Horrescit et Styx lurida,
Superbus et rex tartari,
Seseque caecis abditum
Antris paventem continet.
At me tuosque servulos
Spes dulcis alte recreat,
Fore ut pericla, quae prius
Nos territabant, concidant.

1716.

Natalis almae Virginis,
Quo sol renidet clarior,
Quo terra gestit pulchrior,
Ad plectra Musas evocat.
Salve superno e cardine
Aurora lucis nuntia,
Quae nos vetusto e crimine
Ad spem salutis excitas.
Salve iacentis servuli
Robur, salus, et gaudium,
Quo cuncta moesti pectoris
Dispellit et temnit mala.
Collata nobis munera
Donis adauge iam novis,
Tibique devotam domum
Cunctis periclis erue.

Digitized by Google

1717.

Lux nova, Virgo, tuo nobis splendescit ab ortu,
  Luminaque e vero Sole propinqua praeit.
Iam pressos tenebris oculos animumque iacentem
  Erige conspectu quo meliore fruar.

1718.

Aurora surgit inclyto
  Decora Patris lumine,
  Longasque depellit procul
  Fusas tenebras noctium.
Nos et decet caligine
  Tersa vetusti criminis
  Laetos ad auram luminis
  Sopore merses surgere.
Iam vana deceptas satis
  Lusere mentes somnia
  Falsaque nox imagine
  Errore traxit devias.
Nunc lux propinquat, lurida
  Facessit et phantasmata;
  Pericla vitae detegit,
  Viamque ad astra dirigit.

1720.

Ave salutis nuntia
  Aurora solis praevia
  Dilecta Patri gratiae
  Summo Puella Numini.
Tu lucis ipso in limine
  Spes erigis mortalium,
  Qui certa laetis vocibus
  Vitae salutant pignora.
Ades potenti numine,
  Nostrasque clades adspice;
  Solare luctus perpetes
  Quae nostra torquent pectora,

Curas metusque tetricos
Vultu sereno deleas
Iam laeta sit nativitas
Ut veri origo gaudii.

1721.

Expectata diu iam mundo aurora propinquat,
Et signum laeti foederis exoritur.
Qui mortis dudum densis iacuere tenebris',
Et longa in caeco carcere nocte sedent;
Eternae pacis iam pignora certa salutant,
Vicinamque tenent luce oriente diem.
Nubila pulsa cadunt, noctesque umbraeque recedunt,
Moestitiae et luctus iam prope finis adest.
Iam reparat natura vices, caelumque sereno,
Afflictas hominum respicit ore plagas.
Omnipotens veteresque minas deponit et iras,
Atque exacta monet tempora suppliciis.
Iam nova ducuntur mortalibus ordia rebus,
Ac reparat veteres orta Puella vices.
Iam licet aeternos patriae sperare triumphos,
Tartareo ac tumidas temnere ab hoste minas.
Virginis ergo alacres laetos surgamus ad ortus,
Ocyus et caeli corripiamus iter.
Illa praeit, properare decet, iam lampas amicam
Monstrabit nostris gressibus orta diem.
Somnia diffugiant, mendacis somnia saecli,
Sint mente atque animis otia lenta procul.
Illius in sanctos igitur curramus odores,
Atque ineant cursus fervida corda novos.

1726.

Salve delicium poli,
Dulcis spes hominum, suo
Splendent lumine clarius
Plena in laetitia dies.
Orbem Tu exoriens beas;
Veri nuncia gaudii,

Solem iustitiae praeis
Illo nemo beatior,
Qui Te quaerit et invocat,
Is Te sentiet auspicem
Quidquid suscipit ac gerit.
Per rectas graditur vias,
Nam Te prosequitur ducem.
Is cum Te Mariam vocat,
Nil hoc nomine dulcius
Ore et pectore percipit.
Hoc tutus clypeo minas
Non ullas Erebi timet;
Sed vestigia per tua
Exempla ad patriam regit.

1729.

Φαίνετ' απ' ἀντολίης ἀρετῆς μεγα φέγγος, ὁμίκλη
Φεύξειεν πάσης εὐθὺ παραιβασίης.
Αἰδίου γενέτειρα λόγου τοῦ ἥματος ἦλθεν,
Αγγελος, ἀψεύστου κρήγυος εὐφροσύνης;
Εἰς πόνον, εἰς κάματον, καὶ εἰς καλὸν ἔργον ἐγείρει
Ἠὼς ὀκνάλεον ὕπνον απωσαμένη,
Καὶ ψεῦδος σκεδασασα, κ' α πάντων τάρβος ὀνείρων,
Α'φνειὸν φαίνει ητῆμα ρύηφενέης.
Ἐγρόμενοι, καὶ ὕπνον ἀπορρίψαντεσἀεργες,
Ασφαλη εἰς πάτρην κραιπνα τρεχωμεν. ὁδόν.

9. SEPTEMBRIS

1722.

O melle nomen dulcius,
Et balsamo suavius
Vincens saporem nectaris,
Omnisque sensum carminis:
Te sive lingua concinat,
Te sive mens recogitet,
Seu Te cor altum diligat,
Seu vis amoris invocet:

Accendit ignem caritas, .
Augescit et spes firmior,
Devota confestim fides
Flammis adurit pectora.
Mariam vocabo ingiter,
Eiusque sancto e nomine
Quaeram malis urgentibus
Solamen inter tristia.

1723.

O vos, divinae qui cernitis ora Parentis
Virgineumque decus;
Lumina qui cominus rutilantia, quique sedentem
Cernitis astra super;
Dicite, quanta sinus repleat de fonte voluptas,
Gaudia quae bibitis,
Dum speciem formamque praeit quae luce sereno
Cum nitet axe, diem;
Intentis oculis divina in Matre videtis;
Ac timor omnis abest,
Ne laetam vobis unquam volventia sortem
Saecula subripiant.
Dicite, nam nobis, coeca qui in nocte iacemus,
Cernere vita negat.
Spes tamen una fovet, quae exactae debita spondet
Praemia militiae.
Sic longe positas palmas sortemque futuram
Mente agitare iuvat.

10. SEPTEMBRIS

1713.

O dulce nomen melleo
Sapore corda recreas,
Nil suavius te concinunt,
Nil ora gustant dulcius.
Dum lingua pergit promere
Mellifluentes syllabas,

Mens afflinit dulcedine
Non usitati nectaris.
Tu, sive pectus nubila
Obducta triste contegant,
Seu dira vitae toedia
Odisse lucem suadeant,
Solaris, et vim noxiam
Repellis hostis invidi,
Et dona spargis patriae
In valle coeca flentibus.
Te nulla Mater tempora
Ab ore nostro distrahant,
Te mente, corde, et spiritu
Vocare quisquis gestiat.

1714.

Ingesta menti nubila,
Pestes, metusque pectoris,
Morbique tristes, inclyta
Iam nata Virgo est, cedite.
Negata dudum perditas
Terras revisant gaudia,
Laeta et resultent cantica
In lacrymarum vallibus.
Iam lacte manent flumina,
Iam prata vernis floribus,
Silvaeque frondenti coma
Natae puellae gestiant.
Vultus serenos induant
Caelumque tellusque et mare:
Natura laeta gaudeat
In verginis natalibus.

11. SEPTEMBRIS

1711.

Quae venisti hominum consolatura dolores,
Audi languentis commiserata preces.

Digitized by Google

1712.

Maria nome suave,
Che di dolcezza empi la mente, e'l core
Maria nome d' amore,
Di sicura speranza ancora, e chiave
De le grazie celesti.
Maria nome diletto,
Nome beato e caro,
Nome splendente e chiaro,
Che il mio gelato petto,
Con santo ardore al canto infiammi e desti.
Quando umile v' invoco,
Sento un sì dolce foco,
Che l' alma ne la bassa
Terra posar non lassa.
Nome, che di contento
Spargi il ciel, spargi il mondo.
Nome lieto e giocondo,
In cui letizia sovrumana sento.
O che dolce armonia
Godo sovente in nominar Maria!

1719.

Tristia saepe tegunt, mergunt et nubila mentem,
Atque gravis iactat saepe procella sinus.
At Mariae trepido nomen cum promitur ore,
Nubila diffugiunt, et maris unda cadit.

1724.

Muta la lingua e sterile la vena
Non sa rendere a Voi le grazie pari,
Tante elle sono, e de' favor più rari
Sì copiosa vien da Voi la piena.
Di poco avere pria fornito appena
Riparar mi potea da casi vari,
Ora di doni generosi e chiari
Ei mi colma ch' il gregge fedel mena.

Co' vostri auspicii nuova veste intorno
Mi cinge, e nuovo titolo ne prendo
Dal santo Padre in questo sacro giorno.
Non mi siano gli onor d'inciampo o rete,
Ma sian le brame, o Madre, intente al segno,
Di cui solo aver dessi amore e sete.

12. SEPTEMBRIS

1712.

Dovunque i passi movo,
Madre diletta e cara,
Da cui d'amor le leggi il mondo impara,
Vero piacer non provo,
Se non dove di Voi memoria io trovo.
Dove l'immagin vostra
Agli occhi miei si mostra,
Il cor s'empie di gioja,
Ed ogni doglia e noja
Resserenato oblia.
O dolce speme! o dolce amor Maria!

1717.

Dulce, quod aetherea famulos aspergine reples,
Cunctaque caelorum gaudia nomen habes:
Quo nihil in nostro dulcescit suavius ore,
Et nihil in nostra dulcius aure sonat:
Sic trepidas inter pugnas interque pericla
Sit mihi de Mariae nomine praesidium.

1730.

Praeficitur nostris curis studiisque Quirinus (*a*),
Cui venit e prisco stemmate nobilitas:

(a) *Angelus Maria Quirini Venetus ex Ordine D. Benedicti Congregationis Montis Casini Brixianus Antistes, ac S. R. E. Cardinalis, doctrinae laude, ac generis nobilitate praestantissimus, qui a Benedicto XIII. Vaticanae Bibliothecae Supremus moderator renunciatus fuit.*

Quem sacra instituit doctrina, atque Hellatis artes
Adnumeras sociis quem, Benedicte, tuis.
Adspiret Mater caeptis, et vota secundet,
Crescat ut auspiciis Bibliotheca novis.

13. SEPTEMBRIS.

1711.

Aurea nectareo Mariae de nomine surgit
Splendidior cunctis candidiorque dies.
Haec eadem morum mihi sit vitaeque recentis
Ab sacro Mariae nomine principium.

1716.

Morborum diras dudum pernavimus undas,
Virgineoque fuit nomine tuta salus.
Hostiles inter, populo indignante, procellas,
In Mariae patuit nomine perfugium,
Nomine dulcisono tristes de pectore curas,
Et stygias artes et mala depulimus.
Hoc igitur grato nunquam discedat ab ore,
Et Mariae nomen sit mihi dulce melos.

1720.

Ne tibi displiceant invitae oblivia mentis,
Debita quae studii carmina praeteriit.
Non mihi desidies sacri vel toedia cultus
Invisa ingrati causa fuere mali
Sed variis seras curis cum venit ad horas
Officium imprudens persoluisse putat.
Postera sed reduces aurora ut protulit ortus
Cum multo gemitu et foenore damna luit.

Digitized by Google

14. SEPTEMBRIS.

Exaltatio S. Crucis.

Ecce Crucis Christi mysteria sancta refulgent,
  Mater, cuius eras non aliena comes:
Per quam parta salus, per quam via certa salutis,
  Quae lacrymis hominum gaudia vera tulit.
Cuius dulcis amor, dulces in gutture fructus,
  Quae dulces clavos, dulcia ligna tenet.
Hostia qua saecli quondam pretiumque pependit,
  Et qua victa olim concidit ira Patris.
Haec mihi, Sancta Parens, Nato crucifixa dolenti,
  Fac animo dulcis, dulcis in aure sonet.

1714.

Questa fu l'ara dell'Agnello, e 'l legno,
  In cui l'ostia di vita a Dio si offerse,
  Che col suo sangue e co la morte aperse
  Il sentier dritto de l'eterno regno.
Verga misteriosa, che l'indegno
  Duce con l'oste ria nel mar sommerse,
  Segnando al popol pio strade diverse,
  Di sicura salute e porto e pegno.
Questo lo schermo, e la difesa, e l'armi,
  Questa la tromba, ch' al trionfo invita,
  Alto subietto de' miei bassi carmi.
Così contro il timor, che il cor m' ingombra,
  Nudrir mia speme, e sostener mia vita
  Piacciavi, o Santa Croce, a la vostr' ombra.

1715.

Splendida caelestis veneremur signa salutis,
  Queis datur ad vitam lumina certa sequi.
Quae sequitur, Mater, vitae morumque magistra,
  Totaque Sanctorum consociata cohors.
Nec pigeat Christi Mariaeque exempla secutos,
  Pondera laetificae sponte subire crucis.

1717.

Nobile divino de Christi sanguine lignum,
  Christi Sancta Parens quod comitata colit;
Altas in nostro radices pectore firmes,
  Ut mihi sit fructus carpere dulce tuos.

1719.

Vita salusque hominum, Patrum quae crimina solvis,
  Exulibus patriae limina quae reseras;
Per quam prostrata Christus de morte triumphat,
  Tot debet palmas et cui Virgo suas;
Tu mihi sis vitae post dira pericula portus,
  Gaudia Tu cordis laetitiamque feras.

1723.

Cum pavor abiecti magis intima pectoris urget,
  Tunc magis in Mariae fidimus auxilio.
Reppulit haud nostras unquam lacrymasque precesque
  Dulcis, et ingestos pellere sueta metus.
Nuper fraternos trepida cum mente labores
  Acciperem, insultus damnaque tristitiae;
Protinus excussit pavido de corde timores
  Dignata infirmos exhilarare sinus.

15. SEPTEMBRIS.

1711.

Cum natalitii concluditur orbita festi,
  E nostro dirus corpore morbus abit.
Sic Tu, Mater, amas, ea stat clementia cordi,
  Ut tua festa simul gaudia nostra ferant.

1713.

Sanctorum longo resplendent ordine caeli,
  Quaeque suos ornat palma relata choros;

Tu tamen una sedes cunctis Regina, tuumque
  Vincit ounctorum parta trophaea decus.
Gloria sic maior, maiorque potentia dextrae est,
  Firmior unde tuo spes viget auxilio.
Fraena ergo indomitos animos sensusque rebelles,
  Ut quatiat nostram nulla procella ratem.

1715.

Cum dulce sanctae Virginis
  In aure nomen insonat,
  Abscedit omnis protinus
  Languor metusque pectoris.
O Nomen omni nectare,
  O melle Nomen suavius,
  Te quisquis ardens invocat
  Nescit doloris vulnera.
Tu cordis et curas graves
  Et cuncta pellis tristia.
  Tu frangis iras hostium
  Tu robur auges mentium.
Per Te triumphat veritas,
  Per Te fides luctantibus
  In nocte caeca erroribus
  Certam refert victoriam.

1725.

Valles tenes Quirini
Miraculis coruscans,
Et Montium celebras
Nomen decusque signis,
Regina, mater, et spes,
Terrae, polique lumen.
Te vocibus canentes,
Te laudibus colentes
Dispellimus dolores,
Curas, metus, pericla,
Vitaeque spem futurae,
Caelestis et coronae

Digitized by Google

Iuvante Te fovemus.
Tu vota filiorum,
Tu lacrymas precesque
Benigna ne repellas.
Hostis furentis arma
Nutu potens retunde,
Flammisque sancti amoris
Sensus sinusque aduras.

1728.

Evocet Aonias alius de monte Sorores,
Pegaseo et properet fonte levare sitim.
Ornet Apollineis alius sua tempora lauris,
Maeonioque seni gestiat ire comes.
Nos dulces Matris sancto pro nomine laudes
Ducere nectareo Virginis amne iuvat.
Frondibus haec serpat mihi laurea tempora circum,
Quam nec longa terit, nec rapit ulla dies.

1729.

Σταυρὲ βίου γενετὴρ, καλὸν ἔμπεδον ἀνθρώποισιν,
Σαρκὶ μὲν αντίβιος, κηρὶ δὲ πολλὰ φίλος,
Τίμιον ὃν Κριστοῦ τοῦ σώματος αἷμα πυκαζεν,
Οππότε ἡμετέρην ἔκλυς δουλοσύνην·
Τῷ Μητὴρ βέλεσιν κραδίην τυφθεῖσα παρέστη,
Κρίτῃ ἐπουρανίῳ πρόσθεν ἐλευσομενε·
Χαῖρε φυτὸν, καὶ εὔκαρποι μέγα χαίρετε κλῶνες,
Τῶν πέλεται βιοθου ἄφθιτον εκφόριον.

16. SEPTEMBRIS.

1711.

Quod superamus adhuc, vitae quod ducimus auras,
Deductos canimus quod Tibi versiculos;
Cuncta tuo veniunt de numine, cuncta reportas,
Me quibus esse tui non sinis immemorem.

1714.

Ingeniis parat insidias, tumidosque rebellis
Simplicibus libros objicit insidias.
Fac, Regina, fidem famulus tueatur avitam,
Vindicet ac studiis dogmàta vera suis.

1720.

Inter feroces hostium
Artesque tela et impetus
Servaret ut nos liberos
Pater misertus gratiae;
Mariae potenti in nomine
Scutum salutis praebuit,
Mortale quo tutum genus
Adversa cuncta pelleret.
Quin et procellas horridas
Inter, marisque in fluctibus
Tranquillitatis in sacro
Mariae reclusit nomine.
Haec spes fidesque protegat
Divae Parentis servulos,
Tantisque de periculis
Mariam vocantes eruat.

17. SEPTEMBRIS.

1712.

Troppo sterile ingegno
Ho, Madre mia, per celebrar tue lodi,
Ma tu, che del desio t'appaghi e godi
Rendilo pur di sì bell'opra degno.
E perchè innalzi i tuoi gran pregi immensi,
Informa Tu la mente, e infiamma i sensi.

1714.

Quae vis Francisci sacra stigmata corpore fixit,
Inque novam Christi transtulit effigiem;

Illa eadem nostros per Te, Pia Virgo, penetret
Sensus, et Christi figat amore sinus.

1719.

Quae caeli Regina sedes, terrasque gubernas,
Nostros ad caelum dirige, Virgo, pedes.
Ut Te et Virgineos liceat mihi cernere vultus,
Qui mihi in hac coeca nocte fuere duces.

1723.

Nulla dies, nulla effusis, Virgo inclyta, donis
Muneribusque vacat.
Virgineo regitur materno et numine pendet
Auspiciisque domus.
Tu fratrem curis ac morbo respicis aegrum,
Tristitiamque levas.
Respicis et longo praessum moerore nepotem,
Signaque laeta refers.
Meque laborantem studiis et crimine vitae
Virgo benigna foves.
Ergo ut supplicibus rata sint bona caepta salutis
Perfice, Mater, opus.

1726.

Quas Tibi grates,
Mater agamus
Laus Tibi nulla
Par erit unquam.
Robora firmas
Corporis aegri,
Laeta timorem
Corde facessis.
Publica Sanctis
Reddere laudis
Munera praestas,
Impavidumque
Pectore testem

Vera profari.
Ergo ades ultra
Praesidioque
Laeta tuere
Muneris actus,
Cunctaque vitae
Facta gubernes.

18. SEPTEMBRIS

1711.

Per Te, Sancta Parens, positis squaloribus artus,
Et penitus refovet pristinus ossa vigor.

1716.

Incertos vitae ac miseros transmittimus annos,
Nec ventura dehinc saecula prospicimus.
Tu caecas mentes, bona Mater, luce superna
Jam deplorandis eripe de tenebris.

1719.

Ut laudes, pia Virgo, tuas nomenque canamus,
Fonte tuo largi carminis unda fluat.
Haec dignos sensus, numeros ac verba ministret,
Angelicis caeli cantibus haec societ.

1722.

Virginei titulum praefert quae nominis aedes,
Quae patria reliquis praestat in urbe sacris;
Invicti exuvias veneratur Martyris, atque
Sanguinis in gemino pignora sacra vitro.
His temnit confisa minas, hinc signa reposcit,
Quae tutum a iaculis Numinis esse iubent.
Nos etiam longe positos haec pignora servent;
Ac patrocinio non procul esse velint.

Digitized by Google

19. SEPTEMBRIS

Festum S. Januarii Martyris.

1711.

Sanguine dum Martyr Januarius emicat aris,
  Aris heu! morbus me abstinuisse iubet.
Tu, Mater, Tu redde sacris, Tu vincula solve,
  Officiisque tui sit reparata salus.

1712.

Temnit pro Christo rapidos Januarius ignes,
  Ac nescit saevas pertimuisse feras.
Laetus adit tensasque fides, dirasque secures;
  Nec satis est mortem perdomuisse semel.
Numine vincit adhuc, redivivo et sanguine vincit,
  Inque suis praesens vincit adhuc populis.
Fac me, Virgo parens, tam sancta exempla legente
  Illius meritis praesidioque frui.

1714.

Quis dabit optatas votis ardentibus alas,
  Ut tumulum liceat, Martyr, adire tuum?
Hunc ego procubens fletu lacrymisque rigarem
  Eliceremque tuam voce precatus opem.
At quamquam sacra longe disiungar ab aede,
  Accessum oranti nulla vetant spatia;
Nec pietas ullis tua clauditur intervallis;
  Ut loca non foveas dissita praesidio.
Ergo pios animi sensus mentemque gubernes;
  Ut Christi nostro in pectore crescat amor.
Crescat amor Mariae, Mariaeque exempla secutus
  Quaeram corde Deum, caetera despiciam.

1715.

Plaudente turma caelitum,
  Carnis solutis vinculis,

Curruque vectus aureo
Martyr triumphat inclytus.
Quae vicit arma gentium
Victoris ornant gaudia,
Et ipsa iam ludibria
Trophaea sunt victoriae,
Quidquid Tyranni immanitas
Excogitavit saevius
Laudes adauget Martyris,
Sanctaeque virtutem Crucis.
O Virgo ductrix fortium,
Quae dextra ades pugnantibus,
Invicta tanti Praesulis
Fac me sequi vestigia.

1718.

Martyr, qui patriam tutaris providus urbem,
Et bella avertens et mala cuncta procul;
Si Mariae laudes per Te celebramus, et ipse
Suffice devotis robur in officiis.

1719.

Et Christi et fidei verbis ac sanguine testis,
Martyrii gemino serta decore tenes.
Sic Te per Mariam factis dictisque sequamur,
Ut sit digna tuo vita patrocinio.
Vicina et quondam quem sensimus aede magistrum,
Iam dignare procul gressibus esse ducem.

1720.

Huc o supernis e choris
Poeanes, hymni, et carmina
Adeste, sacra lux vocat
Almo dicata Martyri.
Dicamus invictam feris
Flammisque fortitudinem,
Trucisque iussa Praesidis
Intenta nequidquam minis;

Et clara demirantibus
  Ostensa signa gentibus,
  Fusoque Christo in nomine
  Partam cruore lauream.
Quae dona nobis largiter
  Votis vocatus contulit,
  Eoque tutam praeside
  Laeti canamus patriam.
Regina fortis Martyrum
  Submissa servi carmina
  Clemens rogantis excipe
  Devota Januario.

1721.

Mater, qua patrias Martyr celebratur ad aras
  Illius et Christum nomine thura colunt;
Intervalla licet teneant nos longa viarum,
  Da optatis noster coetibus adsit amor.
Atque liquescentis spectet portenta cruoris,
  Sentiat et miro e sanguine praesidium.
Dulcia tum gemino figat pius oscula vitro,
  Patria quo certae pignora pacis habet.

20. SEPTEMBRIS

Ad S. Januarium.

1714.

Post ignes domitasque feras victumque Tyrannum
  Aetherea palmam victor in arce tenes.
Et Mariae socius divino iungeris Agno,
  Amborum sanctis ignibus usque fruens.
Nec cives animo patrias, nec deseris oras,
  Sanguine queis praesens, praesidioque faves.
Me quoque tam facili certum laetumque Patrono
  Deduc per rectas ad tua regna vias.

1719.

Quocumque intendant, Mater, mea lumina visus
  Praesidii occurrunt tum monumenta tui.
Quod studia excolimus, vitae quod ducimus auras,
  Temporis ac lucis munere quod fruimur:
Abs Te suscipimus, tua sunt ea dona, tuumque
  Testantur tacitis vocibus auxilium.

1728.

Virginis effigiem votis signisque celebrem
  Ad populi assiduas dum tenet ara preces,
Forte repentinis tum conflagrat ignibus aedes;
  Nec rapida affusis flamma domatur aquis.
Angelicae occurrunt caelesti ex arce phalanges,
  Et, qua lata virent florea prata, locant.
Excitae ad nova conveniunt miracula gentes,
  Numinis et laudant Omnipotentis opus.
Mox ubi consideat sublimem condere molem,
  Certatim cultu divite suscipiunt.
Quo tamen illa loco posita est, vis nulla removit,
  Et clarent signis signa priora novis.
Ingenium faciesque loci hic testatur in aevum,
  Angelica in laudem Virginis obsequia.

21. SFPTEMBRIS.

1715.

Per Te sacrorum, Mater, solemnia solvi
  Quae tulerunt statas ordine prima vices.
His animum liceat cunctis pavisse diebus,
  Haec studia et sensus nutriat esca meos.

1717.

Sancta Parens Erebi vires artesque repelle,
  Ne rapiat teneras insidiosus oves.
Sit parvo custos pietas tua, Mater, ovili,
  Ne pia virtutis pabula deficiant.

Digitized by Google

1718.

Ne noceant, tristes quae accendunt corpora, morbi,
Rore tuo, Mater, temperies veniat.

1724.

Or che il gran Sacerdote di sua mano
Mi unge di santi crismi, e mi corona
Di sacre bende, e quel poter mi dona,
Di cui sono col merto sì lontano.
Fate, o Madre del Ciel, che non sia vano
Titolo, ch'a l'orecchie mi risuona,
Ma sia di vostre grazie la corona,
Con gir nome e virtude a mano a' mano.
Gli ornati, e le divise, e i sacri arredi
Ben mi rimembran l'alto ministero,
E ciò, che tu, o Padre del Ciel, richiedi.
Tu, gran Signora, de lo spirito vero
Colma la mente e'l core, ciò, che chiedi
Tutto è riposto nel tuo sommo impero.

1725.

Redit ecce iam remenso
Sacra lux diesque gyro,
Nova cum corona cinxit
Caput infulis, et aras
Tetigi micante cultu
Ubi celsior Sacerdos
Domini Deique mystes
Oleo manus perunxit.
Rutilante tum smaragdo
Nova foederis iugalis
Sacra vincla connotavit,
Emesena cum iuberet
Onera et subire curas;
Humilemque flebilemque
Titulis levat decoris.
Celebremus ergo Patrem,

Venit unde munus omne;
Mariaeque concinamus
Meritas ab ore laudes;
Memorique corde grates
Numerisque personemus.

22. SEPTEMBRIS

1711.

Augemur donis, tua quae custodia firmat,
Custodem Custos nam regis alma Parens (*a*).

1718.

Dulce est ad Mariam trepidis accurrere rebus,
Certaeque expectare inde salutis opem.
Haec sunt delati nimirum praemia cultus,
Sic suevit famulos illa fovere suos.

1719.

Mens humiles pertaesa plagas, oblita malorum,
Celso et terrenas corde perosa moras;
Pande ad caelorum sublimia protinus alas,
Sidereum properans Matris adire thronum.
Et speciem, solis quae lumina vincit, et astra,
Cerne, et quae exhilarant ora serena polum.
Tum si quis nostris inter tot gaudia Musis,
Exiguisque potest cantibus esse locus;
Maior in insolitas numeris assurge comaenas,
Altius et nomen Virginis ora sonent.

1724.

A'piè del sacro e benedetto monte,
Che da' cedri odorati il nome prende,

(a) *Loquitur de semetipso, qui ad munus Custodis Bibliothecae Vaticanae evectus fuit.*

Emesa la diletta si distende,
Lungi non guari, onde muove l'Oronte.
A tal sposa sortimmi il Cielo, e pronte
Ho ben le voglie, a gir dov'ella attende,
Ma' l desio di servirla in van si accende,
Che mie catene, o Madre, vi son conte.
Voi là stendete a ricoprirla il manto,
Serva d'aspro tiranno, e non sicura,
Da peggior giogo, e da l'eterno pianto.
Pietà vi mova a rimirar con cura
Gli alberi e' l monte a Voi graditi tanto,
Che di vostra virtù son la figura.

23. SEPTEMBRIS

1716.

Ne languor vires animi studiumque retardet,
Post longam praestas quod repetisse moram;
Mater ades, viresque novas largire roganti;
Ut caeptum laeta mente sequatur opus.

1718.

Te Matrem verbis, toto te corde rogamus,
Ut miseris inter tot mala subvenias.
Ad tua iam morbi turbantes iussa facessant,
Virgineaque salus restituatur ope.

1719.

Dividit aequata noctes dum lance diesque,
Solis quae signat tramite libra vias;
Nocturnas studiis impendere tempora curas,
Laudibus et Christi Virgineisque monent.

1722.

Quod terra votis invocat,
Quod laudat orbis et colit,

Ad laeta Musas carmina
Nomen Parentis excitat.
Hoc monstra terret tartari,
Spem firmat et mortalium,
Sanctis adauget gloriam,
Caelumque replet gaudio.
Hoc tuta virtus nomine
Pericla cuncta despicit;
Novosque laeta ex hostibus
Fides triumphos appetit.
Quam dulce vitae in fluctibus
Inter procellas saeculi
Solamen affert candidae
Nomen colendum Virginis!

24. SEPTEMBRIS.

1712.

Vorrei Madre mia cara,
Di salute segnar più dritto calle;
Ma in questa oscura valle,
Dove di doglia amara,
E di lagrime sol l'alma si pasce,
Se alcun santo pensier nel cor mi nasce,
Tosto la ria del mondo aura l'invola.
Tu, Maria, Tu consola
Gli affetti miei sì sbigottiti e lassi,
E a più certo sentier richiama i passi.

1716.

Festum S. Mariae de Mercede.

Barbara captivis famulis quae vincula solvis,
Ut repetant fidei libera iura suae;
Et mihi contextas vitiorum solve catenas,
Exime et antiqui vincula servitii.

Digitized by Google

1719.

Nunc iuvat hibernas cera pellente tenebras,
Otia per sacros ducere docta choros:
Et Mariae sanctum resonantia carmina nomen
Condere, et his acta iungere nocte dies.

1721.

Christiadûm lacrymas solaris, vincula solvis,
Atque adimis dirum, Virgo miserta, iugum.
Nos quoque servitio saecli vitiique gementes,
In libertatis pristina iura refer.

1722.

Christiadûm quondam felicia regna tyrannus,
Qui diro imperio servitioque premit;
Sacratis Christi sancto de nomine turbis
Urget barbarico subdita colla iugo.
Quas ne deficiant cultu pietatis avitae,
Virgo, nova facili numine prole iuvas.
Impia nec solum captivis vincula solvis,
Sed servas vera libera corda fide.

1729.

Τὰ ζυγα Μαυρονίων ὑπεδυσατ' ἰβηριὰς αἴη,
Καὶ καταρὴ Χριστοῦ πίστις ἐδακρύχεεν,
Δείλων κινδύνους παιδῶν ελέηρεν Ανασσα,
Πάντα τα δυσσεβέος κάμματα δουλοσύης.
Νωλὰσκω κατ' ὄναρ ἐπεφαινετο, τῳ δ' εκελευσεν
Κηδεσθ' εὐχομένων τῶν λύτρα Χριστιάδων.
Καρπαλίμως ἔσσθλων κεῖνος σράτον ὤρσεν ἑταίρων,
Σπουδαίας ἀγάπης τῆς μεκάλης ἀγέλης.
Τοὺς κρατεροὺς γενέτειρα προηγεμόνευσεν ὁμίλους,
Πρηυς ἐλευθερίης σίκτοσύνης τε τοκευς.
Μέχρις ἐς ὑστατέην ἐχθρῶν ἐπιταρροθος ἥττην
Λοιμὸν ἀλιτρὸν ὅλης ἔκβαλεν εσπερίης

1730.

Innovat aspra vices per tempora turbidus aër,
Et revocat nigris fulmina turbinibus;
Morbosasque ciet suetas in sanguine causas,
Iamdudum tristes quae peperere metus.
At nos nec morbi species, nec tempora terrent,
Quae Mariae freti numine despicimus.

25. SEPTEMBRIS

1711.

Solaris miserum, defectum sanguine firmas,
Languentemque novo munere, Virgo, levas.

1716.

Heu! saecli curis vanisque illudimur umbris,
Partesque in varias spesque metusque rapit.
Da, Mater, larvis ne decipiamur ab ullis,
Ac mentem mundi ne levis aura ferat.

1718.

Reddimus ingentes parto pro munere grates,
Quo caeptum excipimus, Virgo, salutis opus.
Te tamen et lacrymis votisque et voce precamur,
Caepta ut materno numine perficias.

1723.

Virgo, cui totus famulatur orbis,
Cuius ad nutum superûm phalanges
Angeli parent alacres, et ultro
Iussa facessunt:
Cuius et supplex humilisque poscit
Terra tutelam stygis inter ictus,
Seque securam videt a periclis
Numine tanto:

Adspice ut motis agitur procellis
  Luget et morbis domus, et supernos
  Invocat cives precibus, tuoque
    Nomine fidit.
Tende de caeli solio roganti
  Dexteram, morbos abigas metusque,
  Redde, quam pacem petimus serena,
    Luce reportans.

1725.

In cima al colle, che da Mario è detto,
  Da le turbe lontano e dal bisbiglio,
  Sacro a la santa Madre, e al divin Figlio
  Siede il bel tempio, di pietà ricetto.
A le sue mure, e a quel divoto aspetto,
  Benchè da lungi quando volgo il ciglio,
  Di mia salute più saggio consiglio,
  E più ardente desio mi accende il petto.
Parmi la santa Madre, che mi additi
  L'erto e l'aspro sentier, ch'al Ciel conduce,
  Ed a la meta del cammin m'inviti
Ella mi guidi condottiera e duce,
  Somministri la lena, e gli smarriti
  Passi governi a i rai de la sua luce.

26. SEPTEMBRIS

1714.

Octava S. Januarii.

Salvete o mirae redivivo e sanguine gemmae,
  Quas Erebi rabies horret et impietas.
Vosque o felices cineres, servatque colitque,
  Quos pia perpetuo munere Parthenope.
Servate o patriam, Mater quam Virgo tuetur,
  Et Mariae famulo tendite praesidium.

1718.

Dejiciunt animum et vires morbique metusque,
Utrique arma simul nam renovata movent.
Haud concepta tamen de Te fiducia nutat,
O Mater nostri certa medela mali.
Haec quum praesertim sollemnia nostra colendo
Patrono claudat Martyre sacra dies.

1723.

Musae, quae Mariam sacro
Matrem carmine pangitis,
Et quam purpureis dedit
Christus Martyribus lucem,
Palmas Praesulis inclytas
Caelo tollite laudibus;
Tanto dicite patriam
Felicem satis auspice;
Cuius numine depulit
Inconcussa stygis minas:
Nostrae praesidium domus
Cunctis quam eruit e malis,
Pastor cui vigil excubat,
Grati sensibus eloquî
Ferre ad sidera iam decet.
Nomen repositas plagas
Terrarum et tacitos sinus
Vestro carmine permeet.

1728.

In tua Joannes orbatam pignore Matrem
Excipis, et Christi suscipis ipse vices.
Delicias Patris, et patriae tibi gaudia, cunctas
Et Triadis Christus credere gestit opes.
Quidquid opus vitae curas, alimenta domumque
Filius assiduo sedulus obsequio.
Virgineae Matri dignus, qui virgo ministres,
Cui te consociat candor et integritas.

Digitized by Google

27. SEPTEMBRIS.

1717.

Felsineis, Virgo, incolumem dimittis ab oris;
  Omnis Te felix subveniente mora est.
Incolumis per Te reduces Florentia cursus
  Excipiat: reliquum sic quoque cedat iter.

1718.

O Mater, renovant praedura pericula morbi,
  Et medica intentas ars timet ipsa minas.
Tu ne clamantem, ne desere, Virgo, iacentem,
  Placata et votis iugibus et lacrymis.

1720.

Incertos tristesque premit nos cura voratque
  Nec via consiliis perfugiumque patet.
Tu rege diversos, Virgo, et solare rogantes;
  Post tenebras animos excitet orta dies.

1724.

Quando in vista gioconda i dì sereni
  Vagheggio, o il mar tranquillo, o i verdi colli,
  O le piagge d'erbette ornate e molli,
  O l'onde cristalline in fonti ameni.
A bellezze più rare il pensier meni,
  Ed a più vaghi oggetti il core estolli;
  E de i ben, che seguir schivo non volli,
  Mi rendi i sensi, o Madre, accesi e pieni.
Chi formò sì leggiadre e nobil opre,
  Qual da l'ombre la luce si misura,
  Dal bel lavoro in parte si discopre.
Allor con mente rischiarata e pura,
  Veggio di quanta gloria vi ricopre,
  D'esserli madre la lieta ventura.

28. SEPTEMBRIS.

1712.

Ingredior iam culta tuos Florentia muros,
  Quos facili gressu, Virgo, subire dedit.
Sic tu virgineo felix de numine crescas,
  Sic mihi per Mariam sit quoque fausta dies.

1718.

Quae decima accrescit febri molesta nepoti,
  Te miserante, parens, mitior illa fuit.
Nec, Tibi quas referam, praebent mihi carmina laudes;
  Ut saltem aggrediar, fac, precor, ut valeam.

1720.

Virgo novas morbique minas curaeque laborque
  Tentant, sed nutu spes mihi firma tuo est.
Haec fugat ingestos morbi spes una timores,
  Ut semper vanas depulit una minas.

1724.

S' i potessi di Voi cantando in rime
  Dipinger miei pensieri su le carte,
  Mie fiamme il mondo almen vedrebbe in parte,
  Che lo stil rozzo in tronchi sensi esprime.
Fra le brame del cor quelle son prime
  Che de le grazie in Voi dal ciel comparte
  A favellar m' infiammano; ma l' arte
  È bassa e scema, e l' opra alta, e sublime.
Poco val, che tal' ora amor mi sprona,
  E un bel desìo mi accenda a l' alta impresa,
  Se vergogna e timor vince e mi arresta.
Ma se lode di Voi degna non suona,
  Sempre e la mente a farvi onore intesa,
  E se lento è lo stil, la voglia è presta.

29. SEPTEMBRIS.

Festum S. Michaëlis Archangeli.

1711.

Luce sacra, memori colimus qua thuris honore
  Aulae caelestis militiaeque ducem;
Annuis, alma Parens, sacris operarier aris,
  Debitaque aeterno solvere vota Patri.

1712.

Aligerûm ductor, supera splendentior aula,
  Divino frueris lumine qui propior;
Qui Mariae imperio gestis parere, suisque
  Promptus ades facili nutibus obsequio:
Illius in laudem tenebrarum pelle catervas,
  Adversae impediant ne properantis iter.

1716.

Qui superas acies divinaque dirigis arma,
  Atque Dei nutu mostra superba domas;
Qui Mariae famulos stygio tutaris ab hoste,
  Nostraque stat vitrix quo duce relligio:
Protere confractum primo iam marte tyrannum,
  Atque tuo Solymes numine frange iugum.

1720.

Arcis supernae Principem,
  Ducemque sanctorum agminum,
  Divae ministrum Virginis
  Laeto sequamur carmine.
Hic signa praefert gratiae,
  Tutamque sternit ad polum
  Inter furentes hostium
  Minas fidelibus viam.

Teneamus acri in praelio
  Exempla tam clari Ducis,
  Clamemus in hostes feros
  Quis ut Deus. Quis ut Deus?
Haec arma tutos servulos
  Reddant potentis Virginis,
  Et Michaëlis agmini
  Partis triumphis aggregent.

30. SEPTEMPRIS.

1712.

Laudemus Mariam, nam quid sit dulcius? illam
  Laudet lingua sono, laudet et ingenium.
Laudemus Matrem; nam quid sit iustius? Illa
  Non res esse mihi carior ulla potest.

1716.

Festum S. Hieronymi.

Fac sequar, illibata Parens, studiumque laboremque
  Ardentis vera pro pietate senis.
In cuius scriptis Ecclesia sancta triumphat,
  Et cuius splendet moribus ac meritis.

1718.

Eia, Parens, dextram de caelo tende iacenti,
  Virgineo auxilio surgat ut incolumis.
Certa salus sic parta mihi soletur utrumque
  Sic Te propitiam gratus uterque canat.

1719.

Ne tuus infandis stultorum vocibus, atque
  Scriptis laedatur virginitatis honos;
E tacito Bethlem scriptis verbisque recessu,
  Doctorum columen corripit arma senex:

Digitized by Google

Haeresis unde nigras praeceps ruit atra sub umbras ;
Sic Matris laudes, Virginis atque tenes.

1. OCTOBRIS.

1712.

Adspira incaeptis, vacuique exordia mensis
Largire auspiciis, Mater, inire tuis.
Crescat amor, crescat virtutum sedulus ardor,
Sanctaque virgineo crescat ab igne fides.

1714.

Obruta dum saeculi curis mens aegra laborat,
Officium pene Virginis exciderat.
Sed Custos nobis qui cunctis excubat horis,
Excivit stratis Angelus immemorem.

1719.

Praestat odoratos Mariae decerpere flores,
Atque pia sacras nectere mente rosas ;
Quam lustrare suis halantes floribus hortos,
Texere quos fronti gens malesana cupit.
Illorum siquidem mors est tristissima fructus ;
Horum certa salus vitaque germen erit.

1722.

Quid resides torpent ad carmina iussa Camaenae ?
Sancta ubi Musarum Virgo reposcit opus.
Aeternis caeli resonat quam cantibus aula,
Omnis et in terris laudibus ora canit.
Auspice qua mundus gaudet, quam tartarus horret,
Cuius et assiduam gens vocat omnis opem
Nunc iuvat abiectis toto de pectore curis,
Ad nova plectra novis reddere verba modis.
Corda et delicias iam nunc oblita fugaces,
Veras de Mariae ducere laude iuvat.

Carminibus crescat qui carmina suggerit, atque
Emicet in flammas, ac renovetur amor.

1725.

Roseis ab ore verbis
Mariam sonent Camaenae,
Sacra cum dies recurrit
Memori dicanda cultu,
Referens pios odores,
Quibus ad superna sese
Animus fidesque tollit.
Geminemus ore laudes
Meritosque Matri honores
Precibus revincientes,
Mariae sacras coronas
Iteremus, offeramus;
Dominique corde puro
Meditemur acta, sive
Puer ille parvulusque
Lacrymans gemit lateque;
Populo vel a furenti
Probra sustinet crucemque,
Nece sive de subacta
Celebres agit triumphos.
Placet hic Satoque cultus,
Superae placetque Matri.

1727.

Felix, qui spatium fluentis aevi
Intentus studiis agit supernis;
Nec vulgi rapidi movetur aura.
Is non divitiis inhaeret amplis,
Saecli nec vacuos timet tumultus.
Haud hunc spes et amor, nec ulla lucis
Effictae species trahit rapitque.
Demissis Mariam colit camaenis;
Illic delicias locat perennes.
Christum prosequitur ducem, Crucisque

Digitized by Google

Dulces sedulus appetit labores.
In terra hospitium, sed incolatum
In caelis agitat. Deo propinquus,
Quae non intereunt, bonis abundat.
Nescit sollicitas fovere curas,
Internae fruitur quiete pacis.

1728.

Cum superat iam plena Deo iuga celsa, subitque
Cognatam Elisabet Virgo Parensque domum,
Undique laetitiam promunt nemora omnia circum,
Montesque et colles, flumina, vallis, ager.
Tantis virgineo splendor micat eminus ore,
Gratia tanta simul fert comitata pedem.
Dulcis ubi primum sonuit vox missa salutis,
Ac tetigit vatis limina Zachariae,
Audita haec Matrum sunt mellea verba loquentum,
Queis Patrem alterno carmine concelebrant.
El. Unde mihi, ut veniat Mater Dominique Deique
Haud renuens humilis visere tecta laris?
Protinus ut nostras tua vox pervenit ad aures
Replerunt tacitos gaudia mira sinus.
Ma. In Domino exultat mihi spiritus, ille per aevum
Sortem vult gentes concelebrare meam.
Extulit ille humiles: deiecit sede superbos,
Justitiae studio Rector utroque potens.
El. Ante diem exiliens nova gaudia praetulit infans,
Gestiit atque meo clausus adhuc utero
Cara Deo, facilis dictis quae credere docta es,
Promissa en facili Numine cuncta tenes.
Ma. Magna mihi Omnipotens bona contulit, ille supernas
Ceu largo sparsit flumine divitias.
Implevit promissa memor, serisque reposta
Attulit Abramidûm praemia temporibus
Sic illae. Ingeminant numeros ad sidera valles,
Ipsa nec e superis sedibus astra silent.

Digitized by Google

1730.

Quando in atri pensieri ebbra e sepolta
Giace la mente, quasi in notte oscura;
E la pace del cor da l' aspra e dura
Guerra de le mie voglie mi vien tolta;
Allor piena di speme a Voi rivolta
Non pur salda al soffrir resiste e dura
Ma de la vostra aita ben sicura,
Vuol la doglia maggior, benchè sia molta.
E come a lo spirar d' aure seconda
Il mar si calma, e 'l ciel si rasserena
Non più teme il nocchiero o 'l vento, o l' onda;
O quale all' apparir d' alba serena
Ombra e larva, e caligine profonda,
Tal per Voi si dilegua ogni mia pena.

2. OCTOBRIS.

Festum SS. Angelorum Custodum.

1712.

Lux haec angelico terris quae splendet honore
Virgineis etiam gestit odora rosis.
Et mihi de gemino faustissima lumine surgit;
Utraque spem lassis laetitiamque gerit.
Omnia tuta meis venient sic cursibus, in quos
Angelica adproperat gratia, Virgo favet.

1713.

Spirti pietosi e santi,
Che de' nostri dolor cura prendete,
Che i larghi amari pianti
Agli occhi egri tergete
E i corpi, e i sensi, e l' alme in guardia avete.
Là guidate i miei lassi
Pensieri, e 'l core, e i passi,
Dove su i vostri cori

Digitized by Google

Ornata di splendori
La pura e casta e degna
Madre di Cristo regna.

1715.

Sedula quos studio Aligerûm custodia servat
Tutosque adversis praestat ab insidiis.
Queis contra hostiles incursus arma ministrat,
Ac recto ad caelum tramite monstrat iter.
Quos tanto Patris clementia milite servat;
Hos etiam assidua Virgo tuetur ope.

1717.

Custodes hominum, stygias qui luditis iras,
Ad supera et caeli claustra docetis iter;
Ad Mariam nostros etiam deducite gressus,
Illius in visu nam mihi portus erit.

1719.

Angele, qui Mariae caeli famularis in aula,
Et Mariae famulum providus orbe regis;
Quam ferus immineat nostris cervicibus hostis,
Quaeve paret rabida mente pericla vides.
Te procul in stygias tenebras Custode facessat,
Te duce per Mariae perditus arma cadat.

1726.

Tristia cum subeunt, gravibus quae pectora curis
Urgent, auxilium ne, pia Virgo, neges.
Excipiunt tumidis maiores fluctibus undae,
Adiicit atque novos aucta procella metus.
Vox tua iam ventis et saevis imperet undis,
Turbato ut constet pax reparata mari.
Auspice sic liceat Te, Mater, tangere portum,
Firmare in tuta sic statione ratem.

Digitized by Google

1729.

Sentibus, atque aspris caeli via consita spinis,
Per Mariae laudes sternitur illa rosis.
Illius in cultu subsidunt ardua : cursu
Emensis spatiis certa corona venit.

8. OCTOBRIS

1717.

Laudemus, Christum pariter Mariamque colentes,
Virgineas animo carminibusque rosas.
Illius ut nostrae praesens clementia vitae
Ac studiis certum conferat auxilium.

1718.

Credita cui nostrae certa est custodia vitae,
Angele, qui nostrae es duxque comesque viae :
Nostro divinae de nomine redde Parenti
Grates, aegrotis et nova dona refer.

1719.

Annue, seu studiis quassatos rura vocabunt,
Sive iubent veteres tempora ferre moras ;
Seu nimbosus iter cursumque coërceat imber,
Sive aliter lassis otia, Virgo, negas.
Quidquid suscipimus de Te, pia Virgo, iuvabit,
Annuis aut votis provida, seu renuis.

1722.

Currere quisquis amas post suaves Matris odores,
Virgineas celebres mente animoque rosas.
Sedulus et Christi mysteria mente retractes,
Angelica et Mariam saepe salute colas.
Excipit hunc Matris placato numine cultum,
Parcit et hoc miseris conciliante Deus.

4. OCTOBRIS.

Festum S. Francisci Assisiensis.

1712.

Luce sacra, angelico Francisci quae micat igne,
Das Florentinas claudere, Virgo, moras.
Perge fovere meis, Mater sanctissima, votis;
Cursibus et reliquis Tu redeuntis ades.

1715.

Agminis Angelici a Domina bonus ordia ducis,
Illius et sanctos claudis in aede dies.
Auspiciis decuit tanta pietate beatis,
Sensisse angelicas aemula corda faces.

1719.

Gratia si Mariae sanctae dedit ordia vitae,
Qua per difficiles tendis ad astra vias;
Illa eadem extremos cursus mortemque coronat,
Cum iubet aethereos Christus adire choros.

1720.

Fastum decusque saeculi
Et falsa honoris nomina
Mundique fallaces opes
Celso triumphas pectore
Francisce dives, veritas
Quem ditat argentum super
Gemmasque, et auro certius
Ornat locuples caritas.
Divae Parentis gratia
Christiquè fervescens amor
Ac certa spes caelestium
Tibi bonorum sufficit.
Fac te sequentes gressibus

Mariae sub sancto nomine,
Promissa quaeramus bonis
Aeterna solum praemia

1724.

Non da' bassi quà giù prati terreni
Le vostre rose, o Vergine, son colte,
Ma da le piagge più fiorite e colte
De' giardini del Ciel ridenti e ameni,
Spargono di virtude e d'onor pieni
Celesti odori, e tutte in se raccolte
Le fraganze soavi; onde son tolte
Da terra, le mie brame, e al ciel le meni.
Fra lor d'alti misteri il cor si pasce,
E del suo Redentor pensando gode,
Se soffre e muore, o pargoletto nasce.
Di Voi qui sente risuonar la lode,
Ed a' nuovi voler l'alma rinasce
In quanto ivi di Voi si parla, e si ode.

5. OCTOBRIS

1712.

Nulla nocent adversa, incommoda nulla viarum,
Obiectant nullos, Virgo, pericla metus.
Quippe regis famulos, facilisque tueris euntes,
Queis tutum sancto numine sternis iter.

1718.

Cum conclamatis petimus tua munera rebus,
Spem trepidis facili numine, Virgo, facis.
Sic tua promeritas vincit clementia poenas,
Materna et culpas sic superat pietas.

1720.

Qui celsas virtute pari tenuere columnas,
Ut puris caelum mentibus aspicerent;

Exercent nostros iamdudum, Virgo, labores,
Nec tamen inflammant inclyta facta sinus.

1721.

Virgineas dum laude rosas celebramus ovantes,
Albanum, duce Te, Virgo, paramus iter.
Sterne vias, aestus abigas, imbresque facessas,
Sintque patrocinio prospera cuncta tuo.

6. OCTOBRIS

1712.

Senarum laeti divas operamur ad aras,
Incoluit patrios qua Catherina lares.
Illi da paribus mihi corda calescere flammis,
Mater, de cuius munere fervet amor.

1713.

Antro beato e caro
Ch'a Bruno desti povero ricetto,
Quando del mondo avaro
Le dure leggi scancellò dal petto.
O quanto agli occhi miei
D'ogni alta reggia sei
Più splendido e più chiaro.
Come lieto e contento in te sarei,
Lodando l'alma mia
Nel tuo tranquillo sen Gesù e Maria.

1718.

Quae precibus placata fugas morbosque metusque,
Mater, praecipua quae pietate vales,
Perfice, nam tua sunt reparatae caepta salutis,
Per Te proficiat iam pietatis opus.

1720.

Ecce tuam, Exquilias titulis quae tollit, ad aedem
Antistes sacro cum Ordine Summus adit.
Et veniam pacemque rogat, populique periclis
Te propulsandis, Virgo benigna, rogat.
Dumque tuas venerata rosarum turba coronas
Nectit, concordi concelebratque prece,
Maternas sperat faciles fore cantibus aures,
Atque abigas pestis quod procul Urbe minas (*a*).

1729.

Ζώγραφος οὐ Μαρίης ἐπλάσσατο μοῦνον ἄγαλμα
Απνοον, ἀλλὰ πάθος χρώμασιν ἐγκέρασεν·
Αμφανέει σιγῶσα γόον χαμαὶ ὄμματ' ἐρείδει,
Πένθιμόν οἱ σπεῖρον ἀμφεκάλυπτε κάρηνι.
Πάντ' ἄχος ἐξερέει, ὀδύνην μεθέπουσι παρειαί,
Τοῖς δ' εὐρῶεσσιν χείλεσιν ἄλγος ἔνι.
Πλεχθεῖς' αἱ παλάμαι, καὶ σθητεῖ συμηροσέουσαι
Φαίνοντ' ἐνδομύχου πένθεα δυσφροσυνης
Οστις ἀμετροβάτους ὀδύνης ἅλα πίνακι λεύσεις
Εν μικρῳ, λάϊνον μηδέποτ' ἦτορ ἔχων·
Τληπαθῆ οἰκτείρας τὴν Μητερα δακρυον εἶβε,
Εμπνοον ὥστε πέλη ἄλγεος ἀντίτυπον.

7. OCTOBRIS.

1714.

Gandulphi tandem colles arcemque tenemus,
Quo, ut reparet Summus robora Pastor adit.

(a) *Quum gravis pestilentia Massiliam, aliasque finitimas Civitates infecisset, ad propulsandam tantam pernicicem, quae Italis imminebat, Clemens XI publicam Romae supplicationem indixit, pedes ipse procedens una cum Purpuratorum Senatu a Templo S. Mariae Angelorum ad Liberianam Basilicam, de qua re mentionem facit Auctor hoc epigrammate. Vide Petrum Polidori vita eiusdem Clementis* XI *lib. V.* §. XLIV p. 391.

Digitized by Google

Tu votis, Regina, fave, caeptisque secunda;
Cuncta tuo veniant laeta patrocinio.

1719.

Insultus renovat tenero lupus hostis ovili;
Ne pereant, promptam suffice, Mater, opem.
Ut verset vigiles animos sub pectore custos,
Atque ad tartareas excubet insidias.

1720.

Per studii inducias repetunt dum rura Quirites,
Corporaque atque animos otia dum reparent;
Sunt nostra assuetae solatia dulcia curae,
Urbanasque colunt otia nostra moras.
Hic quoque fas strepitus turbasque odisse frequentes,
A curis etiam posse vacare licet;
Si libeat sacras invisere Numinis aedes,
Cumque Deo in tacita pectoris arce loqui.
Hic licet et numeris extollere Matris honores,
Laudibus et sacris iungere nocte dies.
Defessos nobis animos haec otia laxent,
Ac pietatis amor robora sic renovet.

1722.

Acrior ut repetat studiorum, Virgo, labores,
Albanas animus iam parat ire vias.
Inque iter et faciles aditus et prospera cursus,
Virgineum nomen praesidiumque vocat.

8. OCTOBRIS.

1712.

Dum Senis retinent effusi largius imbres,
Virgo, tuum laeti cernimus auxilium.
Disiice sed nebulas, iras et comprime cori
Longius ut nostrum ne remorentur iter.

1716.

Quid iuvat exili Te Matrem dicere cantu,
  Virgineumque decus deterere eloquio?
Mens nisi de pietate flagrans vim versibus addet,
  Crescat et a tenui carmine cordis amor?

1720.

Fra le cieche ombre oscure,
  Che ci cuopron d' intorno,
  Fatemi chiaro giorno,
  Madre, e per vie sicure
  Mi siano in tutt' i tempi
  Scorta la vostra luce e i vostri esempî.

1721.

Auspice Te, Mater, Gandulphi rura tenemus,
  Attrita ut nobis robora restituas.
Hic Barbarinis famulo das aedibus, ut Te
  Laudet et omissis otia das studiis.
Imperiis fac, Virgo, tuis humore subacto,
  Viscera morbosas relliquias abigant.
Pelle notos, pluviasque procul fac aëre nubes,
  Temporaque ad nutus redde serena tuos.
Tranquillo placidi vigeant in pectore sensus,
  Et reduci antiquos disiice pace metus.

9. OCTOBRIS

1715.

Sacrorum Princeps curis studiisque fatiscens
  Gandulphi invitus dum iuga celsa petit;
Sterne viam, bona Virgo, atque horrida nubila pelle,
  Fausto ut laeta dies splendeat augurio.

Digitized by Google

1718.

Quam dulce in trepidis de Te confidere, Mater,
Vincere et excitos Te refovente metus.
O quis, Virgo, pares animo det reddere versus?
Quis mihi det laudes concelebrare pares?

1719.

Dum Summi prolixa Patris clementia fessum
Otia Gandulphi ruris adire iubet;
Tu, Regina, pios quae menti Principis afflas
Sensus, fac laetos et sine nube dies.

1722.

Lycidas, Mopsus.

Quis Te pastorum, quis, Mopse, beatior alter?
Hos olim cui per saltus, perque avia Matrem
Cum puero, immanis fugientem Principis iras
Cernere, et errores licuit docuisse viarum.
At te, siquis amor pietasque habet ulla tuorum,
Visa memor referens agedum solare dolentes.
Mops. O Lycida cum caelestis subit oris imago,
Abrumpunt lacrymae et suspiria verba loquentis.
Lyc. Sors tam laeta tibi lacrymas fletusque ciebit?
Mops. Dulcia tam dulces lacrymas sed gaudia fundunt.
Lyc. In longum ne, Mopse, trahas; age, fare, Parentis
Quae species, Puerique, aut quis comes ibat eunti?
Mops. Haud moror: In seram properant dum lumina noctem,
Praecipitatque dies, splendoribus undique totas
Obstupui cernens late inclarescere silvas.
Concentu angelico montes vallesque sonabant,
Cum simul insuetos aër afflaret odores.
Dumque vices quae causa ferat, studiosius ardet
Quaerere, flammatusque animus rescire, Puellam
Caelesti prorsus radiantem lumine cerno.
At puer amplexu dependens Matris amorem
Spirabat, solemque serena luce praeibat.

Dux illis aetate gravis viridique senecta
Sedulus, et similis praedam insidiasque timenti.
Incertos dubiosque viae, quo tendere pergant
Dum rogo, pauca senex quaerenti verba profatur.
Aegyptum petimus; sic iussa Principis urgent.
Tu ne ignota moram faciat via, tende misertus
Et pueri matrisque manum. Sic ille. Libenter
Profiteor spatii comitemque ducemque futurum,
Donec apertus iter dederit post devia campus,
Atque Aurora novam retulisset lampade lucem.
Lyc. Interea divae quae vox, quae gratia Matris?
Mops. Sic illa in puerum fixis haerebat ocellis,
Ut nec cura viae, nec seri temporis esset.
Ast ego scrutari causas, varioque levare
Conatus sermone viam, perplexa loquentum
Responsa excepi, quae in tempora longa senectae,
Lux verbi est nostras cum late effusa per oras,
Sunt mihi deprensa et caelo reserante patescunt.
Scilicet ad vitam lethi in regione sedentes,
Et veri ad liquidum lumen de morte vocandos.
Iam sensi, totum regeret qui parvulus orbem,
Quem sua non novit, nec gens ingrata recepit,
Ille erat, Aegypti profugus qui quaereret urbes,
Quem summus caeli Rex et Pater inde vocavit.
Lyc. Felicem te, Mopse, nemus silvaeque vocabunt,
Quod videas seris, vita superante, sub annis,
Quae tunc obscuris audisti implexa figuris.
Mops. Felices potius, Lycida, qui corde salutem,
Illius adventu allatam pietate fideque
Excipient, specie non praetereunte videbunt,
Quae mihi tunc obiter licuit vix certa tueri.

10. OCTOBRIS.

1712.

Cursus inoffenso ut properet pede, Virgo, Patronam
Te vocat ad longae commoda tuta viae.
Tu firma trepidum, certo rege numine gressus,
Cuncta tuo cedant digna patrocinio.

Digitized by Google

1714.

Borgia divitias temnit fastumque fugacem,
  Teque docente poli, Mater, anhelat opes.
Felix, qui tanta potuit didicisse Magistra,
  Thesauris Christi ditius esse nihil.

1718.

Consilium medicis Tu suggere, Mater, et artem,
  Ac de Te vires pharmaca, Virgo, trahant.
Ut per Te pulsis post dira pericula morbis,
  Virgineam assidua laude canemus opem.

1724.

Poichè al vostro voler cede ogni male,
  Qual più nostra natura, e 'l corpo infesta,
  E nel corso maggior l' impeto arresta;
  Ch' a contrastare a Voi forza non vale:
Volgete i cari lumi, se vi cale
  De' vostri figli, ù giace in lunga e mesta
  Doglia, che sempre a tormentare è presta,
  Uom d' alto ingegno e di virtude eguale.
Al vostro cenno il cor si rassereni,
  E l' acuto dolor si disacerbi,
  Tornando dopo il fosco i dì sereni.
D' ogni periglio tua pietade il serbi,
  E per dritto sentier lo scorga e meni,
  Dove con dolce amor tu lo riserbi.

1726.

Intentus placido poscit ab otio,
Adsit grata quies, officii labor.
Ad colles avidi sed properent, gravem
Cives ut fugiant tristitiam; tuas
Nos laudes canimus, sic animo procul
Nubes exigimus; sic redit, et dies
Nobis exoritur luce serenior;

Haec nostra exhilarant pectora gaudia.
Non vocis liquidae, non citharae sonus,
Non mensae, ambrosiae non epulae trahunt;
Sed dulci Mariam carmine Virginem
Ad caelum meritis tollere laudibus.
O quam praetereunt suavius et dies,
Annique spatia et tempora praefluunt.

1727.

Cum patrias aedes, cumque illustraveris urbes,
  Silvas et montes visere non renuis.
Effundis, quo pergis, opes et dona salutis,
  Nam tecum graditur gratia fida comes.
Excipiunt cum Te saltus montanaque Iudae,
  Zachariae in tectis edita signa stupent.
Inter pastores et amica silentia ruris,
  Expectant Solymae quam pia vota, paris.
Dum pharias compulsa plagas pavido pede lustras,
  Sol verus caecis gentibus exoritur.
Adventum simulacra tuum Puerique tremiscunt,
  Et cadit excussa nocte superstitio.
Illic Sanctorum designas, Virgo, palaestras,
  Innumeros olim quae peperere duces.
Hos etiam dictos Gandulphi a nomine colles,
  Caelesti, Mater, luce beare velis.
Proficiant fractae, valeantque in corpore vires;
  Pectoris atque animi sed magis integritas.
Sint concessa tuis quae donas otia iussis,
  Virgineis etiam laeta sub auspiciis.
Non has ambitio accedat mala pestis ad oras,
  Nec turbet placidos irrequieta sinus.
Sit satis, insana immitis quod saeviat Urbe,
  Saltibus et tacitis parcere discat agris.
Hic teneat humiles foveatque modestia sensus,
  Sola haec tranquillae gaudia pacis habet.
Hinc procul infectae violis et murice vestes,
  Sint procul hinc alti vota ministerii.
Hic virtus, sincera fides, et candida veri
  Simplicitas nostri sit comes hospitii.

Digitized by Google

Urbanis hic officiis curisque vacantes
  Relligio officiis occupet una sacris.
Nunc licet aeternis penitus intendere mentem,
  Inde et caelestes carpere delicias.
Dulcia virgineas referunt quae carmina laudes,
  Per iustas pascant otia nostra moras.
Sollicitis quassum curis sic illa fovebunt;
  Sic levior veniet ad nova iussa labor.
Civiles inter solatia grata tumultus,
  Illa eadem tacito in rure levamen erunt.
His Tibi, Sancta Parens, agitur dum gratia votis,
  Proque tuis meritis officiosa venit;
Accipe demissos sensus, postque otia laetis
  Romuleos fausto numine pande lares.

11. OCTOBRIS

1712.

Visimus en tandem degentes monte Faliscos,
  Quo tua festinos dextera, Virgo, tulit.
Haec mora, quae de Te retuli, pia dona coronet,
  Collatamque novo munere firmet opem.

1718.

Si tua dona, Parens, totum celebremus in aevum,
  Commeritae laudi munera parva forent.
Ergo pro tantis, tua quae dat dextera, donis,
  Exiles, Mater, suscipe versiculos.

1719.

Gandulphi, quo sternis iter, iuga celsa tenemus,
  Sacramusque tuis laudibus hospitium;
Ut studiis lassas repares, Virgo inclyta, vires,
  Frigentem renovas ac pietate fidem.

1721.

Qua Te Galori de nomine laudibus Aedes
  Personat, atque pias mittit ad astra preces;
Quamquam nigra minas intentant nubila et imbres
  Vespere sub sero, Mater, adire licet.
Ac Te supplicibus votis et voce rogamus,
  Augurio ut firmes otia parta tuo.

1730.

Da che tenero ancora a' tuoi bei rai
  Volsi, o Madre d'amor, cupido il guardo,
  Tosto sentii la fiamma, onde tutt'ardo,
  E che col canto ognor sfogando andai.
Altra cura, altro ben non potrà mai
  Distornare il pensier, ch'in Voi ritardo,
  Nè 'l piè lento a seguir sarà, nè tardo
  Te, che sublime a volo al Ciel ne vai.
La via ben'ella è dura e alpestra e torta;
  Ma di goderti un dì nel patrio regno
  Desio mi sprona, e speme mi conforta.
Dà l'ali al core ed al tarpato ingegno;
  Siami la tua beltade e meta e scorta,
  Felice pur chi giunge a sì bel segno.

12. OCTOBRIS

1711.

Te mea, Te caram suspirant vota Parentem,
  Te cor amat, quaerunt lumina, lingua canit.

1714.

Quas Tibi, Sancta Parens, grates, quae carmina reddam
  Digna quidem tantis carmina muneribus?
Tu vires renovas, Tu morbi pellere gaudes
  Relliquias, animo nec pietate dees.
Fac cuncta ad Christi dona haec vertantur honores,
  Fac soli Christo vivere ut incipiam.

Digitized by Google

1719.

Nocturnos inter quantumvis fulguret imbres,
Clarum tranquillo lumine mane redit.
Sic Tu temporibus, bona Mater, dividis horas,
Rurales famulis ut tueare moras.

13. OCTOBRIS.

1714.

Pelle graves nebulas, Mater, ventosque furentes,
Imperioque tuo tempora laeta reduc.
Ut Summus reparet vires corpusque Sacerdos,
Praesidiumque tuum Principis aula canat.

1719.

Quae das urbanas animo dimittere curas,
Librisque et studiis annuis esse procul;
Da nunquam, Pia Virgo, tuas oblivia laudes,
Carminis aut cultus otia praetereant.
Praebuerint tristes aliter nam rura recessus,
Gaudiaque et caeli risus amara forent.

14. OCTOBRIS.

1720.

Salve o sepositae nutrix, portusque iuventae,
Culta diu studiis, hospitioque domus.
Quae mihi primaevus fovisti conscia curas,
Cum nullo quateret turbine cura sinus.
Aërios mecum coleret cum Musa recessus,
Et Maria, et Iesus cum mihi carmen erant.
Seu cum proludens belli simulacra futuri,
Lustrarem veterum fortia facta Patrum.
Tu mihi pacis eras statio gratissima, nullus
In te iactabat pectora tuta metus.
Praebebas studiis optanda silentia sacris,
Tecumque in censu paupere dives eram.

Regia nulla tuis splendet mihi clarior umbris,
Romula nec cultus explicat aula pares:
Quamquam praecipiti conscensu, atque aspera muris,
Saeva fores aestu, saevior ad boream,
Quam dulces libris, et cultis artibus horas,
Turbarum vacuus, ceu procul orbe, dabam.
Nunc fluctus inter, nec nota per aequora, cursu
Nec certo, at Superûm voce vocante, feror.
Te tamen ex undis prospectant lumina, frustra
Tranquilla aetatis tempora dum recolunt.
Salve iterum memori quondam domus hospita, salve,
Atque ultra optanti non adeunda, vale (*a*).

1729.

Ον βλασυρὸν λεύσσεις, ἀποφώλιον, ἑπτακάργνον,
Μαψ' ὑπὸ τῆς Μαρίης ποσσὶ φρυασσόμενον,
Εξ ἄϊδαο δρακόντα ὀρωρότα τῶν κευθμώνων,
Σοὶ τύπος ὀυλομένης ἐστὶν ἀλιτροσύνης.
Ογκον ὑπερβασίη καὶ αὐχένα γαῦρον ἀείρει,
Τήκει τὴν ρυπαρὴν πεῖνα φυλαργυρίην.
Καγχαλάει τερπνὴ θυμοφθόροι ἄγριος ὀργὴ
Αἱμοχαρῆ γλώσσην ὥστε κράδαινε βέλος.
Μαργοσύνη ἀκόρεστον ἔτι στόμα χάσματ' ἀνοίγει,
Πρηνης καὶ κοτέων ἑ φθόνος αὐτὸν ἔδει·
Μισοπόνος ρέγχει συνεχέστατα ὄκνος ἀεργὸς,
Επτὰ τὰ τῆς ψυχῆς δυσμενῆ, ἠδ' ἀρετῆς,

(a) *De praedio Arenulano Poëtam alloqui verosimilius videtur, in quo ea aetate sapientissimo consilio adolescentes Seminarii Urbani Archiepiscopalis, ne per Civitatem, finitimaque rura in Autumnali tempestate vagarent, simul rusticatum deducebantur. In eoque postea eiusdem Seminarii praeceptores, ut aliquando corporis vires longo improboque totius anni labore diminutas, ac pene attritas reficerent, simulque Musarum otio fruerentur, conveniebant. Quare, hanc villulam potius loci amoenitate, quam artis elegantia ac decore pulcherrimam duos Maiellos fratres, Canonicum Buonocore, Alexium Symmachum Mazzochium, Jacobum Martorellium, Ignatium a Calce, Nicolaum Ignarram, Carolum Rosinium, Vicentium Calà, aliosque celeberrimos viros, quos abunde hoc Seminarium peperit, excepisse satis compertum est.*

Αλλὰ τέρας, κεφαλὰς τ' ὀλοὰς μὴ πάγχυ τι δείδοις,
Καὶ τόδε γραφθέντος τοῦ πλακὸς εἶγμα λέγει,
Παρθενὶς ἡ καθαρὴ καὶ ἀκήρατος, αἶεν ἀμύμων,
Ὡς ἀτρόμως ἔδαμεν τοῖς ποσὶν ἐχθρὸν ἴδε·
Οὐδὲν τοῖς ἁγνοῖς φοβερὸν, μὴδαὐτὸς ὄλεθρος,
Μούνην τῶν φοβερῶν φεῦγε παραιβασίην·
Σοὶ τόδε παρθενικῆς ἐνδείγματα φαῖνε Κορισκης,
Η πέλεται στυγερῆς ἄλκαρ ἀτασθαλίης.
Ης βίος ἀντίθεος, νοὸς ἄφθιτος, ἦτορ ἄκρατον
Εστὶν παντοίης εἶδος ἐυφροσύνης.

OCTOBRIS.

1712.

Otia dum retinent inter iucunda Falisci
Et reparant asprae toedia longa viae;
De Te cor nostrum solatia, Virgo, requirit,
Quae pia praedulci pectora laude beas.

1719.

Et sophiae curis, studiisque librisque relictis
Materies nostri carminis una venis.
Concta tuas animi meditantur robora laudes;
Sola meos sensus ingeniumque tenes.

1720.

Sedula Sanctorum quod mens scripta aurea verset,
Nil torporem animi, segnietiemque iuvat.
Auxilium sed, Virgo, tuum exempla secundet,
Corripiet sensus tunc pia flamma meos.

15. OCTOBRIS.

1718.

Virgineae subeunt animo cum dona Parentis
Tunc gemini lacrymae luminis ora rigant.

Atque ad reddendas parto pro munere grates,
Nec stylus in numeris, nec mihi lingua valet.

1719.

Festum S. Teresiae Virginis.

Te quoque Teresiam iaculis flammantibus ictam
Albanis recolunt subdita templa iugis.
Carmeli Dominam stellae de nomine dictam,
Laudibus Eliadûm quâ pius Ordo canit;
Illic ara tuos sub imagine servat amores,
Ictuque Angelico vulnera adacta refert.
Vulnera, queis alitur Sanctorum vita salusque,
Queis melius novit vivere, quisquis obit.

1720.

Te cupit, et votis ambit Teresia Matrem,
Irrita nec tenero e pectore vota sinis.
Per tenebras, per languores, per bella, per hostes
Illam materna, Virgo, tueris ope.
Te duce virtutis primaevos edere flores
Carmeli campos et iuga celsa docet.
Virgineosque choros atque agmina lecta virorum
Per celsas fidei ducit ad astra vias.
Exemplis animos et scriptis pascit et urget,
Femina prae doctis facta magistra viris.
O si, transadigunt quae virginis ignea pectus
Spicula, perfoderent et mihi adacta sinus.
Tum Christi atque tuo, Mater, flammatus ab igne,
Teresiae auderem gressibus ire comes.

16. OCTOBRIS.

1714.

Dicamus Mariae pia carmina; dulce canenti
Quod de virginea laude melos resonat.
Dulce melos, celebres inter seu degimus urbes,
Seu curis vacuos rustica tecta tenent.

1719.

Editus Albanas surgit qua collis ad oras,
  Seraphicis opibus gens ubi dives agit;
Diximus officiis humiles Tibi, Virgo salutem,
  Cum laeto affulsit mane serena dies.
Vespere sed iuges cum funderet Africus imbres,
  Haec Tibi pauca, Parens, carmina condidimus.
Otia et obscuras, Mater, si fallimus horas,
  Tristia sic cultum tempora et ipsa iuvant.

1721.

Quod canimus vacui, quod tempora laeta secundant,
  Corporis atque animi robora quod vigeant;
Abs Te suscipimus, tua sunt pia munera, ruris
  Dulcia quae famulis otia, Virgo, facis.

1723.

Pluribus incursant incommoda longa diebus,
  Queis gravis est membris ingenioque labor.
Non tamen, alma Parens, nostros oblita labores
  Negligis, auxilium vel miserata negas.
Quin variis etiam languentia pectora curis,
  Et cantu et votis saepe rogata levas.
Ergo age, Mater, opus caelesti perfice nutu,
  Atque domum, et parvum perge fovere gregem.

17. OCTOBRIS.

1718.

Per te vitali donec superabimus aurae,
  Non finis sueti carminis ullus erit.
Te Matrem numeris, famuli Te, Virgo, Patronam,
  Te spem, Te grato pectore, Virgo, canam.

Digitized by Google

1719.

Laeta redit solis facies, nimbique facessunt ;
Sic tua, Virgo Parens, visere templa datur.
Ordia nam cursus ea sunt, et meta viarum,
Sic Te, dulcis amor, pectus ubique petit.

1720.

Praelia Sanctorum dum mens et facta retractat,
Ingenio et studiis lumine, Virgo, iuva.
Quin gressus etiam fac sancta exempla sequentes,
Aeternae ad patriae limina perveniant.

1723.

Dum rura cives adpetunt,
Negotiisque dum procul
Distenta curis pectora
Iusto relaxant otio :
Nos corde laudes Virginis
Et ore grates reddimus,
Haec sunt laboris otia,
Quae fracta firmant robora.
Est si quis ardor sensibus,
Aut si qua Matris caritas,
Amara sunt, quae nomine
Falso vocantur gaudia.
Una est voluptas mentibus,
Quas luce Christus visitat,
Preces ad almam fervidi
Fudisse cordis Virginem.
Ludus iocusque caeteros
Oblectet, aut convivia ;
At Virginem colentibus
Haec una sit incunditas.

18. OCTOBRIS.

1711.

Urbe procul tandem Gandulphi rura tenemus.
Commodus at Mariae laudis ubique locus.

1715.

Qui scriptis tua facta piis, vultusque seronos
Aeternis pinxit sedulus in tabulis;
Sit nobis per Te, Mater, morumque magister,
Et vitae ductor nobilis et medicus.

1718.

Cur ingrata meam ludunt oblivia mentem?
Quae mihi laudanda Virgine cura prior?
Saepe tamen tristis sopor hic obrepsit inerti,
Mentem et virgineos obruit ad numeros.

1719.

Quae scribis, serosque deces quae, Luca, nepotes,
Virgineo Mariae doctus ab ore tenes.
Sic qui scripta tuis relegit spirantia chartis,
Caelestes Mariae suscipit aure sonos.

1720.

Intactae licuit cui Virginis ora tueri,
Audire et Matris mellea verba datum est;
Qui studuit Christi miracula tradere chartis,
Primaque Christiadûm facta ducesque sequi,
Cuius scripta olim coluit venerata vetustas,
Suscipit atque avido pectore posteritas;
Nostrae sit vitae Medicus morumque magister
Et caeli doceat corde tenere viam.

Digitized by Google

19. OCTOBRIS.

Festum S. Petri de Alcantera.

1714.

Membra domat Petrus, caelestia mente penetrat,
  Solus cui terris vivere Christus erat.
Languet amore, sacro penitus confixus ab arcu,
  Amplexuque tenet non variante Crucem
Ergone sic iaceat tam sancta exempla tuenti
  Cor mihi, Virgo Parens, nec stimulare voles?

1718.

Quis mihi det paribus Mariae praeconia verbis,
  Quis mihi det dignis tollere ad astra modis?
Vota quidem grato laudantis pectore fervent,
  Sed votis impar nititur ingenium.

1721.

Reddimus ecce humiles grato Tibi pectore grates,
  Quod per Te exhilaret laetior aura dies.
Unde licet longe positas invisere sedes,
  Cultus ubi Mariae relligioque viget.
Sive ubi iam steterunt Nemorensis fama Dianae,
  Sive ubi Aricinae templa cruenta Deae.
Quae terso illustras aevi squalore vetusti,
  Virgineoque potens nomine, Virgo, tenes.

1722.

In vitae ac lucis quem Alcantara protulit auras,
  Fervens in Christum quem pietas aluit:
Firmavit quem Francisci docuitque palaestra,
  Cui virgo ad palmas robur opemque tulit:
Qui diris carnem domuit cruciatibus, atque
  In caelis animo degere qui valuit.
Hunc canimus vacui, dumque otia ruris amamus;
  Moribus heu! quantum dissonat officium!

1728.

Τῆς Μαρίης κελαδεῖν ἐπέεσσί με θυμὸς ἀνώγει
Τοὔνομα, ἀλλὰ ὀίμη καὶ νοὸς οὐ δύναται.
Φέγγος γάρ φάεος θεοείκελον ὅσσε καλύπτει,
Φέγγος τοῖς θνητοῖς ἄσχετον εἰδομένοις.
Ὧδε τὰ τὴν κραδίην γλυκερόν τε ἔρον προκάλεσσαν,
Ταὐτὰ καὶ εὐεπίην καὶ στένος ἐξέβαλεν.

20. OCTOBRIS.

1713.

Praecipiti ad metam lapsu dum cuncta feruntur,
Et properat fato mergere summa dies;
Tu mihi da fluxas, Mater, contemnere formas,
Et mansura polo gaudia vera sequi.

1716.

Quas aedes dudum colui, Te praeside, Mater,
Post senos aestus deseruisse iubes.
Sint pro collato iuges Tibi munere grates,
Aedibus inque novis iam nova dona pares.

1718.

Vita, salus, studium, pietas quaecumque, fidesque
Sunt mihi, praesidiis omnia parta tuis.
Atque utinam in laudes cuncta impendisse liceret,
Virgo, tuas, ex Te quo uberius fluerent.

1724.

L'ore notturne a' i dolci studi amiche
A vegghiar ci richiaman su le carte,
Ed a le Muse e a l'ozio, che mi parte,
Da l'altre cure del saper nemiche.
Tempo gli è ben da le memorie antiche
Raccorre i detti e l'opre e l'uso, e l'arte,

Che in varie lingue a noi serbate, e sparte,
Nostra dovizia fan l'altrui fatiche.
L'uopo è maggior, da poi che con tal'armi
L'oste nemica il divin tempio assale.
E sprezza altari e voti ed inni e carmi.
Ogni debole ingegno, che men vale,
Sotto le tue bandiere spirar parmi
Un coraggio e un valor più che mortale.

21. OCTOBRIS.

1712.

Incola silvarum, Superûm consortia servans
Hilarion, Erebi quem nigra regna timent;
Fac nulla insani teneant me vincula saecli,
Sed Christi, et Mariae solus adurat amor.

1716.

O si montanos saltus, Pia Virgo, liceret
Incolere, atque sequi Hilarionis iter;
Nullae nos aula quaterent turbante procellae,
Nec species mundi splendida deciperet.

1717.

Ingenii vires, et robora corporis auge,
Mater, ut incoeptum perficiamus opus.
Sanctorum palmas, lavit quos sanguinis unda,
Virgo, tuis fretus persequar auxiliis.

1718.

Rebus in angustis, famulo Tu cuncta ministras,
Subsidium ac nullum, Mater, abesse sinis.
Ipsaque Pontificis ad nostra pericula mentem
Insigni et rara cum pietate moves.

1719.

Sancte senex, longos asperrima lustra per annos
Incolis, et carni fortia bella moves.
Abstrahat irrepens animum ne caeca voluptas,
Gloria fallaci nomine neu rapiat.
Hostibus a tantis etiam cum rura tenemus,
Heu! nunquam nobis mens animusque vacat.
Det Regina potens tua nos pia facta secutos,
Sanctis a mundo moribus esse procul.

1720.

Vasta, sed athletae Christi terra hospita salve,
Quam sanctis coluit moribus Hilarion.
Quae pugnas iuvenis teneris mirata sub annis,
Nunc memores stimulas ad sacra bella senes.
Si mihi sufficerent Mariae pia numina vires,
Quam foret in tenebris dulce latere tuis!
Nulla ubi decipiens spargit contagia mundus;
Solus ubi Christi pectora pascit amor.

1721.

Gandulphi in placidis quae ducimus otia silvis,
Et quae Te arridet dante serena dies;
Ingerit antiquos deserta per horrida Patres,
Et Tabataei praelia longa senis.
Ac pudet exemplis monitos tantisque triumphis,
Virtute haud unquam concaluisse sinus.

1728.

Παρθενικαῖς ὠδαῖς ἐπιμισγωμεσθα τὸν ανδρα,
Πίστεος ἀθλήτην, τὸν φόβου ἀντιπαλων·
Ηλικίης ἐπί τῆς θαλερῆς, κ' ἐν γηρατι δ' ἄυτε
Θαῦμα παλαιοῖσιν τὸν μέγα κ' εσσομένοις.
Ἄγγελον ἐγχθόνιον ἐπικλείδην Ιλαριῶνα,
Γαῖα παλαιστίνης ὃν τρέφ' ἀγασσαμένη.

Κεῖνος ἀπαὶ φίλης πατρίδος φύγεν, ὥστε μὲν οἶος
Ναιετάων, κοσμου μηδεποτ' εργα γνοίη.
Οὔρεσιν ἠλιβάτοις φρόνιμος λάθεν, ενδετε βήσσαις.
Αλλὰ ἐπουρανίοις μηδὲν ἄπεστι Χόροις.
Οὔδε πνόας ἀνέμοιο δυσάεας, οὔδε φοβεῖται
Καῦμα τὸ ἰοβόλου καὶ φλογὰς ἠελίου.
Σῶμα δαμᾶν μεμαὼς, καὶ ἄλγεσι σαρκὸς ὀρέξας εις,
Λάζετο ἀθανάτων ἀθλοφόρος στέφανον.

22. OCTOBRIS.

1715.

Quae Bonaventurae praebuerunt limina sedem
Vota quoque en famuli mystica suscipiunt.
Hic Te caelorum Dominam lucemque precamur,
Et mihi Seraphicas illius adde faces.

1716.

Ecce novas aedes, Mater, Te dante tenemus,
Fac sub auspiciis Ipsa tenere tuis.
Fac nullis noceat morbis aut artibus hostis,
Fac vires crescant corporis atque animi.
Fac solum tota Jesum de mente colamus.
Ille sit ut nobis unus ubique salus.

1719.

Dum quatit et silvas aedesque procacius auster,
Nec dum prima polo protulit hora diem;
Dum tacitas refovet pluteo fax addita curas,
Caetera dum reticet mersa sapore domus;
Carmina, Virgo Parens, Te matutina salutant,
Tuque prior nostro pectore vota moves.
Non invita tamen sequitur mens excita, proque
Luce ante auroram Te meliore colit.
Sic Tu, Virgo, dies, gressus, actusque secundes,
Albanisque regas otia nostra jugis.

1730.

Nel duro esiglio, in cui la vita acerba
De la vostra bellezza i rai mi asconde,
Ed in queste di orror valli profonde,
Stretto da lacci a lagrimar mi serba;
La vostra lode il duol mi disacerba,
E un dolce obblio de mali al core infonde,
Quai dopo ria tempesta aure seconde
Rendono il riso al Cielo, al mare, a l'onde.
Ma sì grato ristoro anche mi toglie
L'incarco, che mi preme, e mi molesta
Noioso e grave a le quiete voglie.
La lieta speme, che sola mi resta,
Di voi lodar la su l'eterne soglie,
Ella un vero gioir nel cor mi desta.

23. OCTOBRIS.

1718.

Optatas aegro vires da, Virgo, nepoti,
Ut morbi valeat tangere relliquias.
Gandulphi et per Te liceat tentare recessum,
Ut tua, quae caepit, dextera perficiat.

1719.

Aether tam largis nigrescens depluit undis,
Imbribus ac tantis obsita rura natant;
Ut tristes auras mens aegra perosa diesque,
Vix ferat Albanae taedia longa morae.
Ac nisi dicta Tibi relevarent carmina luctum,
Romuleos peteret protinus illa lares.
Sed cum, Virgo, tuae referant solatia laudes,
Moesta nec ulla dies, nec mora tristis erit.

1722.

Otia Gandulphi praebent dum rura; reposcit
Virginis intactae cultus amoris opus.

O vires flammasque pares cantusque secundos
  In tepido quamvis corde ministret amor :
Ut cum subiiciunt stimulos quaecumque tuemur,
  Debita non tardet carmina segnities.
Nam nemora et silvas peragrantes excitat, olim
  Quod regem fugiens illa peregit iter.
Et quod montana properans regione, salutem
  Et puero et domui contulit Elisabeth.
Hic tacitos Bethlem credas lustrare recessus,
  Excipere infantem qui meruere Deum.
Rustica divinam visit cum turba Parentem,
  Et silvae Angelicis personuere choris.
Ergo hos cum viva sub imagine conferat ignes
  Sepositum vacui temporis hospitium ;
Jam novus ad Mariae cultum mihi ferveat ardor,
  Et Mariam doceat Musa sonare nemus.

24. OCTOBRIS.

1716.

Subsidant fluctus, rabidaeque, o Virgo, procellae
  Te vento atque mari praecipiente cadant.
Mens nostra edomitis vitiis ut pace fruatur,
  Neu pereat coecis irrequieta vadis.

1718.

Etsi artes hostis pertentet mille nocendi,
  Morborumque minas et genus omne mali ;
Spes de Te, Mater, non nostro in pectore nutat,
  Nec trepidat tanto numine nixa salus.

1719.

Turbinibusque furens, pluviisque et nubibus auster,
  Et quae importuno sidere saevit hyems ;
Deproperare gradum, patriosque optare penates,
  Celsaque Gandulphi linquere tecta iubet,
Nam late horrescunt colles, campique nemusque
  Proximaque infesto murmure silva fremit.

Nec licet aut saltus peragrase, aut prata, viasque,
Nec licet admissis fallere tempus equis.
Ergo abs Te reditus optamus, Virgo, secundos,
Albanas claudat crastina ut ora moras.

1721.

Dum rura Mater linquimus
Gandulphianas et moras,
Per Te refectis viribus,
Grates agentes, solvimus;
Partis salutis fructibus
Cursus secundos adiice,
Laetosque tandem Romulis
Tu redde clemens sedibus.
Laudes ut anni circulis
Iuges canamus, et tuo
Dignas ferentes nomini
Pangamus usque gratias.
Ut qui Parentem senserit
Per laeta ruris otia,
Mox et futuris sentiat
Adesse Te laboribus.

1729.

Currere post Mariae vestigia quisquis anhelas,
Hac foveas ignes pectoris effigie.
Sanctum compositi species vibrat oris amorem,
Diffusa in labiis gratia rara sedet.
Fronte serenata cordis pax vera renidet,
Emicat e pulcris intima flamma genis.
Figit humi demissa modestia frontis ocellos,
Orantemque refert utraque iuncta manus.
Vela caput deducta tegunt, quod pura coronant
Lilia, non imo lilia culta solo.
Forma habitusque decet radiantes lumine vultus,
Atque omnis titulum linea ducta decet.
Sic vera expressam recolens sub imagine Matrem,
Sectandae stimulos ipse Parentis habes.

Filius ut Matrem reddas haud degener actis,
  Maternaque geras moribus effigiem.

25. OCTOBRIS.

1718.

Rustica primaevas promittunt otia vires,
  Gandulphi et famulos laetior aura vocat.
At Tu, quae caelum, Mater, moderaris et auras
  Opportuna ferens tempora, sterne viam.

1719.

Auspiciis iam, Virgo tuis urbana tenemus
  Tecta, Tibi et laudes carmina grata sonant.
Tu reduces laetosque ad romula limina sistis,
  Nec pia virgineo numine destituis.
Tu caeli tectique vices trepidosque repelle,
  Namque in Te fidit mens recreata, metus.
Tu serva incolumes, Tu munera parta tuere,
  Grata tuis lingua ut laudibus usque vacet.

1721.

Quod reditus tranquilla dies atque aura secundat,
  Quod faciles turbant nulla pericla vias;
Laetantes, Mater, quod romula tecta tenemus,
  Auspiciis veniunt haec bona cuncta tuis,
Fac etiam hiberno adspirent tua dona labori,
  Et viers operi sint studiisque pares.

1726.

Supplex acta furentibus
  Christi Ecclesia fluctibus
  De caelo auxilium rogat,
  Ac Te fletibus invocat.
  Tu res aspice perditas,
  Neve in deterius ruant,

Mater, porrige dexteram;
Constet moribus ut decor,
Sacris et reverentia.
Effraenata pecuniae
Tandem subsideat fames;
Verborum vigeat fides,
Vitaeque integritas. Tuo
Cuncta haec numine profluant.
Servis interea, moras
Aestivas quibus annuis
Laeta claudere, Te duce,
Praesta, ut perveniant.
Petri ad limina Principis.

1727.

Σχέλιον οἰκτηειρας μερόπων γνύος, αλγεα καὶ τοῦ
Μυρια, καὶ στοναχῶν τέκνα πεσόντα Πατὴρ,
Φίλτατον οὐρανοθεν μοῦνον δὲ τέ ὑιέα πεμψας,
Τοῦδε δικαιοσύνην λύθρου ἐδωκ' ασεβῶν.
Αυτὰρ τίς βασιλῆα τὸν ὕψιμεδοντα δεχέσθαι;
Τίς δ'εἰσερχομενῳ ἄξιος αντιάσαι;
Παρθένος ἡ γενέθλης περιήρατος ὄζος Ιεσσὲ
Ἄφθιτον ἡ ἀρετῆς παρθενιης τε κλέος,
Παρθένος εὐ φρόνιμος ξεινήϊον ἡτοιμασσεν
Κ' εὐπρεπὲς ἐλθοντος τῆς κραδίης μεγαρον.
Ως δ'αρὰ ταῖσι δίακτορος αγγελιῃσι πεποιτε
Ἀθὰνατὸς φθαρτὴν ἔνδυε σάρκα Λόγος.

26. OCTOBRIS.

1712.

Te celebrare cupit mens quamquam pressa tenebris,
Atque tua gestit condere laude dies.
Tu splendor, Tu stella Maris, Tu pectoris umbras,
Discute, sic Mariâ carmina digna sonant.

1714.

Nigrescit pluvius fundendis imbribus aether,
Ac torpor tristes desidiesque tenet.
Una tamen nostris superant solamina curis,
Te Mariam numeris quod cecinisse licet.

1717.

Successum studiis, Mater, viresque ministra,
Sanctorum palmas condere quo valeant,
Martyribusque pares vires da, Virgo, colendis,
Inclyta multiplicis munere martyrii.

1719.

Virgo, Quirinalem laeti properamus ad aulam,
Oscula apostolicis figimus et pedibus.
Principis imperio ruri nam regia sedes
Nobile secessu praebuit hospitium.
Demissis meritas verbis depromere grates,
Ac suscepta Patri dona referre licet.
In Te, sed quovis recidunt pro munere laudes,
Omnia quae nobis munera concilias.

1722.

Quae laetos, Pia Virgo, dies solesque tulisti,
Iactatos curis commiserata sinus;
Per quam tristitiae ex animo procul egimus umbras,
Heu! quae etiam vacuis incubuere graves;
Per quam non ullis nocuere adversa periclis,
Venere et famulis prospera cuncta tuis;
Qua reduces patriam sedem miserante subimus,
Desidiam reparans ut labor excipiat;
Jam Tibi reddantur meritae per saecula gratos,
Officiisque tuis dedita vita fluat.

1727.

Oceani complexa sinum qua Mexica tellus
  Flectitur, ad fauces insula Cuba iacet:
Dives opum, populisque frequens, sed mersa tenebris,
  Spe vitae ac vera relligione caret.
Hanc Regina poli caelesti ex arce miserta,
  Dignata est miris luce beare modis.
Classis Ibera vias repetit dum sueta profundi,
  Vectorem Cubae in litore destituit.
Miles erat morboque iacens, suprema manentem
  Pestifer afflatum sidere quem metuunt.
Ille ut desertas tetigit proiectus arenas,
  Nec videt in terris esse salutis opem;
Quam prius incensis studiis votisque colebat,
  Caelorum dominam voce vocat Mariam.
Tum sensim cedunt febres, vis pulsa veneni est,
  Virgineo ac demum munere convaluit.
Quid faciat, quo tendat iter, dum pectore verset,
  Cura celebrandae Virginis una subit.
Inter relliquias pelagi, quas sercina servat,
  Effigiem geminam pagina cusa refert.
Illic lactentem puerum complectitur ulnis,
  Pulcra super cunctas Virgo sinuque fovet.
Sudulus hanc ornat, fuerat nam vitta superstes,
  Sublimem gestat; sic loca culta petit.
Ut primum ignotam accessit novus hospes ad urbem,
  Effigiem statuit, flexus ei ingeminat
Angelicam divae Matri, Dominaeque salutem,
  Insonet et late cantus, Ave Maria.
Vocibus excitur puerorum turba, frequentes
  Conveniunt, studiis ardet ad officium.
Defixi Matris puerique in vultibus haerent,
  Mira oculosque tenet vis, animosque rapit.
Emicat expressa tam suavis imagine splendor,
  Ora in virgineo gratia tanta sedet.
Militis ergo sonos, cultumque imitantur, et una
  Auditum referunt carmen, Ave Maria:
Accurrunt matres, vicinia tota resultat
  Crebrescit populi clamor, Ave Maria,

Dum Deus adspirat coeptis, et signa coruscant,
  Quae allatam doceant nomine Matris opem.
Firma salus, morbis depulsis, redditur aegris,
  Cunctorum votis munera larga fluunt.
Mox et regali miracula nunciat aulae
  Fama, peregrini et militis acta refert.
Accitur. Regem conspecta incendit imago,
  Inflammant animos militis eloquia.
Tunc forte infensi tractabant arma rebelles,
  Regiaque adversus agmina constiterant.
Rex inter trepidas curas aestumque pericli,
  Mirandi implorat militis auxilium.
Ducat in adversos aciem, bellumque gubernet;
  Quod Maria fretus praeside non renuit.
Una praeit Mariae effigies atque agmina ducit;
  Idola in signis turba rebellis habet.
Hinc Mariae nomen, resonant hinc classica; sed vix
  Caelestes vultus barbara castra vident;
Cum primum aversa trepidant simulacra Deorum,
  Tum praeceps acies territa diffugiunt.
Parta quies regno. Sed mox ciet altera bella
  Victa Sacerdotum caeca superstitio.
Iratis clamant Cubae impendere ruinam
  Numinibus, patrios arma parare Deos.
Scinditur in partes mutua pro clade iuventus;
  Rex tamen hoc prohibet praelia consilio.
Utraque pars vinclis nodisque revinciat unum,
  Qui adversae espectat numine partis opem,
Auxilium implorent. Solvat quae vincla potestas,
  Hanc iusta populus relligione colat.
Inde Sacerdotes, supplex hinc militis agmen,
  Fundit quisque suo vota precesque Deo.
Miles, Ave Maria, Mariam plebs docta salutat,
  Veramque affirmant edita signa fidem.
Atria namque statim summi reserantur olympi,
  Aligerique volant de superis pueri.
Hos specie excelsa properans regina, clienti
  Arcta salutanti demere vincla iubet.
Mandat et alterius nodo geminare catenas;
  Facta patent oculis, sed latuere manus.

Hinc detracta vident, hinc addita vincula, sed quae
  Vis opus exequitur, lumina nulla vident.
Tum Mariae angelicam renovat cum laude salutem,
  Christumque agnoscit plebs venerata Deum.
Inde salutari poscunt lustrarier unda,
  Rex ipse et signis plebs stupefacta rogat.
Cilensi miles sed de regione vocari
  Hortatur mystas, qui sacra perficiant.
Cubam sic Christo caelestis gratia subdit,
  Per Mariam subdit sic nova regna fides.

27. OCTOBRIS.

1712.

Vorrei, ch' in dolci armoniosi modi
  S' udisse il santo nome in ogni parte
  Di Maria, per cui vergo ognor le carte
  Con rozze note e con incolte lodi.
Vorrei, ch' in cari indissolubil nodi
  Stringesse lei le chieche voglie e sparte;
  E 'l cor, che dal ben vero si disparte
  Ne l'amor suo con santi lacci annodi.
Vorrei, ch' al vago irrequieto ingegno,
  Che più s'affanna in ricercar sua pace
  Ella fosse di vista unico segno.
Vorrei tanto avvampar di quella face,
  Ch'arde per lei tutto il celeste regno,
  Ch' in odio avessi ogn'altro ben fugace.

1718.

Quid prosit nostrae, Mater, noceatne saluti,
  Haud equidem nostrae est, ut videamus, opis.
At Tu, quae penitus scrutaris cuncta, salubres
  Da tenuisse vias, nec nocitura sequi.

1719.

Hiberno montes canescunt sidere, siccis
Insultat terris ventus, et aura viget.
Nocturnis grata haec studiis sunt tempora, Mater
Sufficiat vires si miserata pares.

28. OCTOBRIS.

1712.

Iam nos ad sacros revocat tua Roma labores,
Otiaque excursus claudere longa iubet.
Crastina restituat patriis lux sedibus, atque
Augeat e Mariae munera parta manu.

1713.

Seu nos laeta dies, seu casibus excipit aspris,
Praesidium sentit, Mater, utrinque tuum.
Tu siquidem mihi laeta paras, Tu tristia fido
Vincere das sancti nominis auxilio.

1714.

Spem dulcem canimus Mariam, matremque salutis,
Unde mihi vitae dona beata fluant.
Illam dum votis humiles precibusque vocamus,
Veram laetitiam gaudia ruris habent.

Festum SS. Simonis et Iudae.

1715.

Nobile par pugilum per diras Persidis oras,
Et quos Euphrates alluit atque Tygris;
Pro Christi laeti vitam cum sanguine fundunt,
Ipsorumque canit lux hodierna fidem.
At nos heu! resides sancta torpemus in Urbe,
Tu, Mater, stimulos cordibus adde pares.

1717.

Barbaries quos dira premit, quos coeca tenebris
Nox tenet, immiti commiseranda iugo;
Eximitis fractis virtute ac voce catenis,
Veramque excipiunt libera corda fidem.
Nec retinent mortisve timor, vel gaudia vitae;
Sic Mater docuit, Christus et ipse iubet.

1716.

Ruris iter vis dira noti differre coëgit,
Officiisque dedit posse vacare sacris.
Hoc etiam licet acceptum Tibi, Virgo, referre;
Laetique excipimus, quas seris ipsa moras.

1719.

Simonem et Iudam sollemnia sacra celebrant,
Quos Vaticani culminis ara tenet.
Huc aula properat Summus comitante Sacerdos,
Caelesti et fundit vota precesque Patri.
Tu quae illis olim fueras, pia Virgo, Magistra,
Fac habeam assidua relligione duces.

1721.

Quos amor et pietas, genus et cum sanguine virtus
Et Christo et Mariae iunxit et alma fides;
Quos et apostolicae claravit gloria vitae,
Ornavitque sacri laurea martyrii;
Simonem et Iudam, tellus haec contegit ambos,
Ac Petro adpositos mors quoque consociat.

1728.

Παρθέν' ὀλύμποιο γλυκερὸν φάος ἠδὲ καὶ αἴης,
Η πόρε παντοκράτωρ φέρτατα δῶρα Θεός·
Ην περὶ πασάων τίσας ἐφίλησε γυναικῶν,
Καὶ προσθ' οὐρανίων ἔξοχον εἶσε χόρων·

Κλῆθι ευχαμένων τῶν δάκρυα θερμὰ χεόντων,
Καὶ διὰ τοῦ βιότου ἄθλια καὶ θανάτου,
Αὖτ' ἀϊδος φοβερὸν πολυμήχανον ἐχθρὸν ἄμυνον,
Ἤδὲ σὰ τέκν' ἀφ' ὅλου νείκεος ἐξείρυσον.

29. OCTOBRIS.

1712.

Asper apud caros retinet nos turbo Faliscos,
Nec sinit ad patriae limina ferre pedem.
Interea Tu, Mater, ades; nec turbo, nec imber,
Si iubeas, reliquum laedet euntis iter.

1714.

Post confirmatas, Mater, Te praeside vires,
Montanas laeti claudimus ecce moras.
Reddimus et tenues tanto pro munere grates,
Ut tua dona novis officiis cumules.
Da faciles reditus, acceptaque dona salutis,
Vertente in melius tempore proficiant.

1716.

Fac, me Sanctorum vestigia pone legentem,
Diva Parens, mundi ne trahat ullus honor;
Nec quae de vano se gloria lumine iactat;
Angustas Christi sed tenuisse vias.

1719.

Ne levis incassum arripiat subeatque labores,
Mens frustra studiis torta supervacuis;
Tu cursus certasque vias metamque tenendam
Ostende, et caelo tolle benigna facem.

30. OCTOBRIS.

1714.

Te duce romanas, Pia Virgo, revisimus aedes
  Atque tuam pavido corde rogamus opem.
Disiice, sancta Parens, redivivi incommoda morbi,
  Atque benigna tuo numine nos refove.

1718.

De Te si vitam, partam si, Virgo, salutem
  Ducimus, assiduo et carmine concinimus;
Tu serva a morbis vitam partamque salutem,
  Ut iugi liceat ducere laude dies.

1719.

Iam satis a studiis animum curasque remisit
  Aetas, quae nobis erudienda venit.
Iam nunc de vera pueris pietate voluptas
  Una sit, et dulcis pro pietate labor.
Doctrinam sitiant, ac Te, pia Virgo, magistram
  Et studii recolant et pietatis ament.

1721.

O quae demissae Tibi, Virgo, modestia sensus,
  Aeternoque Patri quae placuisse dedit;
Illa domet nostro tumidos in pectore fastus,
  Vitaeque edoceat sola latentis opes.

31. OCTOBRIS.

1714.

Pontificis Summi cum mandant iussa labores,
  Quos conscribendis urget obire libris;
Mens nullis quamquam studiis instructa labascit,
  Praeside Te, sacro par erit imperio.

Tu vires animi, Tu robora corporis auge,
  Ac veri Tu da, Virgo, tenere vias.

1718.

Quis mihi sublimes caelo det vincere pennas,
  Sive Andine tuas, Maeonideve tuas?
Virgineas valeam ut super aethera tollere laudes,
  Carmina nec votis inferiora sonent.

1719.

Sanctorum Regina, poli quam sidera cingunt,
  Vestis quam solis lumine clara tegit;
Vitae per dubios errantem respice calles,
  Per certam ut teneat regna beata viam.

1. NOVEMBRIS.

Festum Omnium Sanctorum.

1711.

Sanctorum aeterno splendent mille agmina regno,
  Numinis et longo gaudia fonte bibunt.
Una tamen meritis Virgo supereminet, illi
  Curia tota alacri funditur obsequio.
Sensimus hanc semper votis favisse volentem,
  Huius et assiduam spiritus hausit opem.

1712.

Madre ch' in ciel godete
La dolce compagnia de' cari figli,
Che da lunghi perigli
Salvati in porto avete;
Fate ch' a sì bel regno indrizzi il volo,
Ove non è più morte, o pianto, o duolo.

1713.

Qui superas arces, atque atria celsa tenetis,
  Quos mundi iactant aequora, respicite.
Tuque o quae cunctos ultra subvecta, Tonanti
  Donisque et meritis proxima, Virgo, sedes;
Da pacem longos inter, fera bella, labores,
  Da patriae tutos posse tenere sinus.

1714.

Iustorum pugnas, exaustaque bella coronat,
  Christi in caelorum culmine longa manus,
Et quos despectos pressosque exhorruit orbis,
  Atque ob ficta dedit crimina suppliciis;
Splendentes supera pavidus miratur in aula,
  Divina versas et stupet arte vias.
Te tamen omnigenis cumulatam a Numine donis,
  Virgo Parens Christi, Te stupet ille magis.
Scilicet ancillam, quam Te demissa vocaras,
  Et terrae et superi iura tenere poli.
Ergo age, quo tanti contingam limina regni,
  Fac me iustorum, Virgo, tenere vias.

1715.

Salvete o pacis tutissima limina, salve
  Caelestis laeta sorte beata Sion.
Vosque triumphata caelum qui morte tenetis,
  Aeternas pandit rex quibus altus opes.
Tuque o quae cunctos radianti lumine vincis,
  Regina et Virgo Filia, Sponsa, Parens,
Istuc nutantes gressus deducite, vobis
  Ut Christo veniam commiserante comes.

1716.

O qui caelestes divino in lumine sedes,
  Intactae comites Virginis incolitis:
Qui victis mundi insidiis vitiisque subactis,
  In supera aeternas arce tenetis opes:

Christiadûm precibus famulique rogantis adeste,
  Vestro ut sint patriae munere participes.

1717.

Quae caelo Regina praees, patriaeque beatas
  Illustras sedes cincta choris superûm;
Ad nos verte oculos, mundique illisa procellis
  Ad portum tendat, Te duce, tuta ratis.

1718.

Aspice, qui trepidas, caeli supera alta tenentes,
  Quos olim in praeceps sors inimica tulit.
Nunc Iesu et Mariae consortia laeta celebrant,
  Lumine et in liquido Numinis ora vident.
Ergo aude, et Maria confisus praeside nullis,
  Tanta ut pervenias ad bona, cede malis.

1719.

Ad superas oculos caeli cum tollimus arces,
  Atque animo patriae gaudia cum subeunt,
Aethereamque Patris laeti cum cernimus aulam,
  Sceptra ubi, Christe, tua cum Genitrice tenes;
Sanctorum meritis insignia parta tuenti,
  Sordescit tellus quidquid avara cupit.
Atque illuc pandit studiis anhelantibus alas,
  Bella ubi cuncta silent, pax ubi firma sedet.

1720.

Quei che vi fan corona, o Madre, intorno,
E che in guisa di belle
Splendide e chiare stelle
Ornano de l'empiro il bel soggiorno,
Voi chiaman di sua sorte
La fonte e la sorgiva,
Che con la vostra diva
Prole apriste pietosa al Ciel le porte,

E a Voi la nobil squadra
Fa più ricca ghirlanda e più leggiadra.
Fate ancor che quest'alma
Sia di vostra pietà trionfo e palma.

1724.

O de' veri piacer tranquilla sede
Reggia del sommo Padre e de'suoi figli,
A cui fra le battaglie, e fra i perigli
Aspira chi ben'opra, e chi ben crede.
Meraviglie di voi canta la fede,
Onde d'amarvi ogn'uom si riconsigli,
E con più certi e provvidi consigli
A sì bella conquista indrizzi il piede.
In voi risplende sovr'ogni altra, e regna
Colei che tanto piacque al re superno,
Cui dare albergo nel suo sen fu degna.
Ella fra questa notte a mezzo il verno
Il cammin dritto con gli esempî insegna,
Ch'a Voi ci mena, ed al riposo eterno.

1725.

Quotquot per vada saecli,
Hinc urgentibus undis,
Illinc flantibus austris,
Damna extrema timetis;
Tutum cernite portum,
Celsam pacis et arcem.
Sic vicisse licebit
Asprae taedia vitae.
Illic digna laboris
Constant praemia iustis.
Non illic gemitus, non
Mortis tela metusque
Haud ulla angit egestas,
Non vis dira doloris.
Cunctis una voluptas,
Cuncta et gaudia vitae

Non unquam interiturae.
Vincunt sidera caeli,
Sanctorum agmina, vincit
Solis lumina Mater.
Salve patria, salve
Celso in vertice fulgens,
Te de valle salutant
Voces exulis aegri.
Ad Te pectus anhelat,
Pleno ut gaudia fonte
Aeterno ebibat haustu.

1726.

Tu quae Sanctorum tot condita corpora servas
Aedes, et Petri dives ab exuviis;
Quam reduces cultu et precibus celebrare frequentes,
Christo diva Parens officiosa dedit;
Esto, precor, famulis orantibus aula salutis,
Ac per iustorum pignora perfugium.
Sive tuas lacrymis votisque calentibus aras
Pro vitae functis lumine adire licet;
Seu noxae ac sceleri veniam pacemque rogamus,
Sanctorum et meritis praesidium petimus.

1728.

Ὅς τις ἀνὰ πτολέμους σθενεος μεγαλ' ἔργα τελεσσας,
Μήδενα ποιήσας τοῦ βιότοιο λόγον,
Πατρίδα ναιετάων προτέραν λάβε μίσθον ἀέθλων,
Ἄφθιτα καὶ καλεπῶν ἐκδεχετ' ἄθλα πόνων·
Πᾶσι δὲ νικήταις μακαρεσσιν Ἀνασσα προέστη,
Ἔξοχ' ἑοῖο θρόνῳ ὑιέος εγγυτατη·
Ἀνδρων σωτῆρ' ὀυλύμπου βασιλῆα τεκοῦσα,
Καὶ περὶ παντοίων προσφιλέουσα Πατρί.
Αγγελικαι τὴν ᾀδόμεναι τρομέουσι φάλαγγες
Νήπια φῦλ' ἀνέρων λισσόμεν' ἣν σεβεται·
Ὡς ποτε τὴν Μητρὸς δοξαν καὶ κάλλος ἰδόντα
Ἀθλοφόρων Μακάρων μηδὲν ἐλάττον ἔχοι:

1730.

Ἄξια τῆς χάρμης οὐκ ἐνθάδε θῆκεν ἄεθλα
Ο στεφάνης δωτὴρ αὐτὸς ἀγωνοθέτης.
Αλλὰ εἰ ἡνοχίεις τοῖς δώμασεν ουλύμποιο,
Τους ἅρπαξ, ἀγαθῶν μὴ θάνατος πέλασεν.
Ἐνθα τέλος στέφανος τε πόνων μετὰ τὰς ὑσμίνας
Τοις βραχίσιν μοχθοις ἀθάνατον τὸ γέρας.
Ἔνθα μαχητάων Μητηρ ἱδρῶτα λοέσσει,
Αμφιπλέκουσα φιλῶς υἱεας ἀθλοφόρους.
Ὦ πατρὶς, ὦ δολιχῶν ερατὴ αναταυσις ὀλέθρων,
Ὦ ἕδος ἀϊδίης ἔμπεδον εὐφροσύης.
Μή τι ὁδον βλαπται, μή μου ποδὰς ἠπεροπευοι,
Ὡς γηθεῖν σεοθεν χαρμασιν ἱκομενος.

2. NOVEMBRIS.

1711.

Manibus una piis, quos saevior expiat ignis
Solatura aestus, provida Mater, ades.
Me quoque culparum vitio solare iacentem,
Auxilii ut maculas deleat aura tui.

1712.

Alma Regina, dal celeste soglio
Volgi pietosa il guardo
A quei spirti, cui tardo
S'apre di vita il varco; al cui cordoglio
De l'esiglio e del loco
Lungi dal tuo contento,
Crudele aspro tormento
Con l'ardor de le fiamme aggiunge il foco;
Che quanto più gli affina,
Tutto al vero gioir più gli avvicina.
Degli afflitti, o Maria, speme, e conforto,
Per tua pietade ormai gli accogli in porto.

Digitized by Google

1713.

Innumeras animas Christi de sanguine lotas
  Sub nigra terrificus tartara carcer habet.
Queis superant foeda admissae vestigia culpae,
  Nec dant ad patriae limina ferre pedem.
Tu pande aeratos optata ad gaudia postes,
  Mater, et aeternum redde benigna diem.

1714.

Poenali expectant detrusi in carcere lucem,
  Virgo, fidemque tuam, praesidiumque vocant.
Tu resera occlusos postes, tu vincula solve,
  Tu pande ad Christi regna beata viam.

1715.

Sancta Parens extingue piis iam Manibus ignes,
  Supplicium longo quos premit exilio.
Aeratas Tu rumpe fores, Tu solve catenas,
  Ut patrias sedes ac sua regna petant.

1719.

Quos diris retinent carcer poenalis in umbris,
  Languentes caeli de ragione procul;
Quos ignis vitae commissa piacula delet,
  Excoquit et tristi supplicio maculas;
Respice, Sancta Parens, durisque e postibus educ
  Optatae in patriae dulce refrigerium.

1719.

Cerne tuos, Mater, famulos, quos vincla coërcent,
  Haustu qui aetherei fontis abesse dolent.
Quos tenebrae, luctusque, fames et torquet et ignis,
  Sed quos discruciat mensa parata magis.
Perfringe aeratos duro cum cardine postes,
  Ut patriam reduces, Te revocante, petant.

1722.

Benigna Mater Numinis,
Spes una functis lumine,
Quos flamma coeci carceris
Aestu, et tenebris expiat.
Disrumpe noctis vincula,
Durosque postes dimove,
Ut ad supernam convolent
Te dante lucis patriam.
Per te perennis gaudii
Vultusque Patris compotes
Vires, decus, clementiam
Tui celebrent nominis.
Nostra et videntes eminus
Tot bella, tot discrimina,
Laeti salutis iam suae
Nostrum tueri gestiant.

1728.

Πιστῶν κλαύσαντες τὰ μὲν ἄλγεα πολλὰ θανοντων,
Κεινοις τ'εὐχόμενοι χαρματ' ἐλευθερίης,
Σεῦ ἐλέει, βασιλισσα, πεποιθότες αἰπὺ βοῶμεν·
Σῦ στυγερας φυλακῆς τοῖσιν ἄνοιγε πύλας.

3. NOVEMBRIS.

1712.

Incolumes, Virgo, iam romula tecta tenemus,
Hic ubi virginea sit pietate quies.
Sistimus hic longos italo sub cardine cursus,
Queis per Te, Mater, stat reparata salus,
Sint Tibi, sint inges, Mater mitissima, grates
Cuius ab auspiciis vita salusque redit.

1714.

O ter felices, qui Virginis ora tuentur
Quamvis ridenti splendiora die.

Lumine quae Triadis, Christique e luce beatis,
Gaudia perpetuae laetitiae ingeminant.

1716.

Felices patriae caeli super ardua cives,
Queis datur aeterno lumine posse frui;
Ad Mariam nostras submisso e pectore voces,
Assiduasque rudi e carmine ferte preces.

1721.

Salve o Chistiadûm coelestis patria, Iesum
Quae Regem Sancta cum Genitrice tenes;
Angelicis quae Septa choris radiantia cernis,
Virtute ac meritis agmina mille Patrum.
Lilia quam cingunt, quam laurea parta triumphis
Ornat in occiduis, pax ubi tuta sedet,
Quam votis quisquis mundo iactatur, anhelat,
Ac poenas scelerum quisquis in igne luit.
His reseret duro pia Mater cardine postes,
Atque ad te faciles praestet inire vias.

1729.

Ἴλιον ἠγαθέης σοφίης, πλήρη τε σελήνην
Διττούς τ'ευσεβίης ἀστέρας εἰσοράεις,
Τῶν γραφὶς ἐκβλυζειν σέλας οὐ δυνατ' οὐ δεποτ' ἀυγὰς,
Φαντασίην δὲ μόγις σώματος εσκίασεν.
Ἀλλὰ τὸ μὴ δυνατὸν τοῖς χρώμασι, πίστις ὀρῶντι
Αμφανὲει, πιστις μάρτυρος ατρεκιης.
Ἔνθα βρεφος Θεὸς αἴδιος θήλαξεν Ἰησοῦς,
Τὸν δ'ἀτὶταλλε τοκεὺς γούνασι δεξαμένη.
Γῆθος Ἰωάννου φρενὰς ἔνδυε, θάμβος Ἰωσὴφ,
Θηητῆς ἀγαπῆς· ἔργα προσειδομένων.
Θεῖος ἔρως πίνακ'ἐν μικρῶ σοι πολλὰ διδασκει,
Λειγματα πολλὰ δ' ἔχεις τῆς χθαμαλοφροσύνης.
Ἡ δ ἀν ἐπουρανίων μέροπων δέ τε τον βασιλῆα
Μητέρος ἐν κολποις τυτθὸν ἔοντα βλεπῆς·

Ἡ σέβας, ἡ θεράπην δείων λεύσσεις ὑπουργῶν,
Κυδαλέμων μεγάλῳ συγγενέων βασιλεῖ·
Ὧν τοῖνυν δέρκεις λιτὴν ἐν ἀγάλματ' ὀπώπην,
Πρὸς φάος ἀντιθέων ἔρχεο τῶν ἀρετῶν.

4. NOVEMBRIS.

F. S. Caroli Borromaei.

1711.

Carolus excubias vigili si pectore servat,
Pastor apostolico si bonus igne flagrat;
Abs Te coelestes hausit, pia Virgo, favillas,
Tuque animum auxilio, consilioque regis.

1713.

Carole divinae facili de numine Matris,
Quod sacra Pastorum forma voceris, habes.
Illa faces sancti, stimulosque iniecit amoris,
Te grege detineat ne pereunte quies.
Aemulus antiqui relegens vestigia saecli,
Sic praefers ignes Pastor Apostolicos.

1714.

Ut sequeris Christum pascendis sedulus agnis,
Carole, Pastorum regula, forma, decus!
Servaturus oves ut sacris ignibus ardes!
Ut nullus frangit fervida vota labor!
Ut divam Christi Matrem laudas, colisque!
Praesidio flammas ut fovet illa tuos.
O si, Dive, tuos teneam cum nomine mores!
O mihi si votis annuat alma Parens!

1715.

Carolus unde mihi sola adstat nominis umbra,
At mores dignos nominis haud refero;

Sit mihi, sancta Parens, custos, tutorque, Paterque,
Ne laesi vindex nominis obveniat.

1716.

Carole sanctorum splendorque et gloria Patrum,
Per sacra qui Christi gramina pascis oves;
Qui vigil insidias arces rabiemque luporum,
Est cui prae vita cara aliena salus;
Auspiciis sancti quem nominis usque tueris,
Dignum virgineis effice praesidiis.

1718.

Pro grege sollicitus, Christi pro nomine fervens,
Infractus peragit Carolus excubias.
Has, Mater, famulo caelestes ingere flammas,
Ne tanti Patris nomen inane gerat.

1719.

Ut nos exemplis melioribus excitet, atque
Invitet factis quos pia voce docet;
Sanctorum dat Sancta Parens celebrare triumphos,
Illorum et fortem dat memorare fidem;
Virtute et meritis quos Carolus eminet inter,
Qui veterum retulit tempora digna Patrum.
Quem saecli pereuntis amor, vel commoda vitae
Haud unquam segni detinuere mora,
Ardua sed Christi vestigia pone secutum,
Christiadûm ducibus quem labor inseruit.
Huius fac, Mater, referamus moribus ignes,
Cuius et immeriti nomina praeferimus.

1720.

Cum late ingentem fureret Libithina per urbem,
Cuius crediderat tum Tibi Christus oves;
Sacris auspiciis, et Virgine praeside fretus,
Impavido mortis corde pericla subis.

Fulmina sic precibus, divinam avertis et iram,
  Reddita quo est animis, corporibusque salus.
Nunc age, Phocaïcae tot clades respice gentis
  Iustaque suppliciis pelle flagella procul.
Virginis auxiliis, ac per tua vota, precesque
  Sit tandem lacrymis, funeribusque modus.

1721.

Carole, qui Mariam Matremque ducemque secutus
  Inter Pastores serta priora tenes;
Fac Te rite colens morum vitaeque magistrum,
  Ad Christum et Mariam Te duce perveniam.

1722.

Sacra dies Caroli sanctis celebranda camaenis
Ad Mariae laudes nova carmina suggerit, atque
Musas iamdudum torpentes excitat extro.
Ordiar unde tamen? vel quae postrema canenti,
Tanta ubi virtutum ac laudum seges undique surgit?
At quacumque velit, conceptas pectore flammas
Expers legis amor, mens et iubet excita, rumpat.
  Salve igitur, nostros relevas quae sola labores,
Quae studiis optata venis votisque styloque
Materies et cura meis. Tibi conditur uni
Quidquid ludentes vacuis properamus in horis.
Respice tristitiae quantis circumdamur umbris.
Fluctibus in quantis et quam iactamur amaris.
Nos contra obnixi, faveas nisi, Virgo, nec undas
Vincere, nec superare pericula dira valemus.
At si virginei me numinis aura secundet,
Discussisque animae nebulis seu lumina pandat,
Non indigna tuae procudam carmina laudis,
Dicam etenim niveae cum virginitatis honore
Maternumque decus collataque sceptra supernis
Infernisque simul cultu venerata timenti.
Nescia quod labis vitales hauseris auras
Attulerisque novam mortalibus edita lucem.
Quod teneros templi officiis transmiseris annos,

Donec virgineis caelesti foedere taedis
Iuncta viro angelicam audisti laeta salutem,
Dignata hospitium thalamumque parare superno
Regi; et foeta Deo quod per montana Iohanni
Laetitiam, et veram tuleris cum luce salutem.
Tum quae maternum cumularint gaudia pectus,
Cum superûm plaudente choro Davidis in urbe
Promissum mundo dederunt tua viscera Christum;
Quem colere approperant reges orientis ab oris.
Te sequar ad templi sacra limina, Mater, euntem,
Insidiasque trucis fugientem principis, usque
Aegypti ad tutas, caelo monstrante, latebras.
Sollicita amissum Solymis seu mente requiris;
Seu Canae in epulo Nati miracula poscis.
Sive infracta Cruci notis fugientibus adstas.
Discipulos inter seu praestolaris ab alto
Saepius ardentis promissos Numinis ignes;
Seu cum caelesti angelicis concentibus aulae
Invecta es celebri superûm regina triumpho.
Dicam, quae largo ceu flumine munera donas,
Et votis collata meis. Age, Mater, inertes
Exente frigenti torpent quae in pectore, vires.
Ut quae animum ad laudes accendit sancta cupido,
Munere et ipsa tuo sanctis non excidat ausis.

1726.

Pascendis ovibus sic Tibi creditis,
Arcendisque lupis sic vigil excubas;
Fluxas divitias sic et opes fugis,
Borromaee, sinus cui penitus agit
Inflammatque Dei vivida caritas;
Ut non conspicuae insignia Te domus
Aevi nec teneri commoda retrahant,
Quin offerre animam pro grege gestias;
Seu montana vocent te loca per nives
Alpinumque gelu, cladibus effera,
Seu pestis cumulet funera latius.
Hoc te lacte aluit, sensibus his Parens
Instruxit. Mariae tot pia munera

Pastorem celebrant, quem faciles colant
Actis et referant cuncti ovium duces.

1730.

Ποιμένα τῶν οἴων ἐγρηγορόωντα κ' ἄριστον
Κάρολον ὡς ταμβῶν ὄμμασιν ἐισοράω,
Αδρανέης μ' ἔρευθος ἔχει, ὅτι ἄιεν ἄεργος
Αὐτου ἐπικλείω τοῖς ἔπεσιν κάματου·
Τὸν μὲν μήδε πόνος δάμεν ὀυ θανάτοιο τελευτὴ,
Αλλά με καὶ μικρὸν κάββαλεν ὀλέθριον.
Τῆνδε μεθημοσύνην κραδίης ἀποέργατε, Μῆτερ,
Καί κείνου ἀρετῆς μευ ὀρόθυνε νοόν.

5. NOVEMBRIS.

1711.

Caerula nec ponti tranquilla silentibus auris,
Florea pratorum nec mihi pompa nitet:
Ipsa serena poli sordescunt lumina, quando
Cernere divinae virginis ora datur.

1713.

Quod revehit studiis vertendis mensibus annus
Principium, hoc laeti, Te duce, suscipimus.
Tu lucis divina Parens, verique magistra,
Adspires coeptis, et rege mentis iter.
Cuncta tuo in Christi laudes ut numine cedant,
Metaque sit nostris cursibus una Deus.

1716.

Antiquam ad sedem, Petri quae iungitur aulae,
Intemerata Parens, quod remeare iubes,
Sint Tibi perpetuae grato pro munere grates,
Utile quod nostris viribus esse velis.

Digitized by Google

1617.

O dulcis Mater, quae tristia cuncta repellis,
  Interque angores gaudia suppeditas:
Ne nos in tantis animos agitantibus undis
  Desere, sed caelo profer amica facem.

1721.

Qui pelago emenso caeli supera alta tenetis
  Cernere damna viae quos superata iuvat;
Reginam aeternis extollite laudibus, illa
  Obvenit vobis conciliante salus.
Illa etiam nobis contingat praeside, vestros
  Post dirum belli tempus adire choros.

1724.

Di santo ardore acceso e pien di speme
  A voi, pietosa Madre, umil mi volgo;
  Che se gli antichi nodi non disciolgo,
  Almen di doglia pieno il cor ne geme.
Or l'alma si rallegra, or fida, or teme,
  Or vostri lumi siegue, or siegue il volgo,
  Or da le basse cure alto mi tolgo,
  Or il mondo mi tiene avvinto e preme.
Fra così varie, dure, aspre vicende,
  Che de la vita mia gioco si fanno,
  Se il vostro santo nome mi difende,
Scevro di ogni periglio, e d'ogni danno,
  Il cor, che sol da Voi si regge, e pende,
  E tutte le sue cure pace avranno.

6. NOVEMBRIS.

1725.

Cernere Sanctorum super agmina celsa sedentem,
  Vultuque ornantem regna beata suo;
Natique aeterno radiantem lumine matrem,
  Ardentis famuli gaudia quanta forent!

1714.

Aeternos quoties mens sedula cogitat annos,
  Et quae supremo tempora fine carent.
Concutitur pavidis animus mihi sensibus, atque
  Haeret, quam sortem vita futura ferat.
Hinc ad Te tantis terroribus excita currit,
  Atque tuum implorat, Virgo, patrocinium.

1715.

Consuetos revocat cum Bibliotheca labores,
  Ad tua, sancta Parens, numina confugimus.
Tu firma ingenium, Tu robora mentis adauge,
  Tu in tenui vires corpore restituas.

1719.

Quod studiis, curisque gravis, morbisque laborat,
  Imperii Clemens Pastor apostolici;
Garrula gens quamvis dictis concussa pavescat,
  Pastoris metuens fata dolenda sui.
Nos Mariae precibus nec vana pericula terrent,
  Verba nec ignarae plebis inepta movent;
Saepius incolumem qui damna per ipsa salutem
  Principis e Mariae vidimus auxilio.

1727.

Hermannus, alto quem genus de stemmate,
  Domusque clarabant opes;
Contracta sed cui membra nomen fecerant,
  Tot indecorum dotibus;
Divam colebat tanto amore Virginem,
  Arderet ut nihil magis.
Vicem rependat ut Parens clementiae
  Dulcis colenti filio
Qua luce fulget in supernis sedibus,
  Sese videndam praebuit.
Tum quidquid optet, mente certa postulet,
  Negabitur votis nihil.

Digitized by Google

Informe tortis sive corpus artubus
  Specie vigere ac robore ;
Quaecumque sive dona de caelestibus
  Manare quaerat fontibus.
At ille nulla pendit, aevo quae brevi
  Corrupta marcescunt bona,
Mentis tenebras claritate luminis,
  Supplex rogat detergier.
Incessus, actus, forma sit turpis licet,
  Mens recta verum cogitet,
Afflata virginalis aulae spiritu,
  Errore falli nesciat.
Longus legenti quod paravisset labor,
  Materna donet gratis.
Arrisit implorantis illa vocibus,
  Votisque clemens annuit ;
Ut clarus esset ac peritus omnibus
  Nulli secundus artibus.

7. NOVEMBRIS.

1717.

Officio nullas ferimus sine supplice laudes,
  Offerimus nullas et sine laude preces.
Tu, Mater, tenues orantis suscipe laudes,
  Atque humiles audi commiserata preces.

1718.

Dum positis studiis sacrata silentia servant,
  Et sacra dum pueri dogmata mente colunt ;
Tu teneros animos studiis melioribus urge,
  Aethereasque sinu subiice, Virgo, faces.

1720.

Toedia nunc subeunt, nunc desideria mentem,
  Nunc huc, nunc illuc fervida vota trahunt.
Fac, Mater, certo constent vestigia gressu,
  Nec terat incertas mens malesana vias.

1723.

Aura brumales reveheit rigores,
Et notus tristes hyemes reportat;
Per vices udus strepit, et refundit
Africus imbres.
Nunc iuvat seras tacitos ad horas
Laudibus iustis numerisque Matris
Dulce gratumque studiis ad astra
Tollere nomen.
Dum vacant hisce officiis Camaenae,
Horreant hostes, pudeatque suetas
Admovere artes; nec amica turbant
Otia Musis.
Nulla terrarum species recurset,
Cum nec mordax agitet; sed omnis
Ad polum sensus properet, Deoque
Haereat uni.
Mater his gaudet numeris, ab ore
Quos amor promit sine labe purus
Atque terrenis studiis soluto
Pectore fundit.

1728.

Εκ σεθεν ἀρχόμενοι, Παμπαρθένε Μᾶτερ, ἀείδειν,
Οππόθεν ᾠδαων ἦλυθε πᾶσα χάρις,
Αλγεα τοῦ βιότου φύγομεν, καὶ σαρκος ὀδύνας
Κ'ἐκ θυμοῦ στυγερὰς φροντίδας ἐκβαλόμεν.
Πάντα γὰρ ἱμερό τα πνέει ἔρον, ἠδὲ γλυκίστην
Τὴν ἀγάπην Μαρίας ἔργατε καὶ ὄνομα.

8. NOVEMBRIS.

1714.

Sospes init laetam reparatis viribus Urbem,
Pastor Apostolicas lectus obire vices;
Incolumem longos Tu serves, Mater, in annos,
Ut tanto crescat sub duce relligio.

1716.

Virgo, Quirinales firmatis viribus, atque
Laeto das animo claudere posse moras.
Carmina collato pro munere reddimus, ipsa
Officium grati pectoris excipias.

1719.

Si pietatis amor nobis, pia Virgo, tepescat,
Octidua nullus de prece fructus erit.
Irrita frigenti de pectore verba movebunt,
Et frustra quamvis ore tonante cadent.
At si nos, Mater, caelesti incenderis igne
Malleus ut pueris saxea corda terent.
Atque illa imposito, veluti confixa sagittis,
Aeterni sitient vulnere fontis aquas.

9. NOVEMBRIS.

1711.

Auspiciis si Virgo, tuis mihi volvitur aetas,
Auxiliisque tuis conditur acta dies,
Incutiant nullos obiecta pericla pavores,
Et fugient tristes ad tua iussa metus.

1716.

Ecce iterum veteres, bona Mater, sistis ad aedes,
Et Vaticano in cardine constituis.
Quo me librorum revocat custodia, sacris
Munus et officiis advigilare iubet.
Pontificis retinet ubi reddita iussa volentem,
Tranquillae et placida pace quietis amor.
Hic ubi despicimus, quatitur seu fluctibus aula,
Seu tumida e parto gaudet honore potens.
Nil deerit nostris, Virgo dulcissima, votis,
Si sueto foveas ipsa patrocinio.

1718.

Mater de caelis famulo succurre roganti,
Virgineamque expectat qui Tibi fisus opem,
Devius in laqueos ne ignarum pertrahat error,
Non species recti subdola decipiat.

1730.

Φροντίδες ἀργαλεῶν ἀλίων δέ τε κακὰ μεριμνῶν,
Τῶν ανέμων πεταται πολλὸν ἐλαφρότερον·
Αλλὰ τά τ' εσσομένης ἄτη καὶ ἄλγεα δίκης
Οὐ ποτε τὴν ἄνεσιν, ἠὲ τὸ πεῖρας ἔχει·
Ταῦτά μοι, ὦ Μῆτερ, διὰ ῥήματα πάντα μελήσοι,
Κεῖνα δὲ κυδοίμην ὡς ὄναρ ἠδε πλάνην.

10. NOVEMBRIS.

1711.

Heu! quantis rabidi circumstat fraudibus hostes,
Vulnera qui miseris perniciemque parant.
At Tu, quae vultu nimbos, Regina, serenas,
Praesens auspiciis agmina nigra fugas.

1714.

Quod tibi tam tenues cantus humilesque ciemus,
Carmine quod reddat deproperata chelys;
Non est, vis animo, Mater, quod languet amoris,
Sed quod inops nobis frigeat ingenium.

1716.

In tua cum caeli cives praeconia certent
Atque tuum certent, Mater in obsequium;
Haud fas humanos terris torpescere sensus,
Commeritum dignae laudis ad officium.

1719.

Quae vox, Virgo Parens, pueriles insonat aures,
Hanc Te animis pueri, Virgo, docente bibant.
Tu dicta et sensus nimis inscribe medullis,
Illorum et tenero vox tua corde sonet.

11. NOVEMBRIS.

1712.

O Maria, che pura e bella
Sei nel ciel più de l' aurora,
Più splendente d' ogni stella,
Il mio core umil t' adora.
O Maria del sol più chiara,
Ch' a me porti un più bel giorno
A la vostra amata e cara
Lieta luce umil ritorno.
O Maria, che d' ogni giglio
Sei più candida e più pura,
Deh fa scorta in questo esiglio
Al mio cor per via sicura.
O Maria stella del mare,
O del ciel foriera e porta,
Del mio cor le doglie amare
Tu serena, e Tu conforta.
O Maria qual mirra eletta
Più del cedro alta e sublime,
Fa che l' alma incolta e abietta
Tanto amor pulisca e lime.
O Maria sovressaltata
Qual Cipresso di Sionne
Dal gran Messo salutata
Benedetta fra le donne.
O Maria leggiadra e vaga
Qual ne' campi altera oliva
Del tuo amore il cor m' impiaga,
Onde solo per Te viva.

O Maria vermiglia rosa
Trionfale eletta palma,
Il mio core in Te riposa,
In Te sola ha pace l' alma.

1721.

Cui venti atque imbres, Mater, cui tempora parent;
Et cuius caelum nutibus obsequitur;
Da faciles aditus, discrimina cuncta facesse,
Sentiat a Matris numine cursus opem.
Auspiciisque tuis fretum, Pia Virgo, nepotem
Romani sistas finibus incolumem.

1729.

Οὐδὲν ἐμὸν τόσον ἤτορ ἐπιφλέγει, οὐ τόσον ἕλκει,
Μὴ τόσσης θυμὸν πλήρος γηθοσύνης,
Ὡς Μαρίης γλυκερὸν τόπερ ὄυνομα κ' εἶδος ὀπωπῆς,
Τῆς Μάκαρες πόθεον κάλλος αγασσαμενοι·
Ταύτην μὲν πρώτης ἀπὸ τῆς νεότητος ἐφίλουν,
Ηδέ με κοῦρον ἔτι κροσφιλὲς αμφαγαπᾶ.
Αφραδίης, θαλίης, αλιωνδέ τε τῶν μελεδώνων,
Τὴν τοτ' ἐμὴν κραδίην, καὶ τὸν ἔρυξε νοόν.
Αἰὲν ἔπειτα ἐμοι προφρασσ' ἐπάρηγεν, ἐν ἄταις,
Ενδέ τε κινδύνοις σύμμαχος, ἔντε πονοις·
Παρθενικοῦ δέ ἐμοι οὐ δ' εκπεσε μνῆστις ἔρωτος,
Ὄυποτε μητρώης λήσομ' εὐεργεσίης;
Αλλὰ τίς ἀντίχαρις; τί δὲ δώσει δοῦλος ἀχρήμων,
Παντοίων αγαθῶν δευόμενος ξενιων;
Τὴν ψυχὴν κραδίης τ' ἀγάπην, καὶ πάντα φέροιτο
Μητέροι τὴν ψυχὴν, πάντα τ' οφειλόμενος.

12. NOVEMBRIS.

1711.

Per laudes mens ire tuas ita carmine gestit,
Dulcius ut cunctis sit mihi laudis opus.

Cumque sacro Mariae resonant mihi carmina chordae,
Languescunt nullis pectora pulsa malis.

1718.

Si nostris esset meritis spes nixa, iaceret,
Humana et rueret, si frueretur, ope;
At cum terrores inter, Te praeside, fidat,
Nullo curarum turbine concutitur.

1719.

Quam cuperem, pia Virgo, sacrata silentia tecum
Excolere, et Christi voce sonante frui.
Quae leni accipitur tranquilla in mente susurro,
Et procul a curis pectora munda docet.
Abdita tunc verique, bonique arcana paterent,
Quae vix doctorum pervia sunt studiis;
Sed quae simplicibus facilis Sapientia pandit,
Quos et coelestis nectare fontis alit.

1720.

Quos coelum propius Sanctos aluere columnae,
Membra quibus Christi saxea fecit amor;
Assiduis, Mater, studiis dum pandimus, addas
Eloquio vires, ingenioque pares.

1726.

Semina, quae parvo coluisti, Mater, in agro,
Iugiter et rivis das adolere novis;
Perge favere tuis miserans aspectibus, ut, Te
Auspice, doctrinis par domus excipiat.
Ut procul a turbis optauda silentia servent
Nec visus studiis verba nec officiant.
Et praesses, quas dignatur Benedictus, ad aedes
Grex Petri exiguus, Te duce, perveniat.

13. NOVEMBRIS.

1711.

Huc ades o superi pulcherrima Sponsa Tonantis,
O mihi per cunctos concelebranda dies;
Una potes miserae dispellere toedia vitae,
Et mala solari pectoris una potes.

1714.

Stanislae Tibi Clemens decernit honores,
Quos Sanctis Christi subdita terra refert.
Sed Te materno Mariae candore nitentem
Maior in aeterna sede coronat honor.

1715.

Pro Christo, et Maria dulci succensus ab igne
Stanislae Deo victima digna cadis.
Da paribus flammis coelestem quaerere Patrem,
Et studio Matrem da coluisse pari.

1718.

Nostris successus votis da, Virgo, secundos,
Atque tua nostrum luce regatur iter.
Nam quae virgineum relegunt vestigia ductum,
Errores nullos, nullaque damna timent.

1719.

Matre rogante Puer, qui lilia pascitur inter,
Gestit in amplexus, Kostka, venire tuos.
Ille etiam invitat, quo deficis, ardor, et ipsa
Hospite digna Deo candida virginitas.

1720.

Lumina dum languens divina in Virgine figis,
  Duroque exolvi carcere, Kostka, rogas;
Non Illa in longum tua differt vota, sed offert,
  Aeternae in puero pignora laetitiae.

1722.

Sancte puer, rapidus fovit quem Virginis ardor,
  Cui dulcis Mater candida Virgo fuit.
Cui Iesum in teneras stringendum tradidit ulnas,
  Quemque domo et saeclo iussit abire protul:
Numinis aeterni cui sanctum afflavit amorem,
  Et bona cui mundi temnere cuncta dedit.
Quem flammis absumtum ad regna superna vocavit
  Ipsa triumphali qua subit astra die:
Praeconem, laudum ne dispice, Kosta, tuarum
  Ut Tibi amore pari gestiat ire comes.

1727.

Fortis paternos iam lares
  Fallacis et mundi dolos
  Totus supernis ignibus
  Albertus ardens fugerat.
Ad dura Christo praelia
  Ultro instruendum militem
  Tot iam triumphis inclyta
  Gusmana castra exceperant.
Cum bella prorsus horrida
  Novis cientur hostibus
  Queis terga ne victus daret,
  Tutela Matris praestitit.
Intentus artes Palladis,
  Et sacra dum mysteria
  Haurire doctis paginis
  Signata Patrum nititur.
Invita cursus abnuit
  Mens, et laborem defugit;

Ac ceu tenebris obsita,
Torpet stupetque nil videns.
Angit tyronem tarditas,
Illusor instat aemulus,
Magister inclamat, pudor
Dolorque pectus lancinant.
Praeceps fugam dum cogitat,
Septisque sese proripit,
Ad ipsa divam lumina
Adstare cernit Virginem.
Furor quis, inquit, optimis
Alberte, caeptis retrahit?
At ille maerens lacrymis
Causas obortis replicat.
Maternus ad voces amor
Miris flagravit ignibus;
Audere iussit, et novo
Afflavit illum lumine
Exinde virtus ingeni
Discendi et ardor emicat;
Cunctisque demirantibus
Fluenta manant eloqui
Doctrina libris indita
Lumen refundit posteris;
Illi et Magistram comprobat
Fuisse Matrem gratiae.

1728.

Virgineo Stanislaus sic ardet ab igne,
Nesciat ut tacito in pectore flamma modum.
Emicat in vultum, lacrymis erumpit, et imo
Exprimit e pueri verba precesque sinu.
Dulcis amor, terris errepta dolentibus, eheu!
Quae mihi cor fodiant spicula fixa vides.
Ut Libithina furens alios terretque premitque,
Te suspiranti sic mihi vita gravis.
Ipsa utinam, assiduis crescunt quae incendia votis,
Languenti abrumpant toedia longa morae.

Exilii quis finis erit? Jam, Virgo, propinquat,
  Quae Te olim patriae reddidit, alma dies.
Materni hac liceat pompam spectare triumphi;
  Aeternae haec mihi sint ordia laetitiae.
Sic ait; et partes animum versabat in omnes,
  Quis ferat optanti conciliator opem.
Lux erat, invicti quam gloria Martyris ornat
  Laurenti, et Matris gaudia festa praeit.
Hunc rogat, inscriptum Matri Dominaeque libellum,
  Collatis supplex adiuvet officiis.
Vim rapidosque aestus Martyr bene doctus amoris,
  Quod puer ardebat, protinus obtinuit.
Nec mora, febriles lentus calor indicat ignes,
  Mox furit, et vires ignibus addit amor.
Decumbit. Matrem suspiria, lumina, voces,
  Oraque vicina morte serena petunt.
Expectata dies ut primum illuxit ab ortu,
  Sacra triumphantis Virginis obsequio;
Angelicos mundo inviso conclusit ocellos,
  Felici et Matrem sorte secutus abit.
Sic mixtus Superûm cecinit poeana choreis,
  Aeternumque beat, qui prius ussit amor.

1728.

Δεῦτε αφ' ὑψίστων Μοῦσ' οὐλύμποιο καρήνων
  Αἱ τὸν Ἄνακτα μεγαν Χριστον ἀειδόμενος;
Ἔισδ' εμου' οὐρανόθεν φρένας ἔλθετε, καὶ μοι Ἀνάσσαν,
  Ἐλπῖδα τῶν μερόπων εἴπατε τὴν Μαρίην.
Ης κλέος, ἠδ' ἀρετας ἔπεσιν λελιήμενος αὐδαν,
  Τοῦ μέλιτος γλυκιον ἡδυ τὸ χάρμα πίουν·
Ως φάος ὡς καὶ καλλος ἐῆς εμῳ ἥνδανε θυμῳ,
  Καὶ φιλέοντι τόσην μοι πόρε τοῦτο χαραν.

14. NOVEMBRIS.

1711.

Ad patrios cum cogit hiems remeare penates,
  Rustica Gandulphi linquere tecta iubet.

Otia iam tandem, colles et rura valete,
  Librorum resides pristina cura vocat.
Florenti fractae revirescunt sanguine vires,
  Tristis et a firmo corpore morbus abest.
Quique diu trepido iactavit corde paventem,
  Coecus abit, diva Matre iubente, metus.
Nunc iuvat amissos animo flagrante labores,
  Primaevas studii nunc reparare vices.
Reddantur Mariae properato carmine grates,
  Illa fuit tutrix, illa medela fuit.
Illa dedit toto dispulsis aethere nimbis,
  Ut vultu fluerent candidiore dies.
Illa impendentes avertit saepe procellas,
  Reddidit et pulsis gaudia turbinibus.
Saepe et per noctes fureret cum turbidus auster,
  Purius aurorae fulsit ab axe dies.
Nam quae virgineo dispensat tempora nutu,
  Audivit nostras saepe vocata preces.
Ergo ades aeternum coeli lumenque decusque,
  Perque tuas reduces dirige laeta vias.
Auspice Te, cursus risere exordia nostri,
  Teque etiam felix auspice finis erit.

1714.

Nititur infirmis animus ad sidera pennis,
  Sed premit heu! miserum crimine mentis onus.
Tu terrenorum mihi detrahe pondera morum,
  Et quae cor retinent vincula, solve, Parens.

1719.

Cum pueri sacris epulis mensaeque propinquant,
  Et fletu et lacrymis qui maduere genas;
Virgineos Tu, Mater, odores cordibus affles,
  Ornent ut Christo dignius hospitium.

15. NOVEMBRIS.

1711.

Quae Tibi contulerit caelestia munera, quantis
In supero donis auxerit orbe Pater;
Quantaque virgineum perfundant gaudia pectus,
Quanta sinus teneat gratia, quantus amor;
O Regina mihi nec tollere laude volenti,
Dicere nec verbis carminibusque datur.

1715.

Ad Vaticanas deduc feliciter oras,
Atque tuis illuc prosequere officiis,
Virgo, Quirinales dum Te auspice linquimus aedes,
Inque novum, duce Te, tendimus hospitium.

1716.

Ut sacra Pontificis Summi mandata facessam,
Virgo, novis firma viribus ingenium.
Tu eloquio formas, Tu dignos suggere sensus,
Scribentis famuli Tu rege, Virgo, manum.

1717.

Claudimus octonis tacitis celebrata diebus
Officia, alma quibus Virgo magistra fuit.
Queis oculi lacrymis nunquam caruere madentes,
Toedia nec fuerunt Patris ad eloquium.
Virgo etiam memori det dogmata pectore servent,
Queis dociles sensus ad pia dicta dedit.

1721.

Sospes adest, meritas par est Tibi reddere grates,
Materno appulsus numine, Virgo, nepos.
Huic partam, Mater bona, perge fovere salutem,
Sacris ut studiis impiger usque vacet.

16. NOVEMBRIS.

1711.

Quae formae species caecos heu ! ducit amantes?
  Et saevi nectit vincula servitii ?
Quin potius Mariae subdant sua corda catenis ,
  Reddita servitio libera virgineo ?

1715.

Quam vaticano , pia Virgo , in colle parasti ,
  Iam famulo tandem das coluisse domum.
Tu adspira auspiciis , Mater , Tu caepta secundes ,
  Tu bona cuncta pares , Tu mala pelle procul.

1716.

Quam mihi dulce tuum resonat per carmina nomen !
  Sive tua quisquis sit mihi laude labor ?
Tu modo de caelis ne desere , Virgo, canentem,
  Ut tua cum dulci munera laude sonent.

1718.

Aspice de superis , hilaras quae , Mater, olympum,
  Atque beent nostros lumina laeta sinus.
Virgineo excipiat sua gaudia pectus ab ore ;
  Inde hilares sensus laetitiamque bibat.

17. NOVEMBRIS.

1711.

Sera licet Mariae decedant tempora laudi ,
  Atque dies solitis invidus officiis ;
Non animus , non lingua tamen , non musa negabit
  Debita iam cultu carmina virgineo.

1716.

Quae pia sepositae meditamur munera vitae,
Quae pueros sancti rore timoris alant;
Praesens auspiciis de coelo, Virgo, secundes,
Daemonis atque astus insidiasque domes.

1719.

Lassarunt vigiles iterum vix robora noctes,
Et vix ad Matris fugimus auxilium;
Cum subito noctes somni adduxere quietas;
Natura imperio sic Mariae obsequitur.

1721.

Dum pro Martyribus studia intermissa reposcit,
Otiaque et morbos mens reparare cupit;
Tu desideria et curas, Pia Virgo, secundes,
Sint vires animo, sint studiisque pares.
Adspires nam virgineo si numine caeptis,
Non poterit nobis irritus esse labor.
Sed dignas referet Sanctorum nomine laudes,
Et fructus Christo, quos amat ipse, dabit.

1730.

Μῆτερ τοῖς ἱεροῖς ἀσκήσεσιν εὖ σιγῶντας
Ἠϊθέους, μελάθρῳ εἰνὶ φύλασσε Πέτρου.
Τῶν δ' απ' ἀτασθαλίης ἔλασον μακρὸν ἔργα κ' ἑέλδωρ
Θυμῷ δ' εὐσεβίης ἔμβαλε τὴν εφεσιν.
Φριξειαν τ' ἀσεβεις χ' ὕψιστου μῆνιν Ἄνακτος,
Διψῶσιν θείης ὕδατα τῆς χαρίτος.
Ἀγνοσυνης ἀγαπης τε σαοφροσυνης τε ποθητὸν
Ἐν ἀπαλοις παίδων, Μῆτερ, ἄναπτε νοοῖς;
Τῆς κακίης ἔνεδραι καὶ μήδεα παυθ' ἕκας ἔστω,
Τηλεθάοι Χριστοῦ παμποτε μοῦνος ἔρως.

18. NOVEMBRIS.

Dedicatio Basilicae Vaticanae.

1715.

O nova sponsa Sion et caelis aemula sedes,
  Principis augusto nomine culta Petri;
Quam petit extremis properans peregrinus ab oris,
  Postibus ut fusis oscula det lacrymis;
Numine praesenti domibus praelata superbis,
  Sanctorumque sacris dives ab exuviis.
Me quoniam Mariae precibus clementia Christi
  In Te divinis obtulit officiis;
Sic Tibi devota famulus de mente ministret,
  Ut superis suescat concinuisse choris.

1719.

Et Petri et Pauli tellus ubi corpora condit,
  Quas gemmis praefert subditus orbis opes;
Auspiciis lustrata sacris educta sub astris
  Digna aedes veterum relligione Patrum.
Quam iugi nitens certamine molis et artis
  Auxit et excoluit sedula posteritas.
Excipit hic facilis lacrymas et vota precantum,
  Cum Petro et Paulo, Matre rogante, Deus.
Hinc veluti ad portum huc properant, et limina tangûnt,
  Atque solum ex oculis imbre cadente rigant,
Qui vitiis operum, vitae qui fluctibus acti
  Ingestis repetunt pharmaca prompta malis.
Sic fidei clarans pugiles fideique magistros
  Placatur meritis Christus apostolicis.

1728.

Δαιδάλεον Πέτρου καὶ ἱερὸν ὑψιμελαθρον,
  Τοῖς μακάρων μεγάροις ἔικελον οὐρανίοις,
Βῶμος τῆς μεγάλης βασιλίσσης πολλὰ γεραίρει,
  Οὗ τείνῃ εὐχωλας ἐκδέχετ' ευχομένων.

Digitized by Google

Γρηγόριον τὸν ὑπαὶ μεγαν Αρχιερῆα καλύπτων,
'Ερκος αληθείας Καππαδοκῶν τε φάος.
Αλλατε τῳ χρυσῳ τιμηέντι κεκασμένα κεῖται
Ιδρυματ' ἠγατέης Μητρὸς ἔχοντα κλέος·
Ἦ που οἱ ψάλται ᾀδουσιν Ανακτα μεγιστον
Ἢ ὅθι Μητρὸς ὁρᾶς εἶδος ὑπὲρ κίονος.
Βήματα τῆς αὐτῆς, καὶ πλείον' αγαλματ' ενερτεν
'Εστην τοῦ τεμενος πάμποτε κοσμοστολου;
Στεμματα ταῦτα πρέπεν νηὸν πολυφέρτατον, αὖτε
Τοῦτο πρέπεν μνημὰς Παρθενίδος τέμενος.

19. NOVEMBRIS.

1712.

O Maria, che pietosa ascolti e miri
I cocenti desiri, onde T' invoco,
E di Te in ogni loco e parlo e scrivo;
D' ogni soccorso privo a Te mi volgo.
Se da terra mi tolgo, e 'l al Ciel men volo
Col cor spedito e solo, allora io sento
Quanto dolce contento in Te si trovi.
Pensier celesti e novi a 'l alma infondi,
Acciò cantando abbondi in sante lodi,
In dolci e sacri modi, e nulla estimi
Onor fallaci ed imi, onde sovente
La nostra cieca mente il monde adombra.
Dilegua Tu quell' ombra atra e profonda,
Che tutto mi circonda d' ogni intorno.
O Maria fammi giorno, e co' tuoi rai;
Fa che non erri mai dal buon cammino.
Fa che siegua vicino le sante orme,
Di chi ci die le norme, e di virtute
A 'l eterna salute il calle aperse.

1718.

Ad patrios properat Te fretus praeside muros,
E morbo incolumis, Te miserante, nepos.
Tu Mater faciles aditus solesque serenos
Largire, et longae pelle pericla vitae.

1719.

Seposita Oceani parent cui littora, cuius
Totus late orbis subditur imperio;
Sinarum turbas, perimunt quae semina verbi,
Comprime, Pontificis commiserata preces.

20. NOVEMBBIS.

1712.

Dolce speranza, dolce pace io provo,
Quando a lodarvi movo
La lingua umile e'l canto;
E questa opera sol mi terse il pianto,
Sì gran contento e tal piacere vi trovo.
Tutt' altro sembra amaro,
Quantunque al mondo desiato e caro.
Voi Maria, siete sola
La gioja, ch' il mio cor dolce consola.

1718.

Nimbos avertis, vernosque ad commoda soles
Largiris, recreans, Mater, euntis iter.
Finibus incolumem patrijs appelle, salutem
Restitue, assidua, regia Mater, ope.

1819.

Consiliis verbisque piis primaeva iuventus
Quae paret nostris, obsequiturque volans;
Da, Virgo, incertis ut nunquem gressibus erret,
Sed terat augustam, Te miserante, viam.

1720.

Dum tacito langues, caelesti et corporis igne,
Solatur flammas, Kostka beate, tuas
Illa eadem, sanctum cordi quae infudit amorem
Et reserat vitae, quae Tibi Virgo fores.

1729.

Rheumatis insultus et morbi toedia pelle,
  Laetitiamque animo et robora restitue.
Ut Tibi sacra dies, templi qua septa requiris,
  Haud nostri careat pectoris obsequiis.
Hoc dolet in morbis, haec cura exercet et angit,
  Sanctis si officiis posse vagare negent.
Haec ubi perficiam materno intentus honori,
  Et vitae et studiis prospera cuncta fluunt.

21. NOVEMBRIS.

1711.

Praesentatio B. M. V.

Parva lares curasque domus, Regina, paternae
  Deseris, et templi limina sacra petis.
Una tuo residet fervetque in pectore cura,
  Ut regi placeas sedula servitio.
Palma velut sancto fructus uberrima cultu,
  Divini curas non nisi Patris alis.
O doceas animo miseras me linquere terras,
  Sanctaque flagranti vota fovere sinu,

1712.

Plena Deo, et locuples ceu navis merce, repostos
  Tranquillo in portu pergis adire sinus.
Blandimenta fugis, patrias ac deseris aedes,
  Maternae retinet cura nec ulla domus.
Concita dum gressu Solymes sacra templa requiras,
  Sepositoque sacris limine sola vaces.
Caelestes ubi mente flagrans, Virgo, incolis oras,
  Sedula promissi facta ministra Dei.
Cuius in adventum, turba mirante polorum,
  Et thalamum felix hospitiumque paras
Tu mihi fac similes flammescant pectore sensus,
  Dum Vaticano in colle benigna vocas.

Digitized by Google

Dumque Quirinales, Te praeside, linquimus aedes,
Atque novo sedes munere fixa datur.
Fac ibi divinis mens aestuet excita curis,
Nesciat et mundus quidquid avarus amat.

1713.

Parvula dicta Dei, Matrem Sposamque futuram
Ad sacra Te Patris ducit adultus amor.
Ne tua foedarent mortales lumina visus,
Neve tua streperet vanus in aure sonus.
Nam quae virgineas lactarent gaudia curas?
Quidve tuo dignum pectore mundus habet?
Ergo plena Deo nil praeter sacra retractas,
Divina et praeter cernere nil pateris.
At me facta premunt animo terrena subactum,
Et saecli curis mens onerata gemit.
Quod si post sanctos traheres me, Mater, odores
Impositos fasces protinus abiicerem.

1714.

Templa petis, sacra ut solum divinaque tractes;
Mundique aspectum, diva Puella, fugis.
Atque tuis equidem meritis haud dignior alter
Esse locus poterat, nec magis apta domus.
Fac Te, Virgo, sequar; per Te mihi par quoque detur
In Vaticana iam regione domus.

1715.

Platanus ut laeta irriguas adolescit ad undas,
Cedrus ut in Libani vertice fronde viret;
Ut procera Sion sancto de monte Cupressus
Eminet, ut campis edita palma Cades;
Sic Tu vel teneris fructoque et fronde sub annis,
Numinis exornas, Diva Puella, Domum.
Quis mihi det tecum tacitos habitare recessus?
Et me de saecli proripuisse malis?

1716.

Delicias saecli et patrias quae deseris aedes,
Ut Dominum toto pectore, Virgo, colas;
Aspice bis senos aris studiisque dicatos,
Nec pietate tua destituas pueros.
Perque dies istos sacrata silentia servent,
Te ut paribus valeant gressibus usque sequi.

1718.

Non aetas retrahit, sedis nec oblita paternae
Iniiciunt lentas pro pietate moras.
Sed rapido ad templi properas penetralia cursu,
Quo Te sanctus amor relligioque vocat.
Sic etiam nostros in terris dirige cursus,
Ut post Te rectum, Virgo, sequamur iter.

1719.

Pandite iam postes felicia templa Sionis,
Ad sacras aedes lecta Puella venit.
Qua propior non ulla Deo, nec gratior ulla est,
Aut meritis vestro dignior hospitio.
Advolat illa, moras saecli mundique perosa,
Divinae eximio tracta decore domus.
Tranquillos ubi laeta dies primo exigat aevo,
Sanctificetque sacro munere primitias.

1720.

Hic ubi divinas celebramus carmine laudes,
Pangimus et nomen virgineumque decus;
Splendet apostolico non impar nomine sedes,
Plurima divinae quae sacra Matris habet.
Marmoribus lectis sacra sub imagine templum
Illic Sionis parvula Virgo subis.
Atque doces tacitis pueros hic sensibus, aedis
Ut sacrae puro limina corde terant.
Fac sacris simili officiis hi corde ministrent
Ardore et subeant templa sacrata pari.

Digitized by Google

1724.

Qual di fiume real lungo la riva,
Pianta gentil con sempre verdi fronde,
Stende suoi rami e radici profonde,
Per dar suoi frutti, quando il tempo arriva;
La reggia pargoletta, in cui si avviva
L'umana speme, nel tempio nasconde
Le grazie e le virtù più pure e monde,
D'ogni cura mortal libera e schiva.
Non perchè l'aura del mondo l'offenda
Ella nel sacro asilo si rinserra,
Ma acciò più grata al suo Signor si renda.
Chi siege Lei, nel suo cammin non erra,
Poichè a cercare con l'esempio insegna
Sol le cose del Ciel, non de la terra.

22. NOVEMBRIS.

1711.

Coecilia Christum decantante, aemula plectris
Assurge, o Mariae dedita musa modis.
Et Dominam parili, si fas mihi pangere, versu,
Laudemus, studium Virgo Canentis amat.

1712.

Caeciliae sacris quae lux mihi fausta renidet,
In vaticanis aedibus ipsa locat.
En iam post longos, ceu longa per aequora cursus
Nos dives libris Bibliotheca tenet.
O utinam domus haec parili sit sorte beata,
Quam domus illa fuit reddita Caeciliae.
Martyris haec votis sacros concessit in usus,
Digna aedes superis, aulaque facta Dei.
Haec quoque, Sancta Parens, tribuis quam fausta colendam
Sit mihi sanctarum iugiter aula precum.
Vestibulum caeli, pietatis regia, gressu
Quam nunquam renuas visere, digna tuo.

Digitized by Google

Sit procul hinc hostis, procul hinc et culpa facessat;
Per Mariam has aedes gratia sancta colat.

1716.

Ut meritis fidei, virtutumque agmine toto
Sancta fuere piae limina Caeciliae;
Sic, Mater, Petri pueros quae nutrit alumnos,
Sit quoque virgineo munere sancta domus.

1718.

Tempora quae reduci faveant tranquilla nepoti,
Hoc de materno numine, Virgo, venit.
Ergo etiam incolumi patrium da tangere limen,
Sint ut praesidii munera plena tui.

23. NOVEMBRIS.

1711.

Haec lux quae sacris olim, Te matre iubente
Addixit Summi candida Pontificis.
Tu quoque Tu rerum nobis sic dirige cursus,
Vita sit ut sancto sedula servitio.

1713.

Qui caeco invenis tabescit febris ab igne,
Caelesti expectat munere, Mater, opem.
Tende manum, et famulum miserata, accurre iacenti,
Nostra tuo est semper numine tuta domus.

1714.

Tu das post fultas reparato in corpore vires,
Fausta quirinales claudere, Virgo, moras.
At pro muneribus tantis ut debita reddat
Officia et grates, non valet eloquium.
Adde tamen, bona Mater, opem, quocumque vocamur,
Inque novam famulum Tu comitare domum.

1716.

Haec recolenda dies, Clementis sacra triumphis
Aulae Clementis me dedit officiis.
Fac, Mater, nostrae sit nunquam infesta saluti
Sed veram meritis augeat illa fidem.

1717.

Clementis me sacra dies admovit ad aras
Queis Summo placeant Praesule thura Deum.
Ad quos virgineo provectum numine portus,
Nullo iactari turbine, Virgo, sinis.

24. NOVEMBRIS.

1711.

Heu! languet fractis animus quod viribus, atque
Virtutis penitus robora victa iacent;
Culpa facit vitae; sed Tu succurre roganti,
Virgo, tuo firmus nec cadat auxilio.

1712.

Ad studia ac libros, et sacros, Virgo, labores,
Ad quos delati muneris aula vocat,
Adde animos, firma ingenium, pia suffice vires,
Namque infrugiferum Te sine munus erit.

1714.

Mater ades. Vaticano iam colle tenemus,
Quam dat Custodi Bibliotheca domum.
Sit per Te felix animo vitaeque salubris,
Virtutum studiis sitque palaestra piis.
Discute morborum tristes caelique pavores,
Ac dispelle graves Daemonis iusidias.
Has habeat sede pietas, pax vera salusque
Incolat has Christi ac Virginis almus amor.

Digitized by Google

1716.

Dum Christi verbis puerorum corda calescunt,
Atque salutari pulsa timore gemunt;
Aspira incaeptis, Mater, penitusque medullas
Incende, ac teneros Numinis igne sinus.

25. NOVEMBRIS.

1711.

Te, Catharina, suo despondet pronuba Nato,
Lilia quae Mater virginitatis amat.
Ac veteres flammas renovatis ignibus auget,
Quas sponso et Matri, Virgo beata, foves.
Me quoque da gemino pietatis amore flagrantem,
Sectari ad caelum Te, pia Virgo, ducem.

1712.

Pignore virgineo Christo te pronuba iungit,
Virginibus Mater quae intemerata favet.
Hac Sophiae proceres temnis superasque magistra,
Nec diri trepidas vulnera supplicii.
Hac duce, secures et vincla rotasque triumphas,
Devictaque poli culmina morte tenes.

1714.

Dilecta et Mariae et summo Catharina Tonanti,
Auspice quae Maria Sponsa dicata Deo es.
Praeside quae Maria sapientum dicta refellis,
Intentaeque necis nulla pericla times
Fac Mariae, namque ipsa potes iuvisse rogantem,
Auxilio et precibus me quoque posse frui;
Tu quae me quondam vix pubescentibus annis
Fovisti valido prompta patrocinio.

Digitized by Google

1715.

Temne minas, bona Virgo, necem ferrumque rotamque
  Praesens pugnanti nam Tibi Christus adest.
Delicias, formam luxumque et gaudia temne,
  Sancta Parens Christi nam meliora parat.
O Te praesidibus tantis, Catharina, beatum,
  Et Maria et Christus quam voluere suam.

1716.

Virtute et sacris Christi succensa favillis,
  Artes quae mira cum pietate colis;
Unde Tibi Mariae Christique mereris amorem,
  Carnisque illecebras deliciasque domas:
Aspice conantes pueros, queis mollior aetas
  Ad caelos rectum saepe moratur iter.
Exemplo et meritis studiumque accendere mentis,
  Dignare, et flammis urere corda tuis.

1719.

Tu me primaevis puerum, Catharina, sub annis
  Fovisti assiduo fausta patrocinio.
Exarsit per Te studiis mihi flamma colendis,
  Ut Sophiam sponsam auspice Te cuperem.
Cui tu per Mariam vinclo sociata iugali,
  Supplicia atque minas temnis et illecebras.
Hos mihi magnanimos afflet sapientia sensus,
  Desponsetque sibi Virginis auspiciis.

1720.

Et mundi illecebras, infirmi et mollia sexus
  Virili aetatis vincere mente moras;
Et tumidos sensus et inania verba sophorum,
  Pellere et offusas luminibus tenebras;
Iesumque et Mariam sanctis imitarier actis,
  Et Sponso et Matri firma tenere fidem:
Urgeat instantis quantum libet ira tiranni,
  Expediatque furens arma, flagella, rotas;

Et celebres Patrum moriens aequare triumphos,
  Imbellis tenero in corpore Virgo potes.

1721.

Indere quae sensus, Mater, dignata viriles
  Et sophiae atque animi robur et ingenium,
Florenti genere atque annis formaque puellae,
  Quae nulla e rabidis hostibus arma timet;
Et nobis sophiae studium, pietatis amorem
  Auge, et cum docta simplicitate fidem.
Dispicere ut falsos animus condiscat honores,
  Et fugere humana e laude venena procul.

1727.

Et sophiae studiis Catharina et robore mentis
  Inter virgineos eminet una choros.
Non genus, aut aetas, aut rarae gratia formae,
  Currentis retinent ad supera alta pedes.
Non istructa dolis ferroque horrenda cruento
  Impietas terret barbara suppliciis.
Seu dictis fallax, caecisque erroribus urget,
  Seu blanda insidiis plus metuenda petit.
Infractos animos sophiaeque potentis amorem
  Aeterni Mater Numinis indiderat.
Illa profecit studiis votisque magistra,
  Martyrii et palmam conciliante tulit.
Pronuba Virgo fuit, caeli cum nupserat Agno,
  Quem sequitur superis consociata choris.

26. NOVEMBRIS.

1711.

Instant Turnonj sollennia funera, noster
  In quibus obscurus prodeat arte labor.
Ergo ades, o Verbi Mater foecunda, loquenti,
  Inque tuas laudes, Partheni, cedat opus.

Digitized by Google

1720.

Post dira vitae praelia
Regina Sanctos excipis,
Ore et beato recreas
Agone functos horrido.
Luctus, doloris, carceris
Oblita mens in lumine;
Tuae refecta gloriae
Te laudat, ornat, praedicat.
Te praesidem certaminis,
Teque auspicem victoriae,
Te ianitricem gratiae
Iugi salutat carmine.
Accepta regni praemia
Deferre laetatur Tibi,
Fatetur abs Te nam data
Tuoque parta numine.

1728.

Πανταχόθεν κραδίην θυμοφθορα πενθεα τήκει
Καὶ ἀμέτρητον ἄχος καὶ δέος οὐλομενον.
Πολλάκι τοῦ βιότου φάος ᾤχθετο, πολλάκι δ'αὖτε
Λυγρὸς τὸ σκληρὸν δεῖμα φέρει θάνατος·
Ὄικτιρον παίδας τοὺς αλγεα τόσσα παθόντας,
Καὶ εσο τοῖς φοβεροῖς ἄλκαρ ἀλεξίκακον·

1729.

Tu Mariae Catharina comes, nil verba Tyranni,
Carnificisque minas, mortis et arma times.
Vana sophûm constructa dolis sic dicta refellis,
Sit Christi ut testis, qui prius hostis erat.
Dum studia et cultas socias virtutibus artes,
Et decora et palmas Christus utrisque refert.
Doctrinam pietas iam, Te regat auspice, noster
Cum sancta ut veniat relligione labor.

27. NOVEMBRIS.

1711.

Quae dudum tenuit trepidantem oratio mentem,
Per Te plaudentum vota secunda tulit.
O quae clementi referatur gratia Matri,
Cuius ab auspiciis munera tanta fluunt?

1712.

Per recar fine a l'aspra antica guerra
L'Angelo de la pace
Dal Ciel discende a visitar la terra,
E sì del nostro albergo si compiace,
Vergine a Dio diletta,
Che d'esser vostro figlio
Per eterno consiglio
Del sommo Padre gode e si diletta.
Fate nel suo venir, che metta il piede
In questa del mio cor povera sede.

1718.

Virgo, tuas hilarat caeli qui nuncius aures,
Affert humanae pignora laetitiae:
Nosque tua reddit meliori sorte beatos,
Quos olim in praeceps prisca ruina dedit.

1719.

Maxima dona licet Domino ditante teneres,
Virginis ac titulis, Matris et aucta fores:
Te licet imperium caeli terraeque maneret,
Atque esses meritis gratior una Deo;
Non tumidos animos sensusve inflata superbos,
Ancillam Te humilem, Virgo modesta, vocas.
Dona priora novis meritis sic vincis et auges,
Facta Patri maior, quo Tibi visa minor.

Digitized by Google

28. NOVEMBRIS.

1711.

Iam Vaticanas, Regina, accessimus aedes,
  Turnonius coluit quas bonus hospitio.
Illius o liceat vestigia pone legenti,
  Te duce caelestis limina adire domus.

1716.

Laetum quae habuerunt servata silentia finem,
  Queis gemitus dederunt et lacrymas pueri;
Praeside Te, Mater, non illis corde recedant,
  Sed lacrymas sitiant iugiter et gemitus.

1719.

Non titulis opibusque, Parens divina, refulsit,
  Mortales inter cum Tibi vita fuit.
Ultima visa oculis hominum, sed regia caeli
  Explebat meritis lumina laeta tuis.
Pauperie in tanta Christi mirata Parentem,
  Maiorem ac titulis divitiisque fidem.

1721.

Virgineos revocat dum sueta ad carmina cultus,
  Laetari et Mariae in nomine suadet amor;
Ingenium levibus careat quod tardius alis,
  Gaudia corrumpit laetitiamque dolor.

1724.

Dal colle di Quirino alfin ritorna
  Al Vaticano il successor di Piero;
  Onde del chiaro suo splendor primiero
  L' antica region lieta si adorna.
Senta la vostra aita ovunque torna
  Il vostro servo, e sotto il vostro impero

Sol ami il sommo Bene, e cerchi il vero,
E contento sarà dove soggiorna.
Siagli scorta al viaggio il vostro lume,
E 'n tutte le dimore l' accompagni,
Perchè errar non lo faccia il rio costume.
Di ciò, che passa non si allegri o lagni,
Ma de' beni celesti arda e si allume;
E 'l timore e l' amor sian suoi campagni.

29. NOVEMBRIS.

1711.

Iam pia venturae renovantur tempora lucis,
Et sacra de Mariae pagina laude sonat.
Hanc colit, hanc partu reparantem damna parentum,
Et vatum verbis ad pia vota vocat.
Hinc caepere aegris exordia laeta salutis,
Parta etenim summi Numinis illa fuit.
Haec quoque caelestis pateant mihi ianua regni,
Hoc fluat augurio principioque salus.

1712.

Bianca e gentil colomba
Dopo il diluvio, c' ha la terra assorta,
De la bramata pace il ramo apporta;
E l' Angelica voce che rimbomba,
Lieto annunzio apporta,
De la rimessa a l' nomo antica pena.
Dio ti salvi, o Maria, di grazia piena.

1716.

Mitte salutiferum caeli de vertice rorem,
O Pater, errantes qui miseraris oves.
Mitte ducem vitae, Mariae qui proditus alvo,
Contra acies Erebi praelia nostra gerat;
Mitte Agnum terrae dominum, qui gaudia Matris
Expleat, et mundi crimina qui perimat.

Digitized by Google

1719.

Quod denos pietate viros meritisque celebres,
  In numerum Clemens legit apostolicum ;
Ore hominum tota resonat vix plausus in Urbe ,
  Externis data enim munera quisque dolet.
At mihi fallaces, quam sint, ostendis honores,
  Quamque leves vero in lumine Virgo, doces.

1730.

Sollicitos dudum tersit nos cura metusque
  Ne lupus in teneras forte subisset oves :
Scrutatur tacitas mens irrequieta latebras,
  Deprendat, Maria quo praeeunte, dolos.
Sunt comperta tamen vestigia nulla rapinae,
  Ullum nec rabidi cernitur hostis opus.
Venit at excitis nondum pax reddita curis,
  Anxius et animo nec timor omnis abest.
Tu nisi candorem puerorum cordibus affles,
  Quae candore nives purior una praeis.
Ut veteris potius labis nota nulla supersit,
  Ac tua in exemplis spiret imago novis.

30. NOVEMBRIS.

Festum S. Andreae Apostoli.

1711.

Ad Crucis Andreas flammanti pectore lignum
  Advolat, et diri munera martyrii.
Tantus anhelantem Sanctae Crucis ardor adurit,
  Gratia de Christi sanguine tanta Crucis.
Hanc quoque, Sancta Parens, confixa doloribus auges,
  Pendentis Nati facta Crucisque comes.
O quam dulce tuo consuescere corda dolori,
  Et tecum fructus carpere posse Crucis.

1712.

Fate parte al mio cor, Madre sovrana,
Di quell' amor, ch' Andrea nudrì nel petto,
Quando fra turba insana
Spiegò di santo affetto
In queste ardenti note
Di sue voglie divote
Gl' innamorati sensi,
Tutti di amore accensi.
Croce ricca e pregiata
Più de le rare gemme
De l' indiche maremme
Bella, e dal mio Signor Croce onorata,
Il discepolo ancor pietosa prendi,
O santa Croce, ed al Maestro il rendi.

1715.

Crux bona, Crux dulcis, Crux o pretiosa redemptis,
Quae Christi membris condecorata micas:
Andreae comitem Tu me quoque suscipe, corde
In nostro vivas iugiter, et vigeas.
Per Te cum Maria ducam noctesque diesque,
Ac per Te Christum ductus amore sequar.

1716.

Da Mater, certae divina ut signa salutis;
Impiger Andrea cum properante sequar.
Sic pietas crescat, constet sic fructus amoris,
Dilectae possim si comes esse Crucis.

1718.

Supplicium exoptas, mortis discrimina temnis,
Sic Christi, Andrea, Crux tibi dulcis erat.
Fac eadem nostros hilaret dulcissima sensus,
Atque eadem cordi gaudia sancta ferat.
Quam Virgo officiis Christum comitata supremis
Dulcem virgineo strinxit amore sinu.

1719.

Inventum primo licuit cui visere Iesum,
  Fratremque ad Iesum ducere qui potuit;
Ille sua ad Mariam ducat cum luce volentem,
  Cum Maria Christum nam simul inveniam.

1723.

Iam finis atri temporis advenit,
  Promissa terris progenies Patris,
    Vinctis ut exolvat catenas,
      Sedibus e superis propinquat.
Adest salutis nuncius, et citam
  Venire pacem praedicat. Inferi
    Horrent trementes, et polorum
      Turba frequens hilarata gestit.
Puella verbis et titulis pavet
  Insueta laudi, seque humilem magis
    Confessa, delato stupescit
      Vocibus Angelicis honore.
Sic de superna sede superbiam
  Fracturus hostis Filius advolat,
    Et gloriae sic servitutem
      Foedere consociat stupendo.
Rumpit molestas fortis amor moras,
  Regemque caeli cardine detrahit
    Demissa virtus, et modesto
      Virginitas comitata cultu.

1. DECEMBRIS.

1711.

O regina, vides quantos mendacia saecli
  Innectant specie luminis, arte dolos.
Da vitare leves confictae laudis honores,
  Sola ut me caeli gloria vera trahat.

Digitized by Google

1712.

Dio ti salvi, o Maria, l'Angelo dice,
Ed in dolce armonia
Ogni lingua ridice,
Dio ti salvi o Maria.
E lieta l'alma mia
In questi dolci accenti.
Prova mille contenti.

1719.

Dominica prima Adventus.

Iam nova labuntur de caelis ordia rerum,
Iustitiae ac morum iam novus ordo redit.
Caelorum Dominus dignatus visere terras,
Captivos inter vivere non renuit.
Restituat priscas deterso ut crimine leges,
Asserat ut victo pristina iura homini.
Inchoat at primos abs Te nova Gratia ductus,
Atque tuos replet, Virgo beata, sinus.
Prima meres missam de caelo audire salutem,
A Patre angelicum quam Tibi reddit Ave.

1717.

Accende, o Mater, libris studiisque colendis
In Tibi devotis corda potens pueris;
Ut sanctis doctas adiungant moribus artes,
Reddanturque sacris digna ministeriis,

2. DECEMBRIS.

1713.

Ereptus nostris famulus discessit ab oris,
Aevoque in viridi mortis adivit iter.
Absterge o maculas animi labesque vetustas,
Manibus et, Mater, concilia requiem.

1719.

Sensibus in certis desisque voluta tenebris
  Consilia huc illuc mentem animumque trahunt.
Educ offusa, Virgo, e caligine mentem,
  Et liquido certam lumine pande viam.
Ut stygias artes, struxit quas hostis ovili
  Evertas, clemens Mater, et insidias.

1714.

Alma Redemptoris Mater, quae perdita nostro
  Et decora et vitam restituis generi:
Dum sacra virgineas renovantia tempora laudes
  Splendore ac meritis plena tuis redeunt:
Da caeli dignis admittere sensibus auras,
  Ut recolat sanctos vita novata dies.

1721.

Aurora noctis luridas
  Fulgens tenebras dissipat,
  Solisque caeli e cardine
  Lucem propinquam nunciat.
Somnum fugantes desidem
  Haurire lumen nunc iuvat,
  Certisque virtutis viam
  Inire par est gressibus.
Lusere iam mentem satis
  Fallacis orbis somnia,
  Vanisque saecli gaudiis
  Errore caeci inhaesimus.
En vera mortalis bona,
  Novo patescunt in die,
  Quae nulla lapsu praepeti
  Aetas voluta subripit.

Digitized by Google

3. DECEMBRIS.

Festum S. Francisci Xaverii.

1711.

Qui sacro penitus Xaverius ardet ab igne,
  Errorum tenebris obsita regna petit.
Tu, Regina, pedes regis, et pia verba loquentis:
  Te Dominamque vocat, Te sequiturque ducem.
Sic legit aeternas nova per certamina palmas,
  Sic tenet ad caelum, Te duce, certus iter.

1712.

Non te barbaries retinet, non effera gentis
  Nomina, nec vasti te furor oceani.
Virgo tuis aderat nimirum provida caeptis,
  Atque illa in trepidis praeside tutus eras.
Sic tibi, Xaveri, paret natura iubenti,
  Amplificata tua est sic ope relligio.

1715.

Francisce extremos populos qui lumine lustras,
  Signaque convictos per nova tingis aquis;
Quam longos alacer sequerer celeri pede cursus,
  Frangeret insuetus nec mea corda labor;
Annueret Mater si nostris inclyta votis,
  Audiretque meas Virgo benigna preces.

1719.

Sepositas alio coeli sub cardine terras,
  Virgineo instructus numine laetus adis.
Oceani, Francisce, sinus, ac barbara tellus
  Haud tibi virtutis robora concutiunt.
Cuncta domas, inculta novas, ritusque nefandos
  Ex animis vera relligione fugas.
Victor apostolicos cursus imitatus et ignes
  Protendis fidei latius imperium.

Totque tibi partos ornant spolia ampla triumphos,
  Quot caeca eductos nocte sub astra vehis.

1729.

Sollicitis quos, Virgo, iubes nos pascere curis,
  Praesenti foveas ipsa patrocinio.
Ne lupus insidiis perdat, ne dira voluptas
  Exemplo in praeceps pelliciente trahat.
Sed sophiae sitiant annis florentibus artes,
  Fonte hoc delicias laetitiamque bibant.
Relligio et pietas studiis concrescat, et aevi
  Non ullus retrahat praetereuntis amor.
Ad Christum properent, caelestia corde requirant,
  Virgineoque tuo pectus ab igne flagret.
Digna ministeriis aetas adolescat et aris,
  Teque viae fidam sentiat illa ducem.
Donec inoffenso metam des tangere cursu,
  Et veniat meritis laurea parta tuis.

4. DECEMBRIS.

1716.

Adventum, Regina, tuae pia tempora Prolis
  Carmina moesta inter laetaque commemorant
Fac, illa inveniat studiis animusque paratos,
  Ut gratum in nobis eligat hospitium.

1718.

Si Tibi perpetuas gestimus promere laudes,
  Iugiter atque tuum concelebrare decus;
Aut largire pares animo, Virgo inclyta, versus,
  Aut quales animo promimus excipias.

1719.

Incolumis rediit patriis dimissus ab oris
  Romuleam ad sedem Te revocante nepos.

Quae comes hinc fueras, quae dux, quae praeses eunti,
Tu quoque iam reducis, Virgo, patrona veni.

1720.

Heu! sera obscuras coniectatque tempora in horas
Virgineas laudes deproperare iubent;
Et rudis incomptas revocat mens lassa camoenas,
Barbita nec dignos Virgine nostra sonos.
At gemitus tenui permiscens carmine, supplet
Intimus ex animo carmina fracta dolor.

1723.

O certa spes mortalium
Mater superni Numinis,
Miserta nostras lacrymas
Quae avertis iram iudicis.
Vides ut aegra confugit
Ad Te medelam flagitans
Afflicta tot malis domus,
Tuumque nomen invocat.
Accurre praestolantibus,
Solare tristes, lacrymas
Absterge moestis, et prece
Aude rogantes supplici.
Novas rependat gratias
Pro perpeti clementia,
Tuoque freta numine
Pericla nulla sentiat.
Fratres valescant et nepos
Tuasque laudes concinant;
A Te salutis munera
Suscepta votis praedicent.

5. DECEMBRIS.

1711.

Ne timeas niveo, Regina intacta, pudori;
  Virgo manens divo germine Mater eris.
Non adimit natus candoris munera, candor
  Ipse Patris purae lilia Matris amat.

1718.

Lassatus curis animus studiisque subactus,
  Ad Te iactato pectore, Virgo, redit.
Tu releva obiectum, terris solare iacentem,
  Optatae partum pacis ut inveniat.

1719.

Excipe ab angelica delatam voce salutem;
  Auspicia haec nostrae verba salutis habent.
Concipies utero, pariesque hominemque Deumque
  Qui solvat patriae vincula nequitiae.

1721.

Cum Servatorem sacrata effuderis alvo,
  Gentisque audieris vota precesque tuae,
Mutabit natura vices; tum lactea current
  Flumina, et agresti ex ilice mella cadent.
Nulla venenato terrebit vipera morsu,
  Obiiciet nullas bellua saeva minas.
Praelia nec populos acuent, nec bella phalanges,
  Sed verae in terris gaudia pacis erunt.

1722.

Quae praebes vitae maternis commoda curis,
  Queis faciles aditus ad tua templa paras;
Ne noceant hyemes, boreae neu frigus et imbres,
  Aptis obtecti dum vehimur speculis:

Digitized by Google

Defendant studiis tua numina, Virgo, secundis,
Tutus iter pergit, quem tua cura vehit.

1728.

Τοῦ Πατρὸς ἐξ ἕδρης καταβήσεται, ὄυρα μένουσι
Ἔκγονοι ὁι Αβαάμ ἕθνεα τὸν ποθέει
Τέξεθ' ὄν αγνείας μέγα κῦδος, πότνια Μητὴρ,
Ωστε λύη σχεθλίου δουλοσύνην γενος.
Νυν θέμις ὀυρανίων ἀγατῶν καλὰ δῶρα δεχέσθαι,
Ἠδὲ τρέχειν ἁγιου νεῖα κέλευθα βίου.

1730.

Fluctuat incertis, varias ceu navis ad auras
Consiliis animus, dum meliora cupit.
Quae via, quae fuerit pueris magis apta regendis
Norma, quod in studiis ut teratur iter.
Ipsa, precor, facilis materno lumine signes,
Et dux incaeptis cursibus ipsa praei.

6. DECEMBRIS.

1711.

Languida mens solitae promit Tibi laudis honores
O Virgo, angelico concelebranda sono.
Robora redde animo, vires et corporis auge,
Cedat ut in laudes hostia digna tuas.

1716.

Fac, Mater, Christo ferventia vota paremus,
Adventu ut satiet pectora nostra suo.
Ut tua replevit caelesti pectora rore,
Quo digna aeterni foederis arca fores.

Digitized by Google

1720.

Respice pro Sanctis susceptos, Virgo, labores,
Viresque ingenio et sensibus adde novas.
Quod scriptis colimus, fac vita actisque sequamur,
Ne damnet proprius crimina nostra labor.

1721.

De summo Sion tibi mittitur hospes olympo,
Par et digna Deum quae domus excipiet?
Haud foret ille tuas dignatus visere sedes,
Ni Maria ornasset virginitate lares.
Nam quae Virgineo placuit candore, paterni
Una sinus Verbum traxit ab accubitu.

7. DECEMBRIS.

1711.

Non Te damnati generis contagia, non Te
Afflavit patrio crimine dira lues;
Candida sed primo vitae de limine fulges,
Et qualis Mater digna futura Dei.

1717.

Virgo novam famuli dignare invisere sedem,
Ut sanctum vitae praebeat hospitium.

1718.

Cum festos Tibi, Virgo, dies et vota paramus,
Ut Tibi collatas rite colamus opes;
Tu mentes animosque para, donisque supernis
Effice Tu studiis officiisque pares.

1721.

Illustrat longe Exquilias ubi Virginis aedes,
Antistes Patrum cum ordine Summus adit.

Digitized by Google

Et veniam supplex pacemque implorat, atroci
  Falce furens Cavares dum Libithina secat.
Nos quoque Te Mariam submisso corde rogamus,
  Ne nostra exacuant crimina supplicium.
Sed ponat placidus, Te, fulmina, Virgo, sequestri,
  Teque reis veniam conciliante, Pater.

8. DECEMBRIS.

Festum Conceptionis B. M. V.

1711.

Luce nova rutilans, et Sole micantior ipso,
  Serpentem et Lunam sub pede, Virgo, teris.
Quippe vices veterum et funesta venena parentum
  Nescis, serpentis qui cecidere dolis.
Cinctaque sidereo radianti in vertice serto,
  Vitales auras immaculata subis.
Pulchram Te Sponsus caelesti ex arce salutat,
  Et specie rapitur Filius atque Pater.
Nam nihil in supero splendet Te pulchrius orbe,
  Numinis omne, licet parvula, vincis opus.

1714.

Gratia cum prima vitae Tibi splenduit aura,
  O summi Genitrix immaculata Dei.
Electa ante orbis molem patrumque ruinam,
  Ante Deo dirum vindice supplicium.
Luna velut rutilas pulcherrima Patris ab ore,
  Dignaque divino conderis artifice.

1715.

Tota places sine labe Patri, purissima Virgo,
  Cui non infecit culpa paterna sinus.
Quae primo vitae concepta in limine, rara
  Muneribus divis integritate micas.
Tu maculas animi penitus deterge roganti,
  Luce sit, o Mater, purus ut ille tua.

1718.

Virtute et meritis caeli super astra refulges,
  Limina cum vitae, diva puella, subis,
Sic decuit, thalamos Christo quae Virgo parabas,
  Sic decuit, summum quae paritura Deum.
Te cum suspicimus donis caelestibus auctam,
  Et patrio exemptam crimine concinimus;
Elue foedantes famulorum pectora labes,
  Anguis et antiqui nos tege ab insidiis.

1719.

Labis paternae nescia,
  Induta Solis lumine,
  Serto recincta siderum
  Lunamque plantis proterens;
Mirante caelorum agmine
  Merces opesque gratiae,
  Regina lecta iam Patri
  Vitae sacras primordia.
Non Te vetusti parvulam
  Afflavit aura criminis,
  Sed lucis ante exordia
  Astris refulges clarior.
Tantus decebat Virginem
  Matrem futuram Numinis,
  Candor nitorque gratiae,
  Quem nullus aequaret dies.
Absterge, si quidquam valent
  Submissa vota supplicis,
  Sordes vetustas et novas
  Quae nostra foedant pectora.

1720.

Tu quam paterni criminis
  Non ulla labes inficit,
  Qua tota morsu concidit
  Damnata proles noxio;

Digitized by Google

Et quae draconis inferi
  Puella confringis caput;
  Amicta solis lumine
  Sertumque stellarum gerens;
Cui luna plantis subiacet,
  Cui candor ore promicat;
  Quae tota pulchra perditum
  Dignaris orbem visere:
Absterge labes criminum,
  Nostri et tenebras pectoris,
  Tuaeque, Mater, caelitus
  Infunde lucem gratiae.

1724.

Più splendida del Sole, più pura e bella
  D' ogni di più sereno a Dio ti mostri,
  Santa e pietosa Madre, ch' a' nostri
  Sì lunghi errori sei benegna stella:
Riduci in calma l' orrida procella,
  Che turba le città, le scuole e i chiostri,
  Tu, ch' a le cieche menti il ver dimostri,
  E sai domare ogni alma più rubella.
Ascolta il gran Pastor, che prega e invita
  L' erranti pecorelle al noto ovile,
  E da la morte a' i pascoli di vita.
A la tua voce ogni animo più ostile
  Deporrà l' ire, e con la vostra aita
  Diverrà tosto mansueto e umile.

1729.

Non patrio infecit tua lumina crimine labes,
  Aeternum fueras quae paritura diem.
Ordia sed purae duxit Tibi gratia vitae,
  Damnati generis quae foret una salus.
Inque tuo sedem sapientia corde paravit,
  Quae mundi tenebras edita discuteret.
Ipse, tui laudat qui carmine luminis ortus,
  Fac noxae tenebras nesciat, et maculas.

Digitized by Google

1730.

Οστις τῆς σοφίης φάος ἄφθιτον ἀμφαγαπαζεις
Καὶ τὰ νέα σπεὐδεις, καὶ τὰ παλαιὰ νοεῖν,
Μήποτε τὸν κάματον πτώσσῃς; φύγε δ'ὄκνον ἀεργὸν
Παίγνια, καὶ θαλίας, οἶνον, ὁμηλικίην.
Μάλλον δ'ἄμπλακίην δνοφερὴν, θυμοφθορον ἄτην,
'Αθλεα καὶ θνητῶν ψεύδεα τῶν ἀγαθῶν.
Τὸν λόγον ἀθάνατον σέβε προσφελὲς, εὔχεο δ'αὐτοῦ
Μητέρι, ἣ σοφίης ἔμπεδος εστι θρόνος;
Ωδε κλέος διδαχῆς καὶ τῆς σοφίης ακρὸν εξεις
Ενθεν τῶν ἀρετῶν ἄνθεα δρεψάμενος.

9. DECEMBRIS.

1714.

Cuius terra cupit divinos cernere vultus,
Quem precibus gentes, quem lacrymisque vocant;
Ecce per intactam properat nos visere matrem,
Duraque captivis solvere vincla venit.

1717.

Dum timor italicas armorum concutit urbes,
Ad tua, Virgo, potens, numina confugiunt.
Intentas compesce minas, et sacra tuere;
Armaque in Odrysias et mala verte plagas.
Comprime ferales animos, Martemque repelle
Tu quae tranquillae foedera pacis amas.

1720.

Adspira incaeptis, tenuesque tuere labores,
Pro Matre egregii quam coluere viri;
Seu quos in specubus tacitos excepit eremus;
Seu quos ad superos celsa columna tulit.
Robora Tu ad palmas post praelia longa dedisti,
Venitque auxiliis parta corona tuis.
Ergo abs Te veniant studiis mihi, Virgo, regendis
Lumina, ut emeritis sint ea digna viris.

1721.

Concutitur titulis, amplisque modestia nutat
Promissis, quamvis Angelus ore ferat;
Nec se tot dignam officiis meritisque supernis
Verbisque ac donis Virgo modesta putat.
Heu! nobis animus, levior si inflaverit aura,
Oblitusque sui, mensque superba tumet.

10. DECEMBRIS.

1711.

Angelus Domini. etc.

Angelus ad Mariam celso delapsus olympo,
Divino, dixit, germine Mater, Ave.
Virgineum cui diva replevit gratia pectus,
Cui largo veniunt flumine dona Patris.

1719.

Concipiet regem, generis qui vincula solvat,
Nobilis intacta virginitate Parens.
Materno decori quae Virginis addat honores,
Ut simul in magno parva decore fuit.

1720.

Virgineae laudis multos nos cura per annos
Exercet, sed adhuc est tamen illa rudis.
Nec studium, nec longa dies limavit et usus,
Vena mihi ad numeros tam lutulenta fluit.

1721.

Concipies hominem pariter, Pia Virgo, Deumque
Angelus e caeli cardine missus ait.
Illa humili sensu sublimia dona pavescens,
Ancillae eveniat, quod mihi promis, ait.
Sic Deus arcanis iniit nova foedera vinclis,
E pura atque humili Virgine factus homo.

11. DECEMBRIS.

1711.

Ecce Ancilla Domini etc.

Hoc mihi contingat, caeli quem nuncius affers,
  En famula aeternis subditur imperiis.
Sic ait, atque poli regnans in culmine Verbum
  Virginis intactae viscera concipiunt.

1714.

Nascere virgineae proles pulcherrima Matris,
  Votorum tandem sic ea compos erit.
Nascere, sic vinclis per Te gens pressa solutis,
  Amissae compos nobilitatis erit.

1718.

Quis vacua ad Mariae solas det tempora curas,
  Ut laudes Mariae nocte dieque canam?
Isacidas forsan sequeretur carmina musas,
  Atque forent superis consona plectra choris.

1719.

Patris ab accubitu tua, Virgo, modestia Verbum
  Traxit, et angusto clausit in hospitio.
Gratior haud illi locus est hominique Deoque,
  In gremio hinc Matris, Patris et inde sinu.

12. DECEMBRIS.

1711.

Verbum Caro etc.

Verbum siderea properat quod Patris ab arce,
  In roseis thalamis Virginis excipitur.
In nobis habitans Mariae de munere, nostram
  Sublevat hospitio divite pauperiem.

1713.

Virgo tota micans, et nescia labis avitae
  Sit lenis famulo, Te moderante, dolor.

1715.

Intemerata Parens, non Te titulis opibusque
  Terrenis mundi gloria fluxa trahit.
At me fallacis mendacia splendida saecli
  Praecipitem ut perdant, illiciunt miserum.

1718.

Iam satis undivagos ponti toleravimus aestus,
  Et tulit insanos mens agitata notos.
Nunc liceat positis lasso de pectore curis,
  Te Mariam placido concelebrare sinu.

1719.

Nazareas adiit caelestis nuncius aedes
  Non audita ferens verba superna prius.
Ac stupet in terris tantas morum fideique
  Divitias, patriae caelitibusque pares.
Sic meritis Te non suetis donisque repletam,
  Laetisono gaudens ore salutat Ave.

1720.

Sacris se eloquiis dum vaticana iuventus
  Exercet, tacitos Te revocante dies;
Nobis, Virgo, salus valeat, visque ignea verbis,
  Ultro quae facili pectore suscipiant.

13. DECEMBRIS.

1711.

Et vidimus gloriam eius etc.

Damnato generi de Virgine Matre refulsit
  Gloria divini solis inoccidua.

Quae caeca eripuit mersam caligine gentem,
  Atque salutis iter pergere luce dedit.

1712.

Festum S. Luciae V. M.

Quae solidam Luciae tenuit constantia mentem,
  Ne ad diras mortis cederet icta minas;
Haec eadem nostrum Mariae de munere pectus
  Firmet, ne mundo pelliciente cadat.

1713.

Reddere lingua nequit iustas Tibi carmine grates,
  Quod per Te, Mater, sit mihi parta salus.
Confirma hoc nobis, Virgo sine labe coruscans,
  Faustaque sit per Te, per Luciamque dies.

1714.

Ut Lucia aeterno sacrum pro Numine templum est,
  Ut temnit saevas facta columna minas;
Ut gestit duplici sua tempora cingere serto,
  Ut geminas palmas ense peremta tenet;
Vincere sic, Mater, da adversa et prospera mundi,
  Puraque venturo corda parare Deo.

1716.

Virgo Syracosiae custos et gloria gentis,
  Virginitate simul, martyrioque potens;
Cuius in intacto sibi pectore Gratia templum
  Struxit, non valeant quod violare manus.
Et mihi virgineae per Te regina cohortis,
  Hostes immoto det superare gradu.

1719.

Non pompa saecli ludicra,
  Ac falsa mundi gaudia
  Christo dicatam virginem
  Dolis minisque pellicit.

Digitized by Google

Tormenta quamvis horrida
  Furens Tyrannus ingerat,
  Miram puellae dimovet
  Vis nulla fortitudinem.
Frustra minatur saeviens
  Tortoris ira vel necem,
  Vel inferendum lacteo
  Candori acerbum dedecus.
Christus loquenti suggerit
  Caelestis artes eloquî ;!
  Regina et ipsa Virginum
  Vires et arma sufficit.
Sic morte functam corporis
  Geminaque palma nobilem
  Suscepit illa virginem,
  Christus coronat martyrem.

1720.

Quot quot heroum veteres triumphos
  Palmasque ad astra tollitis,
Hic novos pugnae celebris honores
  De morte victa cernite.
Quidquid horrendum peperit ferumque
  Crudelis unquam immanitas
Matre sub Christi duce vel magistra,
  Puella gestit vincere.
Probra nec terrent, rapidos nec ignes
  Formidat ardens caritas.
Saevit incassum, gladioque mortem
  Frustra minatur carnifex.
Laeta nam ferrum iugulum petentis
  Caedemque gaudens excipit.
Sic ad aeternos sequitur triumphos
  Victrix Parentem virginem.

14. DECEMBRIS.

1711.

Quem Pater in sanctis genuit splendoribus, illum
  Concepit casto Virgo Parens gremio.

Quique Deus summa celebratur origine Patris,
Ille nova Matris Filius est hominis.

1715.

Qui fuerat dudum tecti studiique sodalis,
Qui socius mensae, quique laboris erat;
Accitus Procerum doctor discessit in aulam
Numine Tu facili, Mater, utrique fave.

1718.

Vanus honor, falsi et mendax splendoris imago
In praeceps hominum pectora coeca rapit.
Turbine tam diro quatiar ne falsus et ipse,
Praesidio hocce tui, provida Mater, erit.

1726.

Adventat supero de cardine vita salusque
Ducit et a sancta Virgine principium.
Complanare vias Domini monet ore Iohannes,
Patrumque et Vatum carmina prisca docent.
Nostra ad Te, Mater, properant sed vota precesque
Tam bene quae Domini es docta parare vias.

15. DECEMBRIS.

1711.

Mortales inter Tu felicissima gentes,
Et muliebre inter Tu benedicta genus.
Per Te femineo surgit nova gloria sexu,
Sola o gignendo femina digna Deo.

1712.

Et studia et vitam Tu dirige, Mater, et actus,
Sit pius ut nobis, Te miserante, labor.
Quem nulli inficiant quaerendae laudis amores,
Afflet cui nullam gloria perniciem.

1715.

Dulcis amor, Mariae casto qui in corde parasti
  Verbo de caelis adveniente domum;
Instrue Tu nostri squalentes pectoris aedes,
  Quas Superûm regem visere non pigeat.

1718.

Octavae approperant sacrata silentia lucis,
  Queis Christo pueri corde calente vacant.
Tu, Mater, complexa sinu defende periclis,
  Et da virtutis iustitiaeque sitim.

1719.

Illud Ave, quo Te meritis donisque repletam
  Angelus aethereo praedicat eloquio;
Nuntiat afflictis terris hominique salutem,
  Damna patrum certo dum reparanda refert.

1727.

Audiit ex alto gemitus Pater, audiit et quas
  Obtulit infecto pro grege Virgo preces.
Dispersas miseratus oves populique ruinam
  Quodque diu gentes iugemuere iugum;
Suppliciis luctuque modum finemque doloris
  Post longi cladem temporis imposuit.
De caelo properat pax vera, et bella recedunt,
  Humano generi bella cruenta nimis.
Tergat ut antiquo susceptas crimine labes,
  Advenit aeterni candor amorque Patris.
Immaculata domum sapientia Virginis aptat,
  Una Deo dignum quae parat hospitium.
Angelus arcani reserat mysteria verbi,
  Atque metum pavidae discutit alloquio
Roborat exemplis, promissis excitat, illa
  Tam vano est propriae laudis amore procul.
Paruit. Abiecto generi Deus ipse iugali
  Foedere se sociat Virginis in thalamo.

16. DECEMBRIS.

1711.

Dominus tecum.

Numine qui superos aeternis cursibus orbes
  Versat, et angelicis imperat agminibus;
Gestit, Virgo Parens, inter tua lilia pasci,
  Atque novis in Te deliciis trahitur.

1713.

Lacte fluunt colles, manant dulcedine montes
  Adventat partus cum, bona Virgo, tuus.
Tu solem revehis, pellisque, Aurora, tenebras,
  Praevia venturi Tu bona signa levas.

1716.

Christiadûm Regina, colit quam terra polusque
  Cuius ab auspiciis tartara nigra tremunt;
Clementem Christi late sacra iura tuentem
  Quem pietas sentit relligioque Patrem;
Respice, curarum vasta ne mole fatiscat,
  Neu terat assiduus robora firma labor.
Sed cunctas fidei adiungat, Te praeside, terras,
  Ac vigil haerescos perdita monstra domet.
Caesareas acuat verbo ac virtute phalanges,
  Atque novas palmas victor ab hoste ferat.
Ut detracta tuam spolia impia figat ad aedem,
  Et Vaticano barbara signa tholo.
Sic per Te incolumi dudum Pastore fruamur,
  Qui supera affectet serus ad astra viam.

1719.

Virgo Patris Verbum sacra dum continet alvo,
  Quisque Deo sedes hospitinmque paret.
Et gemitu ac lacrymis edant suspiria caelo,
  Accelerent ortus fervida vota diem.

Digitized by Google

17. DECEMBRIS.

1711.

O Sapientia etc.

Quae divo prodis Sapientia Patris ab ore
  Facta caro prodis Virginis ex utero.
Ut miseros releves vinclis tenebrisque sedentes,
  Cum vitam lassis Virgo superna parit.

1714.

Descende o summi Sapientia Patris ab astris
  Per Mariae terras visere perge sinum.
Ostende aeterno virtutis lumine callem,
  Ignarosque doce, Matre rogante, viam.

1715.

Quae Patris aeterni Sapientia cuncta gubernas,
  Edita ab ore Patris, Matris et e gremio;
Expectata veni, coecis et lumine pande,
  Et mala quae fugiant, et bona quae teneant.

1716.

O quae cuncta regis Patris Sapientia, mundi
  Quae imperio retines subdita regna, veni.
Per Mariam miserata veni, coecosque salutis
  Edoceas certam luce oriente viam.

1718.

E summo properans Patris Sapientia caelo
  In Mariae gremium commiserata venis.
Illa Tibi thalamos, dignas illa hospite sedes,
  Intacta Mater virginitate parat.

1723.

Satis usque damna culpae
  Gemuit genus paternae,

Patriaque sede pulsus
Homo lacrymis rependit
Sceleris nefas aviti.
Age, Nate, de supernis
Properans thronis, salutem
Refert orte sempiternam.
Videat serena lucis,
Tenebris procul fugatis,
Hilaratus ora mundus;
Recinatque pacis hymnum
Chorus omnis Angelorum;
Resonisque terra votis
Tibi laudibus resultet.
Canat et Parentis almae
Titulos redemptus orbis.
Mariam decusque Matrum
Vocet ille virginumque
Age, profer orte lucem,
Propera, veni, ac beatae
Bona cuncta redde pacis.

1728.

Ω Σοφία γνεος ὑψίστου, βλάστημα τοκῆος
'Αθανάτου μερόπων κέκλυτι τῶν στοναχῶν·
Ερχεο δὴ κατελεῖν θανάτου, καὶ δούλιον ἦμαρ.
Κ' αἰνομόρους πάντων ἐξεσάωσε κακῶν.

18. DECEMBRIS.

1711.

O Adonai etc.

Qui Mosi e liquido flammarum apparuit igni,
Et legem populo sanctaque iura dedit;
Is nobis sacra exoriens de Virgine fulsit,
Perque illam mundus iura salutis habet.

1712.

Qui Mosi dederat mediis se cernere flammis,
Et populo Sinae in vertice iura tulit;

Is precor, o Mater, superis comitantibus, intra
Hospitium nostri pectoris adveniat.

1714.

O qui Mosaicae signasti oracula legis
Inter fulgores reddita fulmineos;
Nunc nos ut redimas, posito terrore, Parentis
E casto gremio pauper inopsque venis.

1715.

Anxia spes hominum flammantibus excita votis
Expectat Prolem, Virgo beata, tuam.
Nostra quoque illius suspirant pectora lucem,
Quam tenebras inter pandere digna venis.

1716.

Pectora quo, Mater, Christo devota paremus,
In tenebris mersos visere dum properat;
Caelestes tepidis Tu subiice cordibus ignes,
Candorisque tui lilia pura seras.

1718.

Rumpe moras, hominumque graves miserata ruinas,
E Patris solio, Christe redemptor, ades.
Te Virgo assiduis invitat fervida votis,
Una potens gressus accelerare tuos.

1723.

Longa mersit in tenebris
Nox labores gentium;
Dumque lucis et beatae
Vitae anhelant gaudia,
Gressibus coecis dolores
Repperere et lacrymas.
Ecce de caelo propinquat
Vera lux errantibus.

Digitized by Google

Lecta Mater digna Verbo
  Virgo labis nescia,
Quae salutis esset orbi
  Et ministra et nuntia,
Quaeque regiam pararet,
  Par ut esset hospiti.
Ergo rerum conditori
  Prodeamus obviam,
Per novas vias oborto
  Ambulantes lumine.

19. DECEMBRIS.

1711.

O Radix Iesse etc.

Germen Iessaea surgit radice, quod omni
  Signumque et foedus pacis erit populo.
Tu nobis, Tu sancta Parens, de rore superno,
  Tu fructum vitae Numine foeta paris.

1714.

O radix Iesse, aeternae spes una salutis,
  Intactae gremio Virginis egredere.
Visere iam propera, qui Te cupiuntque vocantque,
  Et longas Maria rumpe precante moras.

1715.

Dum summi Regis sollemnia sacra propinquant,
  Virgine cum Maria corda parare decet.
Ut veniens tantus superis de sedibus hospes,
  Instructam inveniat relligione domum.

1716.

Qui Tibi tunc fuerunt, Mater dulcissima, sensus,
  Esset cum partus hora propinqua tui?
Quam rapidus casti fervebat pectoris aestus?
  Quam dulcis sancti languor amoris erat?

1718.

Inter Sanctorum splendores edite Summi
Nate Patris, miseros commiserate veni.
Solare intactae suspiria longa Parentis,
Et mundi assiduas terge potens lacrymas.

1728.

Ω κλεὶς τοῦ Δαβὶδ ἀνέσασάτε καὶ κλείζουσα
Τοῦ φάεος τυφλοῖς ἀνδράσ' ἄνοιγε θυρὰς
Τὰς δὲ θυρὰς θανάτου δυοφερὰς κατακλῄζουσα,
Δὴ πόρε τοῖς φοβεροῖς δῶρα παρηγορίης.

20. DECEMBRIS.

O clavis etc.

1711.

Isacidûm qui sceptra tenes, reserasque reposta,
Clavis olympiacam pandere docta domum;
Procedis castae gremio thalamoque puellae,
Quae nobis certae porta salutis erit.

1714.

Descende e superis, educ de carcere vinctos,
Aeternae lucis splendor, imago Patris.
Fac Mariam partu divaque prole beatam,
Erue qui in lacrymis, in tenebrisque sedent.

1715.

Cum Te Reginam divina potentia reddit,
Ancillam Te humilem, Virgo modesta, vocas.
At nos decipimur fastu titulisque superbis,
Quos temere immeritis laudibus arripimus.

1716.

Terra polusque tuam expeciat, Virgo inclyta, Prolem,
Et longas queritur temporis esse moras.
At Tu cunctorum superas suspiria votis,
Praeque aliis Natum cernere, Virgo, cupis.

1719.

Educ de tenebris atra caligine mersos,
Queis auras lucis Virgo beata rogat.
Captivi et prisca pro libertate gementes,
Excutiant durum, Matre precante, iugum.

1720.

Sacra per octonas servata silentia luces
Claudunt, haud segnes ad lacrymas pueri.
Tu desideriis caeptisque vocata secundo,
Cui fidunt alacres, numine, Virgo, fave.

1723.

Iam satis effictae luserunt pectora larvae,
Quid studio iactamur inani?
Iam bona quaeramus, mentem quae parta serenent,
Et pacem quae inventa reportent.
Dona peroptemus dignis coelestia curis,
Quae de Virgine matre redundant.
Temnere divitias, fastum calcare, repostos
In caelo virtutis honores
Quaerere discamus. Pariunt haec una quietis
Fructus, quos nunquam rapit aetas.
His opibus caelo quaerendis quisquis inhaeret,
Fortunae non damna vicesque
Aut cavet, aut metuit; Mariae sed numine tutus
Tranquilla statione potitur.

Digitized by Google

1728.

Ω φάος ἀϊδιον ἐξ οὐρανίων ἀνατελλον,
Ηλιε ἀτρεκίης ἠδε δικαιοσυνης,
Ἄνστα φότιζε γένος παχεεσσι σκιαισι καλυφθεν,
Ως τε Βλέπειν ζαθέης ἡμαρ ὁδοιπορίης.

21. DECEMBRIS.

O Oriens etc.

1711.

O Oriens splendor, Patris de lumine lumen,
Maternoque sinu progrediens Mariae;
O sol iustitiae scelerum dispelle tenebras,
Et mihi fer precibus de Genitricis opem.

1714.

O Oriens splendor caeli lucisque paternae,
Virginis e gremio visere nos propera.
Iam satis antiquae luimus contagia culpae,
Terrarum Mariae suscipe ab ore preces.

1716.

In tenebris, Mater, vinclis, luctuque sedemus,
Nec nisi virgineo germine finis erit.
Ergo expectatum prodant tua viscera solem;
Sit misero generi congemuisse satis.

1719.

O oriens splendor, Iessaeae stirpis origo,
O clavis David, gentibus una salus.
Aspice quam cupidis optat tua lumina votis,
Vultusque expectat cernere Virgo tuos.

1720.

Descende caeli e cardine
  Verbum superni Numinis,
  Et vota ferventis sinus
  Solare sanctae Virginis.
Miserta terrarum iugum
  Te expectat illa, et invocat
  Votis et adventus tui
  Dilata luget gaudia.
Visura Natum tempora
  Et quae tulisset te dies,
  Tanto futuram germine
  Matrem beatam praedicat.
Ergo gementem exaudias,
  Et rumpe poenales moras;
  Negare tantas ad preces
  Tua nil solet clementia.

1730.

Sive algor tenues vires, sive opprimat aestus,
  Spes animi nullas novit habere vices.
Temporis aut pectus turbant eventa sinistri,
  Aut nectant curis toedia vel studiis;
Crescit ab adversis fiducia firmior orsis,
  Ut quas extinxit, suscitat aura faces.
Cuncta etenim Matris nutus et iussa facessunt;
  Aspera nulla, Dei Matre tuente, nocent.

22. DECEMBRIS.

O Rex gentium etc.

1711.

O qui res hominum, sortes et iura ministras,
  Quem mundus votis invocat assiduis:
Te Patrum voces invitant, votaque terrae,
  Te sponsae thalamus Virginis. Ergo veni

1715.

Qui Mariam Verbi Matrem credunique coluntque
Illius assidua, Christe, fruantur ope.
Cuius et in gremio carnis velaris amictu,
Eius nos tutos redde patrocinio.

1716.

Summus qui cunctis rex gentibus imperat unus,
Quemque diu mundi fervida vota petunt;
Virginea tandem de Matris prodeat alvo,
Matremque et mundum lumine laetificet.

1718.

Accurre ad lapsas in dira pericula gentes
E superis studio praecipitante moras.
Ac designatae gemitus solare Parentis,
Assidua et populi vota precesque tui.

1719.

O sol iustitiae, dudum quem suspicit orbis,
Sinarum ad tacitas lumina funde plagas,
Pro quibus et tenues calamo properante labores
Mens Tibi et ingenium Matre favente dicat.

1720.

Silva tuo in partu cultos dabit avia flores,
Lacte fluent colles, ilice mella cadent;
Serpentes virus dediscent, belluae et iras,
Tutaque per terras gaudia pacis erunt.
Sic veteris noxae vinclis damnisque solutis,
Virgo, tuas laudes saecula laeta canent.

1721.

Conciliant mundo dum sacra silentia pacem
Dumque odia et rixas Virgo sequestra fugat;

Digitized by Google

Pax tranquilla sinus repleat, curasque refraenet,
Ne tacitae turbent interiora domus.
Princeps ut pacis pacem noctemque silentem
In thalamo nostri pectoris inveniat.

23. DECEMBRIS.

O Emmanuel etc.

1711.

Legifer, erranti patuit quo semita mundo,
Nobiscum vitae qui trahis usque moras;
Quod Te completo promissi excepimus aevo,
Sunt Tibi, sunt Matri debita dona tuae.

1714.

Te nobis socium caeli de sedibus adde;
Hunc vitae fructum Virgo Parensque ferat.
Tolle facem, noctis tenebras quae luce facessat,
Inque tuo mundus lumine carpat iter.

1715.

Emmanuel, Clavis David, et Legifer orbis,
Quique latus legis iungis utrumque lapis:
Expectate veni; suspiria crebra Parentis,
Humanumque facens Te genus omne vocat.

1718.

Quos sperare iubes caeli de cardine regem,
Hos tandem, Omnipotens, visere ne renuas.
Sint Tibi dilectae iam nunc rata vota Puellae,
Cuius ab ore preces non repulisse soles.

1720.

Quo sortis partusque tui magis hora propinquat,
Virgineos sensus hoc magis urget amor.

Digitized by Google

Approperat, Bethlemque subit, tectumque requirit;
  Nescia sed Regi gens negat hospitium.
Ergo humili pecudes inter sese abdidit antro,
  Ortum divini luminis opperiens.

24. DECEMBRIS.

1711.

Instat laeta dies, quae flentia lumina tergat,
  Et luctu et lacrymis impositura modum.
Hanc Tibi debemus, Genitrix sanctissima, per Te
  Finem luctus habet, gaudia principium,

1712.

O nox, virginei Mariae quae conscia Partus
  Laetitia et plausu saecula cuncta reples.
Per Mariam celebris, Mariae decora inclyta debes,
  Unde habet auspicium principiumque salus.

1714.

O Nox tenebris fulgida,
  Quam sol diurno sidere,
  Astrisque cunctis clarior
  Illustrat almo lumine.
Tu saeculis absconditae
  Nativitatis conscia,
  Ortae salutas gratiae
  Primaeva felix gaudia.
Abs te beata computat
  Aeternitas exordia,
  Quae Prole sanctae Virginis
  Promissa comples tempora.
Tu prima natum conspicis
  Desideratum gentibus,
  Matrem que cernis Parvuli
  Factam beatam amplexibus.

Digitized by Google

Tam clara noctis o meos
  Sic umbra gressus dirigat,
  Infantis ut divos pedes
  Ac vagientis osculer.

1715.

Tempus adest, Vates quod iam cecinere futurum,
  Cum longa extractum in saecula prospicerent.
Noctis adest patribus promissa gementibus hora,
  Quae mundi luctum tergeret et lacrymas.
Exitium iam mortis adest, finisque malorum,
  Virgineus, referat qui bona, fructus adest.
Salve igitur nox alma facis quae Prole Parentem,
  Virgineaque auctam laude vides Mariam.
Salve, atque e nostro nulla te oblivia corde,
  Deleat aut vano nullus amore dies.

1717.

Hanc celebrant sanctam sacrata silentia noctem,
  Ordia caeperunt luminis unde dies.
Quam sol iustitiae radiis lustravit et ortu,
  Quae fuit aeterni conscia consilii,
Primaque virginei vidit quae gaudia cordis,
  Auspicia aeternae gaudia laetitiae.
O te felicem tam raro munere noctem!
  Afferat ista hominum gaudia pectoribus.

1719.

Foederis antiqui nox o quae tempora comples,
  Atque obscura diu dicta Patrum reseras.
Qua nulli fulsere dies felicius orbi,
  Ac videre nihil saecula splendidius:
In tenebris arcana tuis et promis et abdis,
  Occultata malis, sed reserata piis.
Nam Mariae partum medii caligine cursus
  Occulis, ac tenebris corda superba tegis.
Angelico ast humiles fulgore ac luce coruscans
  Allicis, aeterni facta sequestra die.

1720.

Alta tenent media dum nocte silentia terras,
  Advenit e supero cardine Sermo Patris.
Atque humili in stabulo, gelidis nec tutus ab auris,
  Mundi contemtum pauperiemque docet.
Dogmata quae Mater divino edocta magistro,
  Sedula facta comes mente animoque colit.
Frustra igitur properat quisquis spe ductus inani,
  Delicias Christum quaerit et inter opes.

1722.

Dum nix alta solet, dum penetrabile
  Frigusque et glacies et nemus
Et silvas tegere, et praecipites aquis
  Cursus sistere fluminum;
Cur versis vicibus verna ferunt rosas
  Raro munere tempora?
Rerum, nosco equidem, iam renovat vices
  De Patris properans sinu,
In Matris gremio Virginis obsitus
  Servi schemate Filius;
Qui cunctorum opifex, qui similis Patris est
  Aequo in lumine gloriae.
Ut lapsum reparet damnaque criminis
  Post longae lacrymas morae
Expectatus adest. Laetitiam refert
  Tellus undique gestiens,
Auctoremque suum sedula suscipit.
  Prolem virgineo satu
Testatur genitam, legibus et novis
  Naturae fluere ordinem.
Mutent ergo vices pectora, moribus
  Informata novis, parant
Si tantum e superis excipere hospitem
  Qui terras humilis subit.

1723.

Beata prae sereno
  Die places micasque,
  Profunda nox, superno
  Qua ab orbe pax recurrit.
Quae ortam vides repulsis
  Lucem novam tenebris,
  Quae reddis et vetusta
  E clade dona Patris;
  Foedusque iungis, olim
  Quod fregerant parentes
  O sole clariori
  Nox clarius refulgens
  E qua serena caepit
  Dies, et orta risit
  Pax sempiterna, Patris
  Tu germen attulisti,
  Matremque prole dignam
  Auges bonis replesque
  Nos o beata, quam ceu
  Caelestis orbis astra
  Puer parensque lustrant.

1727.

Dulcia pacificae venere silentia noctis,
  Est cuius tenebris credita nostra salus.
Exoritur promissa dies, e Virginis alvo
  Procedit Dominus, sponsus uti e thalamo.
Angelicis choreis Bethelem iuga celsa resultant,
  E caelo et choreis pax comitata redit.
Omnia laetitiam referunt, atque omnia pacem;
  Tellus cum superis gaudia consociat.
Virgineis Mariae nostros sociemus amores,
  Sic liceat sanctam carpere laetitiam.

25. DECEMBRIS.

Nativitas D. N. J. C.

1711.

Stella piis olim patribus promissa refulget,
  Sponsusque e Mariae progreditur thalamo,
Divinus sancta venerandae virginis alvo
  Summis ima sacra foedere iunxit amor.
Nuncius angelico pacemque, et gaudia cantu
  Attulit, heu! lapsu gaudia pulsa Patrum.
Pastorumque humilis regnantem turba salutat,
  Parvulus e gelido qui iacet in stabulo.
Et natum castis Mater complectitur ulnis,
  Haurit et e divo lumine delicias.
O Te, sancta Parens, sancta de Prole beatam,
  Figere cui felix oscula mille potes!
Carpe diu ardoris divino in germine fructum,
  Deque tua misero stet mihi prole salus.

1713.

O Te felicem, Teque, o pia Virgo, beatam,
  Edita quae caeli lumina prima vides.
Prima sacros Verbi dum pectore iungis amores,
  Caelestis fontis prima fluenta bibis.
Iam fruere optatis, Genitrix, amplexibus, atque
  Tu facilem Puerum redde mihi ad veniam.

1714.

Dilecta summo Numini
  Puella lumen Virginum,
  Quae prima divum conspicis,
  Et oscularis Parvulum.
Laetare caeli munere,
  Quo Te Parentem laudibus
  Iustis ad astra tollimus
  Integritate perpeti.

Digitized by Google

Natum fovens amplexibus
  Inter rigentes temporis
  Auras, et arctae angustiis
  In paupertatis excipis.
Te nulla Mater ditior,
  Nullusque natus laetior;
  Tu namque sola Filio,
  Et ille sufficit Tibi.

1715.

Iam fruere optato, Mater dulcissima fructu,
  Summa Tibi bonitas quem peperisse dedit.
Cerne duos gemino radiantes lumine Soles,
  Atque novae rutilam pacis in ore diem.
Solare infantem, lacrymas et terge dolentis.
  Eheu! sed nostro de scelere ille dolet.

1716.

Illibata Parens, primos quae luminis ortus,
  Et Nati lacrymas cernis et ora tui;
Quae complexa sinu promissae pignora vitae,
  Caelestis patriae gaudia cuncta tenes;
Qui tum virgineo fuerunt in pectore sensus,
  Cum digna es summum gignere facta Deum?
Quae Tibi deliciae? puro quae corde voluptas?
  Osculaque in pueri dulcia quantus amor?

1719.

E gelido in stabulo, noctisque rigentibus auris,
  Ac pecudes inter victus amore iacet,
Tempora qui nutu, caeli qui temperat orbes,
  Agmina Caelicolûm quem tremefacta colunt.
Has venerata vices impenso sedula proli
  Et stupet et gaudet Mater in officio.
Corporis atque animi sic spernere gaudia fastum,
  Asperitate simul pauperiemque docet.

Digitized by Google

1720.

Terrae polique conditor,
  Mundi Redemptor perditi,
  Qui sede de summa Patris,
  Dignaris orbem visere;
Quae Te subegit caritas
  Ut damna tollens criminum
  E Matre carnem sumeres
  Pauperque inopsque parvulus?
Rigentis horae frigora
  Tectis repulsus hospitis
  Ferres, et antri angustias
  Prae caeli haberes atriis?
Sic Te decebat scilicet,
  Superbiam qui veneras
  Domare iactantem, et novas
  Docere amoris semitas.

1721.

Qui cupis aeternae condiscere dogmata vitae,
  Et calcare animo qui peritura cupis;
Ingredere, en referat Sapientia summa palaestram,
  Quam Christus miti cum Genitrice regit.
Adspice quo residet solio, qui regnat in astris,
  Quam vili in stragulo pauper inopsque gemit.
Quo splendet cultu, quo cingitur agmine, fastum
  Sic et delicias temnere corde docet.
Hunc alacri et fida sequeris si mente magistrum
  Et vitae et regni tutus inibis iter.

1722.

Noctis obscurae tacitis in horis
Dum sinu aeterni Genitoris orbem
Visit, in Matris gremio revinctum
  Corpore Verbum:
Dum chorus pacem canit Angelorum,
Et placet Christo stabuli recessus,
Instruit sedes ubi nascituro
  Virgo quietas.

Pectoris curae taceant strepentes
Pax et e summo revocata caelo
Intimos cordis teneat silenti
Nocte recessus.
Mentis excitos refugit tumultus
Ille qui sedes habitat serenas
Pacis, et saevas domiturus iras
Bellaque venit.

1723.

Accurrat altae qui sapientiae
Occulta dudum dogmata gentibus
Haurire festinet reclusis
Fontibus. E superis Magister
Adest palaestris, atque humili sedens
Praesepe, iam mysteria non prius
Audita pandit, quae vetustis
Condita sub tenebris latebant.
Quantis abundet pauperies bonis,
Quam dives aeternis opibus docet,
Quam clara virtus delitescens,
Laudibus atque hominum remotis.
Viamque monstrans facta per ardua
Amictus abdit lumina patriae
Divinitatis sempiterna
Parvulus ut lacrymans gemensque.
Iniecta nostrae fraena superbiae
Discamus, arcto et tramite gloriam
Quaeramus; abiectis tumenti
De sophia studiis, Inanes
Quid iam labores suscipimus Puer
Materque, vili qui stabulo latent,
Veros revelant, et potentum
Exsuperant titulis honores.

1724.

Pauper inopsque subit mortalis limina vitae,
Sidera qui nutu, quique elementa regit.

Deposita regni nam maiestate paterni.
  Luminis obscuro tegmine condit opes.
Discipulus tanti quisquis cupit esse magistri,
  Has humiles ineat corripiatque vias.

1726.

Nudus inopsque tremit brumaeque et noctis ad oras,
  Infans, cui stabuli vix patet hospitium.
Occulit aeternae splendorem lucis, et imae
  Adsimulat sortis pauperiem et lacrymas.
Demissa obsequitur divo Regina magistro,
  Arripit abiectas et bene docta vices.
Quis mihi det tanti Doctoris adire cathedram,
  Prolisque et Matris lumine proficere?

1728.

Νυκτὸς ἐπὶ μέσσης χειμῶνος τοῦ κρυεροῖο
  Βλάστης ἐκ κολπῶν παρθενικῶν ὁ Λόγος.
Δακρυχέει βρέφος ὥς τε μέγας Θεὸς εὐρυκρείων,
  Καὶ ἐπὶ τῆς φάτνης κείμενος αλγύνεται.
Παντες ἀγασσαμενοι τάδε ἤπια ἔργα μαθῶμεν,
  Ἦλθε γὰρ υψωσειν τὴν χθαμαλοφροσύνην.

1729.

Qui pacem revehis funesto crimine pulsam,
  Infesta et mundi bella domare venis;
Vera inquirendae pacis documenta ministras,
  Dum tacito atque humili nasceris in stabulo.
Una etenim turbas vesana superbia miscet,
  Et famae et fastus irrequietus amor.
Edocet hoc etiam divina modestia Matris,
  Quae simul in stabulo facta magistra tuo est.

1730.

Qui longa expectans suspiria duxit, et ortus,
  Christe, tui doluit segnius ire moras.

Isacidûm populus, luce exoriente, repellit;
  Quos solis radios anxius expetiit.
Nec datur hospitium nascenti; liquerit astra
  Summa licet, genti quo properaret opem.
Ignotus gelido positus iacet ortus in antro,
  Non locus infanti, quo recubaret, erat.
Qui Tibi tunc animus, Virgo, cum talia cernis?
  Pro tanto et talem cernis amore vicem?

26. DECEMBRIS.

1716.

Bethlemico vagit mundi regnator in antro,
  Et iacet obscuro conditus in stabulo.
Sedulitate tamen caraeque Parentis amore
  Duritiem saevi temperat hospitii.
Illa etiam nati fruitur dum lumine, tectis
  Antra palatinis splendidiora putat.

1717.

Martyrii primos duxit qui morte triumphos,
  Natalem Christi laetitiam cumulat.
Tu quae Martyribus Dux et regina coruscas,
  Fac me laetitiae participem geminae.

1719.

Qualia vidistis pastores lumina? quantum
  In stabulo hauserunt pectora vestra diem?
Cum spectare datum est Mariam Puerumque iacentem,
  Cui totus Patris splendor in ore sedet.

27. DECEMBRIS.

1711.

Felix prae cunctis felici sorte Iohannes,
  Quem Christus comitem Virginis esse iubet.

Et cui legavit propriam pro matre Perentem,
  Filius ut dignus Virgine virgo fores.
Nemo fuit tabulis quisquam Te ditior heres,
  Nec tantas moriens contulit alter opes.

1714.

Quem timet extremas venturum mundus in iras,
  Quem summum regem terra Deumque colit;
Involvit pannis, gremio fovet et lacrymanti
  Blanditur praebens ubera sancta Parens.
O miras, Te dante, vices! tua tanta potestas,
  Ut valeas divum cogere Numen, amor.

1717.

Sancte puer, Tibi quid referat pro munere pectus?
  Si quae autem dederis munera, et ipsa dabit.
Dulcia virgineae Matris tamen oscula profert,
  Grata Tibi siquidem non magis ulla forent.

28. DECEMBRIS.

1711.

Innocuo Bethlem pueorum sanguine manat,
  De media Christum sed nece, Virgo, rapis
Dira licet flammis exaestuet ira Tyranni,
  Quem Tu laeta foves, non timet ille minas.

1712.

Notte beata e bella,
Che sotto umano velo
Portasti il Re del cielo,
Di cui fu Madre la modesta ancella:
Tu vedesti ristretto
Fra le virginee braccia,
Quel divin Pargoletto,
Ch'arder potrebbe il Ren qualor più agghiaccia.

Tu di Maria vedesti
Il contento e la gioia e gli atti e i sensi
Di santo amore accensi.
Tu la gran sorte avesti
Di ciò veder, che tanti lustri e tanti
Han sospirato innanti.
O notte fortunata, il più bel giorno
Non è di te più adorno.

1717.

O vos, qui Mariam caelesti prole beatam
Pastores humili cernitis in stabulo!
Quas gemino laeti cepistis ab ore favillas?
Quam dulci exarsit vester ab ore sinus?

29. DECEMBRIS.

1711.

Rustica dum properat, puerum quo turba salutet,
Et pia divinis oscula det pedibus;
Annuis, infantem votis ardentibus offers,
Pastorum precibus, Virgo, secunda faves.

1714.

Parvulus aeterni Natus Patris alget in antro,
Quem casto effudit virginitas gremio.
Ut nos delicias doceat contemnere vitae.
Heu! tanto ingredior sub duce lentus iter.

1716.

Iesus et Mariae dulcissima nomina, cordis
Divino geminae sint in amore faces.
A nostro non illa sinu, vel ab ore recedant,
Haec mihi dulce melos, haec mihi dulcis amor.

1717.

Antra beata diem primo ex oriente tulistis,
  Iesumque et Mariam digna videre simul.
Quis regum domibus vestras non praeferat umbras?
  Quis non cum Iesu dulce latere putet?

30. DECEMBRIS.

1711.

Tu Bethlem ad Mariam votis adeamus amantes,
  Illa tenet Puerum cordibus illa dabit.
Languet enim sanctis Mater purissima flammis;
  His quoque languentes commiserata videt.

1714.

Miraris, Mater, nato quae dicta feruntur
  De Christo, et memori pectore verba tenes.
Sic evangelicas condis, pia Virgo, futura
  Quas nobis fundant saecula, divitias.

1716.

Dive Puer, supero mundum qui visis ab axe,
  Intactae Matris gaudia qui cumulas;
Respice me in tenebris, luctu lacrymisque iacentem,
  Atque tuo penitus fac ut amore flagrem.

1720.

Aetas senescens labitur,
  Occumbit annus praepeti
  Cursu volutus, et rapit
  Ut aura spes mortalium.
Tempusque edax sic proterit
  Cordis labores anxios,
  Honorque ludit atque opes
  Ceu vana mentem somnia.

Digitized by Google

Quid iam fugaci inhaerent,
Aeterna quem manent bona,
Subiecta quae nullas vices
Timent fluentis temporis?
O Virgo somnos excute,
Quibus iacemus desides,
Aetatis ut lapsum citae
Cauto libremus pectore.

1724.

Ut vapor in tenues abit et dispergitur auras,
Sic honor et saecli lumina defugiunt.
Heu! capimur larvis, ac mentem somnia ludunt,
Verique ignaros occupat atra dies.
Carpere iter liquido si quaeris lumine, Matris,
Quae praeit exemplo, gressibus obsequere.

31. DECEMBRIS.

1711.

Concito cursu rapitur, rapitque
Vita mortales, volucresque honores
Tempus heu! praeceps properat aeternas
Mergere in umbras.
Annus exacto rapidus rotatu
Ecce completis vicibus recedit.
Haec dies metam fugientis horae
Ultima signat.
Ille sed nobis revolutus o quae
Vexit aeterno recolenda cantu,
Matre divini miserante Verbi,
Dona salutis.
Illius iusta soluämus ergo
Munera, et laudes celebremus, almae
Sit mihi sancto Mariae dierum
Nomine finis.

1712.

Munere virgineo concessum claudimus annum,
  Qui mihi virginea laude celebris abit.
Materno o utinam vita omnis agatur honore;
  Haec signent cunctos fervida vota dies.

1713.

Heu! celeri lapsu mensisque recedit et annus,
  Caelestis patriae nec mihi crevit amor.
Augescunt potius sanctarum oblivia rerum;
  Quo magis illa fluunt, plus mihi fluxa placent.
Morborum merui plagas, meruique flagella,
  Diraque nec somnum verbera discutiunt.
Tu tamen, alma Parens, irati Numinis ictus,
  Dignaris plauda continuisse manu.
Sic per Te integros anni decurrimus orbes,
  Metamque incaepti sic tetigisse datur.
Carmina sint grati monumenta perennia cultus,
  Nam paria haud nobis reddere dona licet.
Accipe non culti munuscula parva laboris,
  Quae utinam Mariae nomine digna forent.

1714.

Favente Christi numine
  Exactus annus clauditur,
  Cuius volutos circulos
  Finemque donat tangere.
Reddantur auctori Deo
  Cantuque et hymnis gratiae,
  Laudemus aeternum Patris
  Boni datorem Filium.
Matrem superni Numinis,
  Qua protegente vivimus,
  Et qua fugatis praeside
  Firmata morbis est salus;
Tollamus ad caelum pio
  Gratoque laudis carmine,

Solamen illa supplicis
Et spes salutis extitit.
Tu, Virgo, mater gratiae
Tu praeses una languidis,
Te mens celebret iugiter,
Te lingua Matrem concinat.
Mariae sit almo nomini
Splendor decusque et gloria,
Nec illud ore de meo
Recedant omni tempore.

1715.

Promeritis, Regina, tuis precibusque volutus
Annuus exacti cursus abit spatiis:
Praesidiis quod, Virgo, tuis decurrere nobis,
Auspiciisque tuis claudere quod licuit.
Per Te non irae caelestis sensimus ictus,
Morborum insultus et nocuere minus.
Deprecor et noxas, quas iam contraximus, aufer,
De puro ut grates pectore, Mater, agam.
Excipe prona preces, humiles ne despice cantus,
O spes, o nostrum dulce decus Maria.

1716.

Occidit, ad metam cursu properante volutus,
Et Mariae donis annus onustus abit.
Per Mariam faustus nostrae fuit ille saluti,
Quam luctu et morbis aspera torsit hyems.
Ad studia ille meos revocavit grata labores,
Musisque et libris posse vacare dedit.
Reddantur Mariae tanto pro munere grates,
Christumque auctorem carmina nostra sonent:
Dum Christi meritis, ac praeside Virgine cursum
Anni virginea condere laude licet.

Digitized by Google

1717.

Mensibus exactus volvendis occidit annus,
  Curasque et saecli frigida vota rapit.
At dulcis tamen illa fuit, quam non rapit aetas,
  Cura celebrandi Nominis una tui.
Laudantes Mariam dulce est, quod claudimus annum,
  Dulcique officio dinumerasse dies.
Reddimus ergo humiles submisso carmine grates,
  Fidentique novas addimus ore preces;
Ut Iesu et Mariae dulcissima nomina vitae
  Abstrahat a nostro pectore nulla dies.

1718.

Anni fluentis ultima
  Dum luce cursum claudimus,
  Fervente grates pectore
  Almae canamus virgini.
Illa dierum praeside
  Auras secundas duximus.
  Quas et salutis munera
  Collata nobis praedicant.
Vacare sacris litteris,
  Librisque mentem intendere
  Donavit Illa, et gressibus
  Facem benigna praetulit.
Mariae nomen dulcissimum
  Nostro resultet carmine,
  Matrique cultu perpeti
  Iuges agamus gratias.

1719.

Annus abit, curaeque abeunt, quas attulit annus,
  Cunctaque cum volucri tempore diffugiunt.
Ille sapit mansura polo qui gaudia quaerit,
  Quisquis opes caelo congregat, ille sapit.
Quas violant nec furta manus, nec subripit aetas,
  Impete nec mortis fata suprema timent.

His utinam studiis mens dedita conderet annos,
  Luderet insanus nec mea vota labor.
Quo tamen officio colimus Te, Virgo, perenni,
  Invida non animo tempora diripiunt
Cumque mihi vitae tempus studiisque ministres,
  Ad laudes revocant tempora cuncta tuas.
Sic quem Te Mariam celebrantes caepimus annum,
  Sub fausto Mariae nomine laetus abit.

1720.

Divinum Christi resonent pia carmina nomen,
  Quo dante vitam ducimus.
Metamque exacti extremam dum tangimus anni,
  Grates agamus Virgini.
Noxia quae repulit, quae coeca pericula praesens
  Fausto repressit numine.
Tantis auspicibus tuta est, et labitur aetas
  Sanctis locuples gaudiis.
Sic referant meritas cuncta aevi tempora laudes,
  Iesum canendo et Virginem.
Dulcia sic anni signent haec nomina finem,
  Vitaeque cursum sospitent.

1721.

Virgo, tuis quoniam auspiciis meritisque supremum
  Ad spatium properans cursibus annus abit;
Et nos officii revolutum claudimus annum,
  Quo licuit varias explicuisse vices.
Tristes Clementem celeri nam morte peremptum
  Flevimus, heu! longa damna luenda die.
Tum post ambages et luctus vere peracto,
  Non aetas studiis venit amica meis.
Ruris at excussas repararunt otia vires,
  Queis nunc, Virgo Parens, annuis usque frui.
Muneribus tantis utinam Tibi reddere laudes
  Grato sufficeret carmine lingua pares.
His votis anni liceat mihi condere cursum,
  Atque haec sit studiis meta suprema meis.

1722.

Ocyor ad metam celeratis cursibus annus
  Principiumque redit.
Qua cadit, insanos hominum docet esse labores,
  Si bona fluxa petant;
Qua redit, aeterni spemque et bona suggerit aevi,
  Non rapienda die.
Quod licuit vitae varios evadere fluctus
  Hostis et insidias,
Reddamus Superûm regi de pectore grates,
  Quo duce vita fluit.
Et Mariae meritas pangamus carmine laudes,
  Auspice qua regimur.
Illa reis laxet culpas, ac temporis acti
  Conciliet veniam.
Inque novos vitae retrahat vestigia cursus,
  Ad patriam ut properent.
Haec annos claudant reserentque haec omina, Iesu
  Praesidio et Mariae.

1723.

Quam citato, quam silenti
  Annus orbe vertitur!
Cursibus praeceps volutis
  Vix renatus interit.
Quo tot aspra, tot secunda
  Sortis heu! ludibria
Quae ciere tot tumultus?
  Cuncta tempus abstulit.
Vera, firma, sempiterna
  Iam sequamur gaudia;
Quae nec aetas, nec fugacis
  Lapsus anni subripit.
Christus haec, qui luget infans,
  Mater haec nos edocent.
Ergo utrumque cursu alacri
  Persequamur auspicem.

Digitized by Google

Nulla sic labentis aevi
  Damna vita sentiet.
Atque agamus ob recepta
  Dona utrique gratias.
Ille donat, sed roganti
  Nil Parenti denegat.
Sit perennis laus utrique
  Sit perennis gloria.

1724.

Quot ferimur, capimurque dolis! queis ludimus umbris!
  Vanaque quot mentem somnia decipiunt!
Divitiae hinc rapiunt, honor et malasana voluptas,
  Hinc in subiectos iura timenda greges.
Cuncta tamen celeri volvuntur turbine, mergit,
  Quae ficta splendent luce, suprema dies.
Instat successor, dum funere tollitur alter,
  Nec sibi cuncta brevi subripienda putat.
Tu dispelle dolos, tantas et pelle tenebras,
  Mater, iustitiae prodiit unde dies.

1725.

Qui lacrymis veniae portas fontemque reclusit,
  Faustique et sancti nominis, annus abit.
Is monet, et celeri sopiantur fine dolores,
  Tristibus et rapidos fletibus ire dies.
Sunt quamquam dirae, ac pressae spatia aspera vitae,
  Moestitiam et lacrymas mox abesse iuvat.
Deperit haud unquam de cortice fructus amaro,
  Deque brevi aeterna est parta labores quies.
Ergo alacres stadio in modico ad mansura coronae
  Gaudia perpetuae corripiamus iter.

1726.

Ut vanis agitur curis, ut luditur aetas,
  Ut caecus falsas spes amor insequitur;

Ut brevibus spatiis mortalia vota tenentur,
  Quo cursu defert cuncta rapitque dies;
Ipse monet lapsus revolutis mensibus annus,
  Quidquid et orbis amat, quam sit inane, docet.
Luce tua, Regina Parens, mansura sequamur,
  Nec bona, quae alliciunt, nos peritura trahant.
Hic mihi virgineo veniet de numine fructus,
  Ac servet partos, accumulatque novos.
Pro quibus haud meritas submisso carmine laudes,
  Grata licet studeat reddere, lingua valet.
Exactum his votis, pia Mater, claudimus annum,
  Cui sancto in Iesu nomine finis adest.
        Honor sit almae Virgini,
        Quam legit orbis Conditor,
        Suis ut esset servulis
        Patrona, mater, et salus.

1727.

Virgineis auctus meritis abit annus, et una
  Aspera quae fuerunt, quaeque secunda rapit.
Non rapit ille pius quidquid labor extruit, aut quas
  Accumulat pietas religionis opes.
Non timet, aut sequitur labentia tempora, virtus
  Casibus haud ullis interitura manet.
Aeterna est Iusti sapientia, digna propinquant
  Praemia, praecipiti dum pede tempus abit.
Haec alit, haec fovet impositos spes firma labores,
  Post Christum et fidis gressibus ire docet.
Ne tamen abriperet coecus, vel falleret error,
  Auspiciis Mariam iussit adesse Pater.
Huius ad exemplum novit qui carpere cursus,
  Huic erit, exacto tramite, meta Deus.

1728.

Ἤυτε χειμαρρὸς ποταμὸς τρέχει, ὁ χρονος, ὥρη
  Πάντα φέρει, βιότου ἄαπον ἔπεστι τέλος·
Ἐλπὶς γηθοσύνη, πλοῦτος τί με παίζετε; φεύγει
  Ὡς ἀνεμὸς μεντοι ὑμετερον τὸ καλόν·

Δὴ ἔτος εὐπλόμενον δρόμου εἰς τάδε πειραθ' ἵκανε,
Καὶ ἀμ' ἀπώχοντο τερπνά τε καὶ στυγερα.
Ἀλλὰ χάρις Χριστοῦ μενει ἄφθιτος, ἡ διὰ Μητρὸς
Αἰεν ἀρηγουσα σύμμαχος ἄμμι πάρῃ.

1729.

Ο χρόνος ἱπτάμενος κοῦφός τ' ἐνιαυτὸς ἀπελθὼν,
Ελπίδας ἀνδρωπων ἕιλετο καὶ ὀδύνας.
Εὔχομαι, οὔ ποτ' ἐμοὺς περὶ σευ μελεδῶνας ἑλέσθαι,
Καὶ πόνον, ὃν Χριστῳ, ενδελεχῶς ἔκαμον.
Αλλα μοι ἀαμαζῃ πόθος ἵμερος αἴεν ἀοίδης,
Τὴν Μαρὴν καὶ σε, Χριστέ, μελιζομενῳ.

1730.

Quo curas animi deceat, quo cordis amores
Vertere, vita brevis, quae fugit, ipsa docet.
Tempora diripiunt, quod vix exorta dederunt,
Cunctaque quae pariunt protinus interimunt.
Iam studiis curisque gravis, qui tristia laetis
Mixta tulit, ventis ocyor annus abit.
Quae subeunt, studia et curas oblivia mergunt,
Ceu rerum speciem somnia quae simulant.
Ergo intenta bonis animi sint vota supernis,
Quae Maria Iesus conciliante dabit.

FINIS

Qui elucidant me vitam aeternam habebunt.

Ad Dei, et Beatae Virginis Mariae laudem.

533254

ERRATA	CORRIGE
P. x. v. 13. Haebraici	Hebraici
xiii. v. 7. existimabāt	existimaret
xxxvi. v. 14. Ebraice	Hebraice
xliv. v. 28. vicaricum	vicariam
li. v. 19. noctu	noctuque
6. v. 34. interans	iterans
8. v. 26. λυκασαι	λυκαβὰς
v. 26. τοῖνομ' Ιησοῦ	τοὐνομ' Ιησοῦ
v. 28. ἥμαε ἐπ' ἥμας	ἥμαρ ἐπ' ἥμαρ
v. 29. ὑχωμεν	ὑψῶμεν
v. 30. πρηαωμεν	πέρασωμεν
v. 31. ἀϊδίοου	ἀϊδίου
σιοτοιο	βιότοιο
9. v. 4. Θεσκεσίοισιν	Θεσπεσίοισιν
v. 5. σίοιο	βίοιο
v. 6. Μιμεῖθαι	Μιμεῖσθαι
v. 6. αρχέτοπον	ἀρχέτυπον
13. v. 7. superum	superûm
v. 16. quei	queis
16. v. 2. τουν	τοῦ
v. 3. εξαπατῶ	ἐξαπατῶ
v. 5. πανταγοθεν	πανταχόθεν
v. 6. δυσμενυέων τ' ἔνεθαι	δυσμενέων τ' ἔνεδραι
18. v. 18. Cui inchina	Cui s'inchina
v. 32. immensa	immersa
21. v. 9. coegerit	coëgerit
23. v. 33. ἥμαε	ἥμαρ
v. 35. σρέφος	βρέφος.
24. v. 11. γευέτηρα	γενέτηρα
v. 12. ασπαζωμεσα	ἀσπαζώμεσθα
v. 16. τῶ	τῳ
v. 18. Κ'	Καὶ
v. 19. ἄκ	ἄψ
25. v. 20. In	Tu
29. v. 21. πάγχο	πάγχυ
25. 'Κ'εἰω	Καί εἰην
31. v. 6. Vitrici	Victrici
v. 15. ἤδυον	ἤδιον
v. 17. κελαδω	κελαδῳ,
v. 18. δι'	δ'
v. 19. πεδφινοου ἔργτερατος εκνος	τερψνόου ἔργματος ὄκνος

ERRATA	CORRIGE
P. 33. v. 23. humilique	humili quae
34. v. 23. κυρηττων	κηρύττων
37. v. 18. Ερρηψεν	Ἔρρηξεν
v. 19. αθαγποι	ἄταρποι
v. 21. βλασην	βλάβην
v. 22. Πεινωντα	Πεινῶντα
39. v. 29. *Idi*	*Id:*
44. v. 26. quem	quam
47. v. 5. despiciis	despicis
v. 25. ἦν	ἧς
v. 27. ἀλεζίκακον	ἀλεξίκακον
v. 28. καὶ μητερα	μητέρα
v. 30. ἄντικάλων	ἀντιπάλων
48. v. 17. tanto	tacito
51. v. 10. scoglie	scioglie
v. 26. *Minervum*	*Minervam.*
52. v. 17. dedicere	dedidicere
53. v. 20. honora	honore
54. v. 3. plausa	plausu
57. v. 2. certant	certent
v. 10. παμπαλισσα	παμβασίλισσα
v. 11. μεν	μου
58. v. 2. accadunt	accendunt
59. v. 1. ὀροθυρε	ὀρόθυνε
60. v. 5. nostro	vestro
61. v. 13. ἄδετε	ᾄδετε
63. v. 15. obtemperans	obtemperas
67. v. 4. ἁγνισμοῖ	ἁγνισμοῖο
v. 16. ποθῦ παγκυ	ποθεῖ πάγχυ
v. 21. ἤλυθέτ	ἤλυθὲν
72. v. 25. Θάρσευ	Θάρσει
25. αἴϊ	αἰὲ
75. v. 1. κλειόντων	κλαιόντων
v. 4. το	τε
v. 5. ζάθειης	ζάθεης
83. v. 7. κάτεδεισε	κάδδεισε
89. v. 16. θεαθήκης	διαθήκης
96. v. 12. ὕπερσχον	ὕπερσχες
102. v. 7. συνελληφαῖν	συνειλήφεναι
103. v. 3. οἰκτῆραι	οἰκτείρας
v. 6. ἔγκεα	ἄγκεα.
123. v. 29. si	sit
134. v. 17. incolumen	incolumem.
137. v. 4. calendum	colendum

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
P.141.v. 5.hymeneis	hymenaeis
142.v. 4.amplicas	amplificas.
143.v.30.γενυομεν	γενόμην
150.v. 5.fungiunt	fugiunt
156.v.18.destro	dextro
158.v. demisa	demisse
174.v. 8.ἄσφαλ'	ἄσφαλε'
v.16.θυγατερες	θυγάτρες
186.v.15.Θύλησεν	Σύλησεν
189.v. 3.coecos	coecas.
192.v.31.νυῶ	νῦν.
205.v.21.ασμα	ᾆσμα
v.22.ερατω	ερατῷ
207.v. 8.corporibus	corporibusque
210.2.26.ἄσμα	ᾆσμα
212.v.26.μερημνῶν	μεριμνῶν
221.v. 6.Χέαρ	Κέαρ
v.10.Χλύων	Κλύων
v.12.μερημνῶν	μεριμνῶν
229.v. 8.dolci	dulci
242.v.25 *recessuit*	*recensuit.*
245.v. 2.delicisque	deliciisque
260.v.16.Ε'νώχον	ἐνώχων
v.23.πλάστηγγα	πλᾶστιγγα
v.32.Αξει	Αξει
276.v. 5.Consagae	Gonsagae
284.v.36.culta	occulta
297.v.24.ruurat	ruunt
298.v.20.condinus	condimus
301.v.11.condore	candore
303.v.10.studiis	studiisque
v.22.foveias	faveas
309.v. 4 resultat.	resultat
312.v.23.fortis	fontis....
315.v.27.largios	largius
317.v. 7.percipiet et.	percipiet
319.v.27.lectumque	luctumque
349.v 4.corpuris	corporis
351.v.20.tuaris	tuearis
377.v.26.in	ira
383.v.15.sospirant	suspirant
399.v.21.κ'α πάντων	ἁπάντων
v.28.ἀπορριψαν-τεεἀεργες	ἀπορριψαντε-σάεργη

ERRATA	CORRIGE
P.408.v.20.ἔκλυς	ἔκλυε
v.22.ελευσομενε	ἐλευσόμενη
412.v.16.procubens	procumbens.
420.v.25.κάμμονα	κάμμορα
v.28.ἔσσθλων	ἔσθλων
v.29.μεκάλης	μεγάλης
v.31.Πρηυς	Πρηὺς
σικτοσύνης	οἰκτοσύνης
437.v.17.συμηπροσεου-σαι	συμπροσέου-σαι
v.19.αμετροβα-τους	ἀμετροβάτου
λεύσεις	λεύσσεις
447.v.14.βλασυρὸν	βλοσυρὸν
448.v.10.ευφροσυνης	ευφροσύνης
457.v. 7.ὀρέξας εις	ὀρέξας
462.v.14.Σχέλιον οἰ-κτηειρας	Σχέθλιον οἰ-κτείρας
v.14.γυύς	γένος
464.v.20.sercina	sarcina
466.v.18.chieche	cieche
v.28.noceatne	noceatve
468.v.28.Η	Ηι
469.v. 1.Κλῆθι	Κλυθι
475.v.30.σωτῆπ'	σωτῆρα
v.35.ποπε	ποτε
476.v. 4.ὑνοχίεις	ὑνοχεεις
v. 5.Τους ἅρπαξ	Τοις αρπαξ'
v.10.ἀνάταυσις	ἀναπαυσις
v.12.βλάπται	βλαπτοι
478.v.20.βοῶμευ	βοῶμεν
v.28.splendiora	splendidiora
479.v.10.Septa	septa
v.31.Λείγματα	Δείγματα
480.v. 2.Κυδαλέμων	Κυδαλίμων
v 20.laudas	laudasque
484.v. 8.Τὸν	Τὸν
v.10.Τῆνδε	Τῆνδε
488.v. 1.reveheit	revehit
v.28.ἱμερο τα	ἱμερόεντα
489.v.19.incutiant	incutient
26.retinet	retinent
490.v. 9.Τῶν	Τῶν
v.21.carmine	carmina

ERRATA	CORRIGE	ERRATA	CORRIGE
P.492.v.17.χροσφιλες	προσφιλες	P.518.v.14.et	ex
v.24.μητρώης	μετρῳης	522.v. 1.desisque	densisque
493.v.25.praesses	praesens	526.v.10.obiectum	abiectum
495.v.15.dispice	despice	527.v. 5.Αβαὰμ	Αβρὰμ
v.22.Christo	Christi	v. 7.λυη	λύῃ
496.v. 9.lumina	limina	γενος	γενεος
v.32.errepta	erepta	v. 8.ἀγατῶν	ἀγαθῶν
497.v.25.ἀειδομενος;	ἀειδόμοναι;	v.12.ut	rite
v.29.πίουν	πίον	531.v.16.che a'nostri	che a li nostri
501.v.27.ποθητον	ποθησιν	532.v.19.Virgo, potens	Virgo potens.
504.v.24.volans	volens	542.v.22.γνεος	γενος
508.v.12.siege	siegue	v.24.θανάτου	θανάτων
510.v.23.sede	sedes	553.v.16.viees	vices
512.v. 6.beatum	beatam	556.v. 8.Ft	Et

Digitized by Google